S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VIII

DOMINICALIA

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLIII

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

Prodierunt:

Vol.	I.	*Mariale*	L.	90
»	II.	*Lutheranismi Hypotyposis:*		
»	»	Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri* .	»	90
»	»	» II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae* . . .	»	90
»	»	» III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri*	»	70
»	III.	*Explanatio in Genesim*	»	90
»	IV.	*Quadragesimale Primum*	»	80
»	V.	*Quadragesimale Secundum* - Pars I. .	»	95
»	»	*Quadragesimale Secundum* - » II. .	»	85
»	»	*Quadragesimale Secundum* - » III. .	»	90
»	VI.	*Quadragesimale Tertium*	»	130
»	VII.	*Adventus*	»	115

NB. - Pro subscriptoribus et Ecclesiasticis pretium minuitur ad 20 %

IN PRAEPARATIONE:

S A N C T O R A L E

OPERUM OMNIUM VOL. IX

Pretium huius voluminis L. 200

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



In Museo Franc. Cap. Assisiensi

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VIII

DOMINICALIA

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLIII

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 30 Iulii 1943

(L. S.)

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen.lis Cap.

Attente perlegimus volumen octavum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Dominicalia ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Clodiae, 28 Iulii 1943

† FR. HYACINTHUS AMBROSI O. F. M. Cap.
Episcopus

Utini, die 28 Iulii 1943

FR. MARINUS A VALSTAGNA O. F. M. Cap.
Lect. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur

Patavii, die 1 Augusti 1943

Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Eccl.

Imprimatur

Patavii, die 2 Augusti 1943

† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 27 Febbraio 1943

Reverendissimo Padre Generale,

Sua Santità desidera rinnovare per mio mezzo alla Paternità Vostra Reverendissima l'espressione del Suo grato animo per l'omaggio del nuovo volume delle Opere di San Lorenzo da Brindisi, recentemente pubblicato.

Ricco non meno che i precedenti della dottrina, della erudizione, della pietà di cui è compenetrata tutta l'opera apostolica del Santo, il volume riconduce la Santità Sua alla gratitudine che ebbe già a manifestare, con sì vivo sentimento, ai benemeriti Padri, editori diligenti ed illuminati di così prezioso materiale.

Con la gratitudine – che non potrebbe essere più consapevole e più viva – l'Augusto Pontefice ripete ancora una volta tutti i Suoi voti per il più felice compimento di così degna fatica – onore dell'Ordine e contributo di gran valore al comune patrimonio della predicazione e dell'ascetica cristiana.

E invocando a questo fine la divina assistenza, invia di cuore alla Paternità Vostra Reverendissima, agli editori e a tutta la famiglia francescana a cui Vostra Paternità presiede, il conforto dell'Apostolica Benedizione.

Consenta la Paternità Vostra che io aggiunga qui l'espressione della mia calda riconoscenza per l'esemplare a me graziosamente destinato. E coi miei reiterati complimenti e incoraggiamenti voglia gradire il nuovo attestato della mia profonda osservanza.

Della Paternità Vostra Rev.ma

dev.mo nel Signore

L. Card. MAGLIONE

PRAEFATIO IN DOMINICALIA

Volumen hoc VIII Operum S. Laurentii a Brundusio tres codices continet, omnes consueta membrana religatos. Primus constat foliis 89, idest paginis 178, rite numeratis; magnitudine externa 34 × 24 cm., interna vero descripta 27 × 18 cm. In dorso inscriptio legitur: « Dominicale P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem »; itidem in schedula in margine secundi folii agglutinata: « Adm. Rev. P.ris Laurentii a Brundusio concionatoris Capuccini Dominicale manu propria eiusdem ». Sigillum quoque consuetum rubro colore in tegumenti exteriore parte: « IHS; Archiv: A; Colto: P. 5°; Busta: — ; Fascic: 4 ». Parva spatia aliquorum foliorum post finem Homiliarum alba reliquuntur. [1]

Secundus codex foliis 62, idest paginis 124, constat; magnitudine externa 30 × 20 cm., interna autem descripta 23 × 15 cm.; at circiter triginta paucas lineas ex uno tantum verso ductas praeseferunt. Eaedem inscriptiones, quae in praecedenti, leguntur tum in dorso tum in schedula in margine inferiore secundi folii agglutinata; idem etiam sigillum in tegumento, mutato tantum numero: « Fascic: 6 ». [2]

Tertius codex, magnitudine externa 33 × 22, interna vero descripta 30 × 20, foliis 80, idest paginis 160, numeratis constat; praeterea adiiciun-

1) In elencho Operum S. Laurentii in *Praefat. in Editionem Universam* exhibito, sub n. 10 recensetur. Cf. *Mariale*, pag. XI.

2) In elencho, ut supra, sub n. 12 recensetur.

tur alia 39 folia non numerata. Eandem inscriptionem in dorso, quam duo praecedentes codices, exhibet: « Dominicale P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem », mutato numero sigilli in tegumenti parte externa: « Fascic: 5° ». [3] In margine autem inferiore secundi folii, super schedula agglutinata legitur: « Adm. Rev. P.ris Laurentii a Brundusio concionatoris Capuccini Sanctorale manu propria eiusdem ». [4]

Continet unum Adventum, Prima et Secunda Dominica post Epiphaniam inclusis, necnon Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima; sequitur Quadragesimale, feriis IV, VI et Dominicis constans, adiectis quinque Dominicis post Pascha; deinde, vigintinovem foliis albis relictis et non numeratis, transitur ad diem Natalis Domini, inclusis festis infra Octavam, Epiphania Domini et sequentibus Dominicis usque ad Quinquagesimam, et immediate secundum Quadragesimale ponitur usque ad Dominicam in Albis, priori consimile. Exinde duodeviginti folia non scripta nec numerata sequuntur.

Codicem hunc in forma Appendicis duobus praecedentibus adiecimus. Plurimorum foliorum, paucis lineis exaratis pro argumento uniuscuiusque diei, reliqua pars alba relinquitur; non enim codex iste veras Homilias, ut duo praecedentes codices, praesefert, sed simplicia summaria Homiliarum, quae in Quadragesimalibus et Adventibus iam editis continentur. [5] Insuper summaria secundi Quadragesimalis summaria praecedentis, et forma quidem breviori, ferme repetunt, ita ut saepe ideae ideis et aliquando etiam verba verbis quasi paria respondeant. Quamvis pulcherrima ut texturae sermonum, ob eorum brevitatem tamen parvi sunt momenti quoad valorem oratorium.

Ne autem vel minimum quidem, quod noverimus, S. Auctoris chirographum ineditum praetereamus, huic Appendici secundam apposuimus,

3) In elencho, ut supra, sub. n. 11 recensetur.

4) In folio vero avulso et intus, in principio codicis collocato, legitur: « Questo libro sebbene porti il titolo esteriormente di Dominicale P. Laurentii, viene però chiamato nel Decreto super examine, ex approbatione, sotto il titolo: Sanctoralia Libri duo, nel numero VIII ».

5) Cf. Vol. IV, V, VI, VII.

foliis avulsis constantem, quorum aliqua, in fasciculum collecta, in Archivio Provinciae nostrae asservantur, [6] reliqua vero hic illic colligere potuimus, ubi religiose custodiuntur.

De opere nostro et methodo in huius voluminis editione adhibita, in praecedentibus voluminibus satis locuti sumus, ideo necesse non est de hoc ultra verba proferre, ne unum enim apicem a via statuta deflectere quidem voluimus.

Proximo anno, nisi temporibus nequam nequiora succedant, ultimum volumen Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio in lucem prodibit. *Quapropter omnes* rogemus *in bonum* hodiernae tempestatis *monstra converti.* [7]

Patavii, in Festo S. Laurentii a Brundusio
Compatroni Principalis Provinciae Venetae Capuccinorum 1943

PATRES EDITORES

6) Fasciculus hic charta communi phylacea tegitur, in cuius exteriore parte consuetum sigillum rubro colore ponitur:« IHS; Archiv: A; Colto: P - 5; Busta: —; Fascic: 13°». Deinde nota sequitur: « Brani di autografi del nostro B. Lorenzo da Brindisi che qui si tengono separati, onde regalarne qualche divota persona, come vere reliquie ».

7) 2 Mach 5, 4.

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR[1]

AESOPUS * *Fabulae*, apud Hervieux.

ALCINOUS PHILOSOPHUS *De Doctrina Platonis*, Lugduni Batav. apud. Io. Patium 1607.

ALEXANDER DE ALES *Summa Theologica*, Ad Claras Aquas, typographia Collegii S. Bonaventurae 1928.

ANGIOLINI FRANCESCO, *Delle Antichità Giudaiche* e *Della Guerra Giudaica di Giuseppe Flavio*, Firenze, Paolo Fumagalli 1842.

APULEIUS *Liber de Deo Socratis*, Lugduni Batavorum, apud Io. Patium 1607.

ARISTOTELES STAGIRITA * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

BERNARDINUS SENENSIS S. *Quadragesimale*, Venetiis, ex aedibus And. Poletti 1745.

BEYERLINCK LAURENTIUS *Theatrum Vitae Humanae*, Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arnoldi Hieratorum 1631.

Biblia Sacra Universitatis Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

BLONDUS FLAVIUS *De Roma Triumphante*, Parisiis, apud Sim. Colinaeum 1533.

BONAVENTURA S. Opera Omnia, ad Claras Aquas, typographia Collegii S. Bonaventurae 1898.

Breviarium Romanum.

BUDAEUS GULIELMUS * *De Asse et Partibus*, Basileae, apud Nic. Episcopium 1556.

BUXTORFIUS IOANNES *De Synagoga Iudaica*, apud Ugolinum Blas.

CAELIUS LUDOVICUS *Lectionum Antiquarum Libri*, Francofurti et Lipsiae, Dan. Fievetti 1666.

CALVINUS IOANNES * *Commentaria in Evangelia*, Amstelodami, Io. Schipper 1667.

CASALIUS IO. BAPTISTA *De Urbis ac Romani olim Imperii Splendore*, Romae anno Iubilaei 1650, ex typographia Fr. Alb. Tani.

CHALCIDIUS *Timaei Platonis Traductio et Explanatio*, per Nebiensium Episcopum, sine loco, 1520.

CICERO M. TULLIUS * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CLAUDIANUS CLAUDIUS *De Raptu Proserpinae*, Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.

CONIMBRICENSES *Commentarii in Libros Aristotelis*, Venetiis, Iac. Vincentium et Ricciardum Amadiscium 1602.

CORNELIUS a LAPIDE *Commentaria in Sacram Scripturam*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

DE LA HAYE IOANNES *Biblia Maxima Versionum*, Lutetiae Parisiorum 1660.

DENZINGER - BANNWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

DIOGENES LAERTIUS *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1566.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS *In Quattuor Evangelistas Enarrationes*, Coloniae, Petr. Quentel excudebat 1543.

DIONYSIUS CATO * *Carmen De Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. de Montegatiis 1506.

DU CANGE C. DUFRESNE *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, Parisiis, Firmin-Didot 1846.

Fabulae Aesopianae, * apud Hervieux.

FORCELLINI AEGIDIUS *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.

FOXIUS SEBASTIANUS *In Platonis Timaeum Commentarius*, Basileae, ex officina Io. Opporini 1554.

GALENUS Omnia quae extant, studio Io. Baptistae Rosarii emendata, Venetiis, apud Ant. Pinellum 1609.

GELLIUS AULUS *Noctes Atticae* seu *Vigiliae Atticae*, Parisiis 1585.

HERVIEUX LEOPOLD *Les Fabulistes Latins depuis le siécle d'Auguste*, Paris, Librairie de Firmin-Didot 1894.

HOMERUS * *Odisseae* graece et latine, Patavii, typis Seminarii 1744.

HYGINUS IULIUS *Fabulae*, per Io. Hervagium 1549.

HURTER H. S. I. *Theologiae Dogmaticae Compendium*, Oeniponte, Libraria Academica Wagneriana 1903.

IAMBLICUS *De Mysteriis Aegyptiorum*, Romae, apud Ant. Bladum 1556.

IOSEPHUS FLAVIUS * apud Angiolini.

IUVENALIS * *Satyrae*, Patavii, typis Seminarii 1705.

LAURENTIUS a BRUNDUSIO S. Opera Omnia, Patavii, typis Seminarii 1928 sqq.

LUTHERUS Opera Omnia, ed. latina, Witebergae 1545 sqq.

LYRANUS NICOLAUS *Biblia Sacra cum Glossis*, Venetiis 1588.

MACROBIUS A. THEODOSIUS *Commentarium in Somnium Scipionis*, Patavii, Iosephus Cominus 1736.

MALDONATUS IOANNES *Commentaria in Quattuor Evangelistas*, Venetiis 1597, apud Io. Bapt. et Io. Bernardum Sessam.

MARSILIUS FICINUS *Commentarium in Convivium Platonis*, apud Platonem.

MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis, apud Dominicum de Farris 1591.

MELANCHTHON PHILIPPUS *Enarrationes in Evangelium Matthaei*, Witembergae, Io. Crato 1563.

MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Asclepius*, Lugduni, Io. Tornaesium 1577.

Missale Romanum Pii V Pont. Max. iussu editum, Parisiis, apud Iac. Kerner 1584.
Moses ben Maimon *Liber Praeceptorum*, apud Ugolinum Blas.
Natalis Comes *Mythologiae*, Gabriel Carterius, sine loco, 1596.
Novarinus Aloysius *Adagia Formulaeque Proverbiales*, Veronae, typis Merulanis 1651.
Nestle Eberhard *Novum Testamentum graece et latine*, Stuttgart 1907.
Ovidius * Opera, Lipsiae, typographia Caroli Tauchnitii 1828.
Panvinius Onuphrius *De Triumphis*, Patavii 1642, ex tipographia P. Frambotti.
Perin Ioseph *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.
Philo Iudaeus * Opera, Lugduni, Ant. Vincentius 1561.
Phocylides * *Carmina*, Interprete Iohann Adam Schier, Lipsiae, sumptibus Io. Georgii Lohevii 1751.
Pierius Valerianus *Hieroglyphica* seu *De Mysteriis Aegyptiorum*, Venetiis, apud Io. Ant. et Iac. De Franciscis 1604.
Plato * Opera Omnia, translatione Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum, 1571.
Plautus M. Accius *Comoediae*, Lutetiae, apud Io. Macaeum 1577.
Plutarchus Chaeroneus * *Ethica Opera*, interprete Hermanno Cruserio, Basileae, apud Thomam Guarinum 1572.
Reiffenstuel Anacletus *Ius Canonicum Universum*, Venetiis 1730, apud Ant. Bortoli.
Scotus Ioannes Duns *In Quattuor Libros Sententiarum*, apud Io. Bapt. et Io. Bern. Sessam, Venetiis 1597.
Seneca L. Annaeus *Tragoediae*, recensuit Io. Casparus Delphis, apud Adrianum Beman 1728; *Sententiae*, studio Io. Gruterii, Lugduni Batavorum, apud Io. Du Vivier 1708.
Suetonius C. Tranquillus *Duodecim Caesares*, Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans 1751.
Talmud Babylonense, apud Ugolinum Blas.
Terentius P. *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.
Thomas Aquinas S. Opera Omnia, Ioseph Bettinelli, Venetiis 1748.
Tostatus Alphonsus *Commentaria in Sacram Scripturam*, Venetiis, Io. Sessa 1596.
Ugolinus Blasius *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1745-1747.
Varro M. Terentius *De Lingua Latina*, Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri 1910.
Virgilius Maro * Opera, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

DOMINICALIA

Dominica tertia post Pasch.

Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad patrem etc.
Mirantur Apostoli audientes hec Christi verba nec intelligunt. dicuntque quid est hoc quod dicit nobis modicum et non
videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad patrem? dicebant ergo quid est hoc quod dicit nobis modicum?
nescimus quid loquitur. mirantur sicut hebrei videntes in deserto manna quod de celo descenda-
bat, nec sciebant quid esset. man hu? man hu? quid est hoc? quid est hoc? sic Apostoli hodie. quid est hoc quod dicit
nobis modicum? nec immerito non intelligunt Apostoli Christi verba. modicum et iam non videbitis me, et iterum
modicum et videbitis me quia vado ad patrem. in verbis enim istis quattuor misteria continentur. miste-
rium vite Christi in mundo brevissime, et misterium mortis eius. hoc est modicum et non videbitis me. de-
inde misterium resurrectionis et ascensionis eius: et iterum modicum et videbitis me quia vado ad
patrem. hec sunt quattuor illa difficilia et mirabilia Salomonis. tria mihi difficilia sunt, et quartum
penitus ignoro. viam aquile in celo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris
et viam viri in adolescentula, sive in virgine. hoc est quadriforme animal Ezechielis habens faciem
hominis, vituli, leonis et aquile. faciem hominis in incarnatione nativitate et vita, faciem vituli in
passione et morte, faciem leonis in resurrectione, et faciem aquile in ascensione. misteria autem hec
omnia supra modum mirabilia sunt. et que vix angeli de ore Christi audientes capere potuissent.
sed brevissime Christus quattuor hec reducit ad duo. amen amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mun-
dus autem gaudebit. vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. quod sequenti exemplo
mulieris parturientis declarat. mulier cum parit tristitiam habet quia venit hora eius. cum autem peperit
filium iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundum. sic vos nunc tri-
stitiam habetis. iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. lo-
quitur de tristitia passionis et de gaudio resurrectionis. modicum et non videbitis me, quia cru-
cifigar et moriar. hinc plorabitis et flebitis vos. eritis sicut mulier parturiens. sicut vidit
Johannes in Apoc: mulierem in celo, que habens in utero clamabat parturiens et cruciabatur
ut pareret. sed tandem peperit filium masculum qui statim raptus est ad deum, et ad thronum
ipsius. nec enim loquitur ibi Johannes de misterio nativitatis Christi ex virgine, quia hec virgo
Christum peperit sine dolore. et misteria Apocalypsis sunt a resurrectione Christi usque ad diem iudicii. sed
loquitur de Christi resurrectione que altera fuit nativitas ad vitam immortalem. unde Christus
dicitur primogenitus mortuorum. et Paulus interpretatur illud psalmi. ego hodie genui te de
Christi resurrectione. sicut autem nativitatem hominis precedit maximus dolor matris, sic Christi
resurrectionem precessit maximus dolor totius Ecclesie in passione et morte ipsius. plorabitis
et flebitis vos. mulier cum parit tristitiam habet. sed resurgens iterum videbo vos et gaudebit cor
vestrum. mulier cum peperit filium non meminit pressure propter gaudium. sic Joseph postquam
eductus e carcere factus fuit gloriosissimus princeps mundi, oblitus fuit preteritarum
afflictionum. hinc filium suum primogenitum vocavit Manassem quod est oblivio dicens. oblivi-
sci me fecit deus laborum meorum. hec duo nobis consideranda sunt ignominia mortis Christi
et gloria resurrectionis ipsius. magna fuit ignominia passionis Christi. fuit eius mors acer-
bissima. hinc tristitiam habebitis, plorabitis et flebitis vos. hinc forte in sacro hodierno evangelio
septies replicatur verbum istud modicum. septenarius autem numerus multitudinem designat. passus
est enim Christus omne passionis genus. sed septuplici huic modico multiplici huic humilitati mul-
tiplex respondet gloria. hinc post resurrectionem Johannes vidit Christum cum gloria in medio septem
candelabrorum aureorum, et in medio septem celestium stellarum, cuius facies sicut sol resplendebat

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DOMINICALE PRIMUM

DOMINICA III POST PASCHA

Modicum et... non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem, etc. [1]

Merito Apostoli mirantur audientes verba Christi,

I. Mirantur Apostoli audientes haec Christi verba, nec intelligunt dicuntque: *Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit* nobis*: Modicum? Nescimus quid loquitur.* [2] Mirantur sicut Hebraei videntes in deserto manna quod de coelo descenderat, nec sciebant quid esset: *Man hu? man hu? ... Quid est hoc? quid est hoc?* [3] Sic Apostoli hodie: *Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum?* Nec immerito non intelligunt Apostoli Christi verba: *Modicum et iam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.* In verbis enim istis quattuor mysteria continentur: mysterium vitae Christi in mundo brevissimae et mysterium mortis eius, hoc est: *Modicum et non videbitis me;* deinde mysterium resurrectionis et ascensionis eius: *Et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.*

continent enim quattuor mysteria supra modum mirabilia.

Haec sunt quattuor illa difficilia et mirabilia Salomonis: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentula* sive *in virgine.* [4] Hoc est quadriforme animal Ezechielis habens faciem hominis, vituli, leonis et aquilae: [5]

1) Pericope huius diei Io 16, 16-22. Cf. Missale Rom. 2) Io 16, 17-18. 3) Ex 16, 15. 4) Prv 30, 18-19. Vulg.: *Tria sunt difficilia mihi*, etc. Ex hebraico. 5) Cf. 10, 14.

faciem hominis in incarnatione, nativitate et vita; faciem vituli in passione et morte; faciem leonis in resurrectione et faciem aquilae in ascensione. Mysteria autem haec omnia supra modum mirabilia sunt et quae vix Angeli de ore Christi audientes capere potuissent.

Loquitur specialiter Christus de tristitia passionis et de gaudio resurrectionis,

II. Sed deinde Christus quattuor haec reducit ad duo: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod quidem exemplo mulieris parturientis declarat: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit filium, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Sic vos nunc... tristitiam habetis; iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* [6] Loquitur de tristitia passionis et de gaudio resurrectionis. *Modicum et non videbitis me,* quia crucifigar et moriar, hinc *plorabitis et flebitis vos,* eritis sicut mulier parturiens, sicut vidit Ioannes in *Apocalypsi* mulierem in coelo, quae habens in utero, clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret; sed tandem peperit filium masculum, qui statim raptus est ad Deum et ad thronum ipsius. [7] Nec tamen loquitur ibi Ioannes de mysterio nativitatis Christi ex Virgine, quia tunc Virgo Christum peperit sine dolore, et mysteria *Apocalypsis* sunt a resurrectione Christi usque ad diem iudicii; sed loquitur de Christi resurrectione, quae altera fuit nativitas ad vitam immortalem; unde Christus dicitur *primogenitus mortuorum,* [8] et Paulus interpretatur illud *Psalmi: Ego hodie genui te,* [9] de Christi resurrectione. [10]

nam Christi resurrectionem praecessit maximus dolor totius Ecclesiae in passione et morte ipsius.

Sicut autem nativitatem hominis praecedit maximus dolor matris, sic Christi resurrectionem praecessit maximus dolor totius Ecclesiae in passione et morte ipsius: *Plorabitis et flebitis vos; Mulier cum parit, tristitiam habet; sed* resurgens, *iterum videbo vos et gaudebit cor vestrum. Mulier... cum pepererit filium, non meminit pressurae propter gaudium;* sic Ioseph, postquam eductus e carcere, factus fuit gloriosissimus princeps mundi, oblitus fuit praeteritarum aflictionum, [11] hinc filium suum primogenitum vocavit *Manasses,* quod est

6) Io 16, 20-22. Vulg.: *Pepererit puerum... et vos igitur nunc,* etc. 7) Cf. 12, 2-5.
8) Ibid. 1, 5. 9) 2, 7. 10) Cf. Hebr 1, 3-5. 11) Cf. Gn 41, 14-15.

oblivio, dicens: *Oblivisci me fecit Deus... laborum meorum.*[12] Haec duo nobis consideranda sunt: ignominia mortis Christi et gloria resurrectionis ipsius.

Haec duo nobis hodie consideranda proponuntur,

Magna fuit ignominia passionis Christi, fuit eius mors acerbissima, hinc: *Tristitiam habebitis; plorabitis et flebitis vos.* Hinc forte in sacrosancto hodierno Evangelio septies replicatur verbum istud: *modicum;* septenarius autem numerus multitudinem designat, passus est enim Christus omne passionis genus. Sed septuplici huic modico, multiplici huic humilitati, multiplex respondet gloria. Hinc post resurrectionem Ioannes vidit Christum summa cum gloria in medio septem candelabrorum aureorum et in medio septem coelestium stellarum, cuius facies sicut sol resplendebat.[13] Septem autem candelabra aurea significant septem Ecclesias, idest omnem multitudinem fidelium electorum, et septem stellae omnem multitudinem Angelorum Dei; hoc est: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,*[14] in paradiso et in Ecclesia. Consideranda sunt nobis haec duo, quoniam Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[15] Sicut enim *oportuit pati Christum et resurgere a mortuis,*[16] ita *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*[17] Si mulier vult habere filium, necesse est ut patiatur dolores partus.

12) Ibid. vr. 51. 13) Cf. Apc 1, 12-16. 14) Mt 28, 18. 15) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 16) Lc 24, 26; Act 17, 3. 17) Act 14, 21.

DOMINICA IV POST PASCHA

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, etc. [1]

Christus in coelum ascensurus Apostolos consolatur promittens illis Spiritum Sanctum.

I. Sicut Elias ascensurus in coelum igneo curru consolabatur dilectissimum discipulum et ministrum suum Eliseum,[2] sic Christus hodie iturus ad Patrem consolatur Apostolos et discipulos suos, qui multo magis tristabantur de abscessu Christi quam Eliseus de discessu Eliae. Sed sicut ex discessu Eliae magnam sortitus fuit utilitatem Eliseus, nam, accepto illius pallio, duplici repletus fuit spiritu illius, sicut petierat: *Fiat in me duplex spiritus tuus... Requievit Eliae spiritus super Eliseum,*[3] ita Christus ait hodie: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*[4] Sicut, inquit, Eliseus non accepit spiritum Eliae, nisi postquam Elias ascendit igneo curru in coelum, ita et vos non accipietis duplicem spiritum meum, idest Spiritus Sancti plenitudinem, nisi postquam ego assumptus fuero in coelum et sedero ad dexteram Patris, quoniam sic a Patre meo ordinatum est, ut ex operibus divinis manifestetur, me corpore absente, Spiritus Sancti divinitas, sicut ex miraculis divinitas mea manifestata est, et ut divinitas mea magis ac magis clarescat ex missione Spiritus Sancti de coelo super vos. Hinc enim palam fiet me verum esse Deum, cum Spiritum Sanctum a me et Patre procedentem, verum Deum, super vos misero, divina opera efficientem, nam ab effectibus causa dignoscitur, a fructibus arbor.[5]

1) Pericope huius diei Io 16, 5-14. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 4 Rg 2, 1-11.
3) Ibid. vrr. 9-15. Vulg.: *Requievit spiritus Eliae*, etc. 4) Io 16, 7. 5) Cf. Mt 12, 33.

II. *Expedit vobis ut ego vadam.* Ad utilitatem nostram Deus coelum et terram creavit et *omnia operatur secundum consilium voluntatis suae;* [6] ad nostram utilitatem mundum regit atque conservat divina providentia; ad nostram utilitatem Christum prius misit in mundum et postea assumpsit in coelum; sicut ad utilitatem nostram oritur sol et occidit, sic Christus et natus et mortuus est. *Expedit vobis ut ego vadam* ad Patrem meum, a quo exivi, nam: *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* [7] *A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.* [8]

Ad utilitatem nostram Christus natus et passus est et in coelum ascendit.

Vado ad eum qui misit me. Sed, bone Iesu, si tu verus es Deus de Deo vero, auctor naturae, fons gratiae et thesaurus gloriae, a quo emanat *omne datum optimum et omne donum perfectum,* [9] quomodo expedit nobis ut discedas a nobis? Quia, inquit, *si* ego *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos; Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis... Spiritum veritatis,* [10] *qui a Patre procedit.* [11] *Alium,* inquit, *Paraclitum,* mihi coaequalem et consubstantialem, nihilo me minorem, nihilo inferiorem, sed vivum et verum Deum, qui vos in omnibus adversitatibus et pressuris mundi consolabitur, proteget atque defendet.

Expedit vobis ut ego vadam, alioquin *Paraclitus non veniet ad vos,* non replebimini Spiritu Sancto meo, sicut Eliseus spiritu Eliae. Quod [si] scire vultis quaenam emolumenta quasve utilitates allaturus sit vobis Spiritus Sanctus post discessionem meam, attendite: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.* [12] *Arguet mundum,* idest convincet mundum, constituet vos mundi victores et triumphatores, cum fide perfectissima impleverit, nam *haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra;* [13] dabit *vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere* neque *contradicere omnes adversarii vestri,* [14] sicut sapientes Iudaeorum disputantes cum Stephano *non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur;* [15] nam ait: *Non... estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* [16] Efficiet ut praedicatione Evangelii et miraculorum operatione convincatis mundum *de peccato... de iustitia et de iudicio. De*

nam Spiritus Sanctus post ipsum in mundum veniens, multas utilitates allaturus erat,

6) Eph 1, 11. Vulg.: *Operatur omnia,* etc. 7) Io 16, 28. 8) Ps 18, 7. 9) Iac 1, 17. 10) Io 14, 16-17. 11) Ibid. 15, 26. 12) Ibid. 16, 8. 13) 1 Io 5, 4. 14) Lc 21, 15. 15) Act 6, 10. 16) Mt 10, 20. Vulg.: *Non... vos estis,* etc.

eo enim accepto, Apostoli mundum vicerunt fide et praedicatione Evangelii,

peccato quidem, quia non crediderunt in me, idest quod omnis qui non credit in Christum, manet in peccato, in ira Dei, in statu perditionis et damnationis aeternae. *De iustitia autem, quia ad Patrem vado,* [17] idest efficiet ut convincatis mundum quod nonnisi in fide Christi reperiri potest iustitia, nam: *Iustus... ex fide vivit;* [18] *Sine fide... impossibile est placere Deo;* [19] *Non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi.* [20] Quod autem ego sum fons gratiae et auctor omnis iustitiae, hinc elucet: *Quia ad Patrem vado,* ita ut assumptus in coelum, sessurus sim ad dexteram Dei, quod divinitatem meam declarabit, ita ut non rapinam arbitratus sim esse me aequalem Deo, licet formam servi acceperim factus homo. [21] Tandem *de iudicio,* quod ego constitutus sim *a Deo iudex vivorum et mortuorum,* [22] quia *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio;* [23] hoc autem elucet, quia *princeps huius mundi iam iudicatus est;* [24] *Nunc* enim *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras.* [25] Sicut ergo daemones iudicavi, sic tandem iudicaturus sum homines. Haec igitur prima erit utilitas: constituet vos mundi victores per fidem et praedicationem Evangelii, efficiet ut mundum convertatis.

repleti divinitus fuerunt omni sapientia,

Altera utilitas est, quia *cum... venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* [26] implebit vos divinitus omni sapientia omnique scientia et intellectu et Salomone faciet sapientiores; *docebit vos omnem veritatem,* quia ipse est spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii, spiritus scientiae, [27] qui omnia novit arcana Dei. [28]

spiritu quoque Prophetiae donati,

Tertia utilitas est: *Quaecunque audiet loquetur et quae ventura sunt annunciabit vobis.* [29] Constituet vos prophetas veritatis, ut Divino Spiritu afflati, corde praesago futura, quae solus Deus novit, praedicatis. Non constituet mendaces prophetas, sed veros, nam *quaecunque audiet* a Deo Patre, qui summa veritas est, *loquetur.* Humanus autem animus futurorum scientiam avidissime ambit, nam haec ipsum Deo, qui omnia novit, quam similem reddit.

Quarta tandem utilitas est, quia *ille me clarificabit,* [30] idest glori-

17) Io 16, 8-10. Vulg.: *De iustitia vero,* etc. 18) Hab 2, 4; Rom 1, 17. 19) Hebr 11, 6. 20) Gal 2, 15. Vulg.: *Nisi per fidem,* etc. 21) Cf. Phil 2, 6-7. 22) Act 10, 42. 23) Io 5, 22. Vulg.: *Neque... Pater,* etc. 24) Ibid. 16, 11. 25) Ibid. 12, 31. 26) Ibid. 13, 16. 27) Cf. Is 11, 2. 28) Cf. 1 Cor 2, 10. 29) Io 16, 13. 30) Ibid. vr. 14.

ficabit, ita ut in nomine meo *omne genu flectatur... et omnis lingua confiteatur*, quod *in gloria* sim *Dei Patris,*[31] *quia de meo accipiet et annunciabit vobis:*[32] efficiet plenitudine gratiae et coelestis divinaeque virtutis infusione, ut vos vitae admirabili sanctitate, supernaturali doctrina, Evangelii praedicatione et miraculorum operatione nomen meum universum per orbem glorificetur, quae vobis maxima erit gloria; nam procul dubio gloria capitis gloria est membrorum, gloria patris gloria filiorum. Sicut enim sol luce sua stellas clarificat, ita Christus gloria sua Apostolos glorificavit et ex plenitudine Spiritus Sancti facti sunt ex piscatoribus gloriosissimi principes Ecclesiae, lux mundi, sal terrae, civitas supra montem posita,[33] piscatores hominum,[34] doctores gentium, salvatores mundi.

admirabili sanctitate et gratia miraculorum praediti.

III. Prima igitur utilitas est: *Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio : de peccato* relinquendo et fugiendo ac per poenitentiam delendo; *de iustitia* sectanda et exercenda per divinae legis observantiam ; *de iudicio* formidando et expectando. Hos enim effectus principaliter operatur Spiritus Sanctus in corde credentium ubi inhabitat: odium peccati, amorem virtutis, famem sitimque iustitiae, timorem supplicii et spem praemii. Haec enim duo erunt in finali iudicio: iustis dabuntur aeterna praemia meritorum et peccatoribus iusta supplicia delictorum.

Effectus Spiritus Sancti sunt odium peccati, amor virtutis timor supplicii, spes praemii.

Circa haec tria examinanda conscientia nostra est: *de peccato ... de iustitia et de iudicio. De peccato, quia non crediderunt in me :* omnis qui non credit in Christum fide viva, in peccato est, in statu damnationis: *Qui ... non credit, iam iudicatus est.*[35] *De iustitia, quia ad Patrem vado :* iustitia necessaria est ad salutem; sine iustitia nemo potest salvari, nemo vadit ad Patrem, nemo potest cum Christo in coelum ascendere; iustitia est via salutis, scala coeli, porta paradisi, clavis regni coelorum. Tandem *de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est* in aeternum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius ;*[36] *Ibunt hi in supplicium aeternum*[37] propter iustitiam neglectam et iniquitatem dilectam atque patratam.

Circa haec examinanda est conscientia nostra.

Arguet mundum, idest homines qui in mundo sunt, *de peccato et*

31) Phil 2, 10-11. 32) Io 16, 14. 33) Cf. Mt 5, 13-16. 34) Cf. ibid. 4, 19.
35) Io 3, 18. 36) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 37) Ibid. vr. 46.

Acutissimis stimulis Spiritus Sanctus urget ad fugiendum peccatum, sectandam iustitiam, formidandum divinum iudicium,

de iustitia et de iudicio. Spiritus enim Sanctus acutissimis stimulis urget animum ad fugiendum peccatum, ad sectandam iustitiam, ad formidandum divinum iudicium, ita ut animus rationibus spiritus convictus non possit resistere divinis impulsibus: *Durum est... contra stimulum calcitrare.* [38] stendit vivis rationibus et irrefragabilibus demonstrationibus, argumentis insolubilibus turpitudinem peccati, damna et iniucunditatem iniquitatemque; ostendit iustitiae pulcritudinem, iucunditatem, honestatem et emolumenta, divini iudicii severam rigidamque et inflexibilem iustitiam immutabilemque sententiam, aeterna supplicia praemiaque perpetua, virtutum et vitiorum, bonorum operum atque malorum: *Ibunt* impii *in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* [39]

insuper animum replet caritate

Secunda utilitas est: *Docebit vos omnem veritatem* fide credendam, spe expectandam, caritate diligendam: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo ;* [40] multi *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* [41] Sed Spiritus Sanctus docet omnem veritatem, etiam iustitiae: *Qui... facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* [42]

et cogitatione novissimorum.

Tertia est: *Quae ventura sunt annunciabit vobis,* maxime vero quattuor novissima: mortem, iudicium, inferni poenas et gloriam paradisi.

38) Act 9, 5. 39) Mt 25, 46. 40) Ps 4, 6-7. 41) Ier 4, 22. 42) Io 3, 21.

DOMINICA V POST PASCHA

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quicquam, etc. [1]

Promittit hodie Christus fidelibus suis plenum gaudium, et promissionem suam iuramento confirmat.

I. Dat hodie Christus fidelibus suis clavem regni coelorum, clavem omnium thesaurorum Dei, ut eos aperire possint, [1a] adeo ut nihil eis deesse possit, sed omnibus Dei bonis frui possint, ut gaudium cuiusvis fidelis sit plenum: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*[2] Nec simplici verbo hoc dicit Christus, sed dictum suum firmamento maximo confirmat, divino, inquam, iuramento, dicens: *Amen, amen dico vobis:* in veritate firmissime ac certissime dico vobis. Sicut Deus Abrahae dixit: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: Quia fecisti hanc rem,* benedicens *benedicam tibi,* [3] sic Christus hodie iuramento dictum suum confirmat. Quando autem rex promittit aliquid et iuramento promissionem confirmat, sicut fecit David Bethsabee cum promisit ei quod Salomonem facturus erat regem super omne regnum Israelis, [4] nihil dubitandum est. Cum enim rex possit praestare quod promittit, iurans ostendit se firmissime velle stare promissis; sic hodie Christus, *Rex regum et Dominus dominantium,* [5] promittit et promissum iuramento confirmat, ut nihil omnino dubitandum sit de veritate divinae huius promissionis, nam ipse qui promittit, potest et vult praestare quod promittit, sicut ipsemet ait: *Si quid petieritis... in nomine meo, hoc faciam.* [6]

II. Est autem promissio haec divina magna utique, imo maxima et quam vere solus Deus servare potest: *Si quid petieritis Patrem in*

1) Pericope huius diei Io 16, 23-30. Cf. Missale Rom. 1a) Ms.: *Aperire possit... ei deesse... frui posse.* 2) Io 16, 24. 3) Gn 22, 16-17. 4) Cf. 3 Rg 1, 28-30. 5) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 6) Io 14, 14.

Magna promissio, quam solus Deus servare potest; Christus autem Deus est.

nomine meo, dabit vobis. Elias ascensurus in coelum dixit ad Eliseum: *Postula* a me *quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te.* [7] Magna oblatio; at cum petisset Eliseus: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus,* respondit: *Rem difficilem postulasti ; si tamen videris me cum ego tollar a te, fiet tibi quod petisti.* [8] At Christo nihil difficile est. Hinc sicut Deus, cui omnia possibilia sunt, dixit Salomoni: *Postula* a me *quod vis,* [9] cumque postulasset Salomon sapientiam, Deus et magnum ei contulit thesaurum sapientiae et amplius infinitam copiam divitiarum gloriamque quam maximam, [10] quoniam Deus omnia potest, sic Christus ait: *Si quid petieritis Patrem... dabit vobis.*

Docet Scriptura necessariam connexionem inter petitionem et concessionem.

Magna est connexio inter petitionem et concessionem: *Si... petieritis... dabit : Postula a me et dabo tibi ;* [11] *Aperi os tuum et implebo illud ;* [12] *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* [13] Videtur oratio esse antecedens, ad quod necessaria consequentia succedit, [13a] uti: homo est animal rationale, ergo Petrus est animal rationale. Sic docet Divina Scriptura quod necessario ad supplicationem orationis sequitur concessio gratiae, et si dubitandum est, potius dubitandum est de veritate antecedentis, quam de veritate consequentis et consequentiae. Hinc Christus samaritidi mulieri dixit: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* [14] Illud *forsitan* posuit Christus iuxta *petisses,* non autem iuxta *dedisset.* Sic hodie ait: *Si... petieritis... dabit vobis.* Particulam dubitandi rationi coniunxit, non concessioni. Non enim est Deus sicut homo qui, etsi potest aliquod beneficium conferre, multoties non vult: petit pauper eleemosynam a divite; at dives, quamvis possit largiri, negat. Certus est pauper cum petit de sua petitione, sed dubitare potest de divitis largitione. At non sic apud Deum; de nobis potius dubitandum est quam de Deo.

III. Consideranda sunt autem nobis verba divinae huius promissionis: *Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine*

7) 4 Rg 2, 9. 8) Ibid. vrr. 9-10. Vulg.: *Attamen si videris me quando tollar a te, erit tibi.* etc. 9) 3 Rg 3, 5; 2 Par 1, 7. 10) Cf. 3 Rg 3, 9-13; 2 Par 1, 10-12. 11) Ps 2, 8. 12) Ps 80, 11. Vulg.: *Dilata os tuum,* etc. 13) Mt 7, 7; Lc 11, 9. Vulg.: *Dabitur vobis,* etc. 13a) Ms.: *Consequens* adicitur. 14) Io 4, 10.

meo, dabit vobis. Iurat primo Christus ad confirmandam promissionis huius veritatem, ut eam firmissime credamus et nullatenus dubitemus. Deinde loquitur conditionaliter: *Si quid petieritis.* Multi stulte dicunt: Ad quid orare Deum, toties et tantopere in oratione perseverare? Vel Deus determinavit velle se gratiam aliquam concedere, vel non. Si sic determinavit ab aeterno, concedet mihi absque oratione; sin autem, oratio mea non poterit mutare divinum propositum.

Verba sua Christus iuramento firmat, ut de veritate promissionis suae nullatenus dubitemus.

Stulte! Determinavit Deus dare, sed petenti et oranti; determinavit ut vivas, sed mediante nutrimento; determinavit dare tibi scientiam et doctrinam, sed si studeas; determinavit dare bonam messem, sed si semines et colas terram; determinavit dare tibi filios, sed si uxorem ducas ad filios procreandos. Sic cum certitudine divinae praedestinationis immutabilis manet libertas liberi arbitrii, quod mutabile est; et sicut veritas huius dicti, quod Petrus sit animal rationale, pendet ex duabus praemissis, quarum una est necessaria, altera vero conditionalis: necessaria est quod homo est animal rationale, conditionalis, quod Petrus sit homo, nam antequam conciperetur non erat homo, post mortem non erit homo, conclusio tamen sequitur ex praemissis necessaria et conditionali; sic concessio gratiae oritur ex necessaria et immutabili determinatione divinae voluntatis et ex conditionali humanae orationis.

Concessio gratiae oritur ex necessaria determinatione divinae voluntatis et ex conditionali humanae orationis.

Sicut autem nunquam verum erit quod Petrus sit animal rationale, nisi verum sit quod Petrus sit homo, sic absque oratione, quae est veluti conceptio et nativitas hominis, non conceditur gratia. Nam quamvis Deus absque oratione possit gratiam concedere, sicut absque conceptione et nativitate hominem formare, quemadmodum formavit primos humani generis parentes,[15] tamen, post illos homines, determinavit ut omnes per viam ordinariam nascerentur et fierent homines; et sicut ex propositione necessaria: homo est animal rationale, sequitur conclusio: Petrus ergo est animal rationale, quae quidem conclusio est conditionalis, quoniam ante nativitatem non fuit, nec post mortem erit animal rationale, sic ex necessaria ordinatione Dei oritur conditionalis concessio gratiae. Quemadmodum etiam ex causa necessaria oritur effectus contingens, uti sol necessario immittit lumen in mundum, sed templum istud contingenter illuminat, nam

Potest Deus gratiam concedere etiam absque oratione, statuit tamen sine ea nihil concedere

15) Cf. Gn 1, 26-27.

clausis portis et fenestris non illuminabit, sic in proposito accidit in oratione; propterea Christus dicit: *Si ... petieritis ... dabit vobis.* Petitio est conditionalis: *Si ... petieritis;* at non sic ex parte Dei, nam absolute inquit: *Dabit vobis;* et non dicit: Forsitan dabit, sed absolute: *Dabit vobis.* Si igitur consequi gratiam volumus, oratione nobis opus est.

eique nihil negare.

IV. Deinde ait: *Si quid petieritis.* Quid proprie dicit substantiam, sicut quale dicit accidens. *Si quid petieritis.* In oratione dominica docuit ipse Dominus ut petamus: *Panem nostrum super substantialem da nobis hodie.* [16] Docet autem hoc verbo Christus quod petere debemus bona et non mala. Nam si petimus mala, uti vindictam inimicorum, non petimus *quid;* sed aliquid aliud a *quid,* petimus nihil. Bona etiam temporalia sunt homini potius accidens quam substantia, nam sine eis homo potest esse et vivere, nec possunt temporalia bona plenum gaudium homini afferre, hinc *vanitas vanitatum* dicuntur *et omnia vanitas.* [17] Christus autem petendum docet ut gaudium nostrum sit plenum: *Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum,* [18] *et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* [19] Docet ergo ut spiritualia et coelestia bona praecipue petamus, thesaurizantes nobis in coelo et non in terra. [20]

Ut oratio certe exaudiatur, petenda sunt vera bona, idest spiritualia;

Temporalia autem petamus quae necessaria sunt ad vitam sustentandam, nam alioquin sunt nobis saepe nocumento temporalia bona, quamvis nobis utilia videantur. Hinc cum haec petimus, saepe non exaudit Deus, sicut cum mater filiorum Zebedaei petiit a Christo pro filiis regni primatum, [21] non exaudivit eam Christus, vel, ut melius dicam, exaudivit non petitionem, sed intentionem petentis. Existimabat mulier quod plenum foret gaudium suum et filiorum, si gloriam illam filii consecuti fuissent; Christus autem sciens quod nequaquam id futurum erat, quoniam temporalia bona spinae sunt quae animum pungunt atque cruentant, negavit et plenum gaudium eis promisit atque concessit. Sic Salomon matri negavit petitam gratiam, quoniam putabat illa utile fore ad firmandum regnum in

temporalia autem ea sola petenda sunt quae ad vitam sustentandam requiruntur.

16) Mt 6, 11. 17) Eccle 1, 2; 12, 8. 18) Io 16, 24. 19) Ibid. vr. 22.
20) Cf. Mt 6, 19-20. 21) Cf. ibid. 20, 20-23.

manu filii dare Abisag reginam Adoniae,[22] quod futurum erat in perniciem; quod quidem non intendebat Bethsabee, sed omnino aversabatur. Sic Salomon intentionem et animum matris exaudivit, non verba. Paulus etiam propterea, cum Dominum ter rogasset ut liberaretur a stimulo carnis, angelo satanae,[23] exauditus non fuit, quoniam talis gratia non erat ei futura valde utilis, nam inquit: *Virtus in infirmitate perficitur.*[24]

Saepe Deus bona negat quae praevidet nobis obfutura.

Multa enim petimus magna cum instantia, quae cum acceperimus, poenitet nos accepisse, sicut accidit Rebeccae: petiit filios, sed postea sentiens dolores mortis, quoniam collidebantur infantes in utero, poenituit se gratiam talem petiisse et accepisse;[25] sic etiam Racheli accidit, quoniam in doloribus partus mortua fuit morteque sua emit filii vitam.[26] Multa Deus negat propitius quae concedit iratus,[27] sicut concessit Hebraeis carnes in deserto.[28] Saepe ergo Deus negat bona quae petimus, quoniam quae bonis bona videntur et utilia fore speramus, praevidet noxia fore. Petit infirmus febricitans matri bibere aquam vel vinum, sperans ex potu refrigerium et consolationem; at mater negat, quoniam scit quod si haec concedat, obfutura sunt ei.

Bene petendum est, idest cum humilitate et magna spe divinae bonitatis.

V. Exaudit igitur semper Deus cum bona petimus et quae nobis utilia futura sunt, modo tamen quae petimus bene petamus, nam inquit: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*[29] Non inquit: eo quod mala petatis, sed *eo quod male petatis.* Hoc est quod ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Hoc est bene petere, in nomine Christi petere, non confidendo de propriis meritis apud Deum, sed de meritis Christi; hoc est in nomine Christi petere. Humilem ergo Christus orationem requirit et ex fide factam: *Postulet autem*, inquit Divus Iacobus, *in fide, nihil haesitans;*[30] factam cum multa spe et fiducia divinae bonitatis. Hinc ait: *Si quid petieritis Patrem.* Non inquit: Patrem meum, sed *Patrem*, Deum, qui Pater vester etiam est, qui paterna caritate vos diligit paternoque affectu vobis omne bonum desiderat.

22) Cf. 3 Rg 2, 20-25. 23) Cf. 2 Cor 12, 7-8. 24) Ibid. vr. 9. 25) Cf. Gn 25, 21-22. 26) Cf. ibid. 35, 16-19. 27) S. Augustinus Serm. 355, cp. 7, (P. L. 39, 1567); *De Unitate Ecclesiae*, cp. 19, ibid. 43, 429. 28) Cf. Nm 11, 31 sqq. 29) Iac 4, 3. 30) 1, 6.

cum fiducia in meritis Christi

Est Deus tanquam organum plenum flatu, quod statim ut organista tangit, sonum emittit iuxta organistae mentem et voluntatem; est fons indeficiens, perennis, aeternus; hinc ait Isaias: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate ?* [31] Fons est Deus aquae vivae, vini, lactis, mellis et olei: *Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* [32] Invitat autem hic fons omnes, neminem excludit: *Omnes sitientes venite ad aquas: omnes*, non tantum iustos, sed etiam peccatores; hoc est quod ait: *Qui non habetis argentum*, qui non habetis merita, *venite, emite* absque vestris meritis, meritis Christi, in nomine Christi, *vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus. ?* Argentum hebraice dicitur כֶּסֶף, [33] quasi desiderium, eo quod sit res desiderabilis. Cordis autem desiderium argentum est quo possumus emere nobis a Deo omne bonum, quod conferat nobis vitam aeternam.

et cum magno desiderio obtinendi quod petimus.

Sed vos, o mundi amatores, *quare appenditis argentum* istud *non in panibus ?* Cur nonnisi vanitates huius saeculi fallaces desideratis? Cur dereliquistis *fontem aquae vivae* et fodistis vobis cisternas, *quae continere non valent aquas ?* [34]

Hoc est petere in nomine Christi et haec est oratio quae coelum aperit.

Amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si tamen *in nomine meo* petieritis. Sicut enim serula – quem luchettum dicimus, – quae non clavi aperitur, sed cognitione litterarum, nisi sciatur nomen, aperiri non potest, sic nonnisi in Christi nomine aperiri potest coelum, ut descendat nobis gratia divina quam cupimus et petimus. Sicut autem nomen illud ex pluribus constat litteris in pluribus circulis, et si una desit littera non rite disposita, aperiri minime potest, sic Christi hoc nomen plures includit conditiones, quae orationi necessariae sunt ut exaudiatur. Necessaria est fides, necessaria spes, necessaria humilitas, necessaria perseverantia, necessaria devotio, attentio mentis cordisque recta intentio. [35]

31) 55, 1-2. 32) Dt 32, 13. 33) Ms.: *Chesep*h. 34) Ier 2, 13. 35) In codice sequitur Dominica infra Octavam Ascensionis, quam nos suo loco posuimus, post Festum Ascensionis. Cf. infra, pag. 43.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI

Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei. [1]

I. Celebramus hodie festum solemnissimum et festivissimum diem gloriosae et admirabilis ascensionis Christi Domini nostri in coelum. Quod quidem mysterium designatum est in facie aquilae, divini illius animalis apud E z e c h i e l e m : *Et facies aquilae desuper ipsorum quattuor;* [2] nam facies hominis Christi designat nativitatem, facies vituli passionem, facies leonis resurrectionem et facies aquilae ascensionem in coelum. Haec sunt quattuor mirabilia illa apud S a l o - m o n e m : *Tria mihi difficilia sunt,* hebraice: *mirabilia super me, et quartum penitus ignoro,* imo *quattuor non cognovi ea : viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentula,* sive *in virgine.* [3] Et quidem sacrum illud et mysteriosissimum animal cum quattuor faciebus et rotis Christi personam designat ob quattuor status humanae naturae in ipso perfectissimos; nam facies hominis designat statum innocentiae, facies vituli statum poenae, quoniam factus est *in similitudinem carnis peccati,* [4] facies leonis statum gratiae et facies aquilae statum gloriae, qua Christi anima tanquam aquila faciem Divini Solis, qui *lucem habitat inaccessibilem,* [5] semper est contemplata. Resplenduit autem maxime Christi innocentia in nativitate, poena in passione, gratia in resurrectione, quae apertissime demonstrat Christi divinam sanctitatem, quod non sit passus ob propria peccata, et gloria in ascensione.

Coeleste animal ab Ezechiele visum Christum praefigurabat

in quattuor statibus naturae humanae.

1) Pericope huius diei Mc 16, 14 sqq. Cf. Missale Rom. 2) 1, 10. 3) Prv 30, 18-19. Ex hebraico. 4) Rom 8, 3. 5) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat inaccessibilem.*

In sacro illo animali significantur praecipue mysteria passionis, resurrectionis et ascensionis Christi.

II. De sacro illo animali tria praecipue legimus, duo quidem in 1 capite Ezechielis, tertium vero in 10 capite. Primum quod legimus est, quod animalia ibant *ubi erat impetus spiritus;* [6] alterum, quod animalia *revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis;* [7] tertium, quod animalia elevata sunt de terra, ait enim: *Et elevata sunt Cherubim; ipsum est animal quod videram iuxta fluvium Chobar;* [8] et iterum paulo post: *Et levantia Cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me... et gloria Dei Israel super ea; ipsum est animal quod vidi subter Deum.* [9] Et primum quidem significat mysterium passionis, secundum vero resurrectionis et tertium mysterium ascensionis.

Ad designandum autem mysterium hoc divinae exaltationis sacrum istud animal non solum habebat faciem aquilae, sed etiam habebat alas et alas quattuor totumque quasi ignis splendebat: *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum.* [10] Sicut autem aquila super omnes aves altissime volat, sic Christus super omnes electos: *Nimis exaltatus es super omnes deos;* [11] *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* Alae autem quattuor designant in Christo meritum gloriosae huius ascensionis ex virtutum operibus, hinc sub alis erant manus humanae, [12] quae opera rationabilia significant; in Christo autem quattuor cardinales virtutes perfectissimae fuerunt.

Christus meruit gloriosam ascensionem *a)* ob suam innocentiam,

III. Sed et ob quattuor rationes meruit Christus gloriosam hanc ascensionem in coelum. Prima est Christi innocentia. Cum enim homo ad aeternam beatitudinem in coelesti paradiso perpetuo possidendam conditus et destinatus a Deo fuerit, si permansisset in statu innocentiae in qua conditus fuit, procul dubio assumptus fuisset in coelum; Christus autem homo est innocentissimus, cuius innocentia infinitis gradibus excedit omnem etiam Angelorum innocentiam, sicut sol astrorum omnium claritatem.

b) humilitatem,

Secunda ratio est Christi infinita humilitas, ut docet Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi acci-*

6) Vr. 12. 7) Ibid. vr. 14. 8) Ibid. 10, 15. 9) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Et elevantia*, etc. 10) Ibid. 1, 13. 11) Ps 96, 9. 12) Cf. Ez 1, 8.

piens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen; [13] sic enim *qui se humiliat exaltabitur,* [14] nam Deus per Ezechielem ait: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile.* [15]

Tertia ratio est Christi infinita caritas, ex qua meritum infinitae gloriae sanctitasque infinita ex supereffluenti plenitudine gratiae Spiritus Sancti. Maiori autem gratiae respondet maior gloria; quoniam autem maior est Christi gratia et sanctitas caritasque caritate omnium Sanctorum et Angelorum, oportebat ut gloria et honore coronatus super omnes Angelos exaltaretur. **c) caritatem,**

Quarta ratio est Christi dignitas et nobilitas infinita. Omnes electi sunt filii Dei, sed Christus est primogenitus Filius Dei, princeps et rex omnium electorum. Deus autem in mundi conditura nobilioribus substantiis nobiliora altioraque loca assignavit; hinc posuit hominem in terra, Angelos vero in coelo. **d) dignitatem,**

Sic divina haec aquila quattuor alas habet. Omnes electi appellantur aquilae, nam ait: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.* [16] Sed unaquaeque harum aquilarum nonnisi duas alas habet: alam dexteram caritatis operantis bonum et sinistram patientiae sufferentis mala. Nullus hominum primam habet alam innocentiae a culpa originali, nec quartam alam excellentissimae nobilitatis Christi. Hinc Christus ait: *Quo ego vado, vos non potestis venire,* quia *vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo;* [17] vos ex primo homine terreno de terra estis, ego homo coelestis sum, [18] divina praeditus nobilitate; *vos de mundo hoc estis,* qui *totus in maligno positus est* [19] ob culpam originalem, *ego non sum de hoc mundo.* **quae figurantur per quattuor alas aquilae,**

Tandem erat sacrum animal totum ignitum: *Quasi* aspectus *carbonum . . . ardentium.* Potissima ratio ascensionis Christi in coelum ad sedendum ad dexteram Dei est unio divina. Deus autem *ignis* dicitur in Divinis Scripturis; [20] carbo autem ardens duabus naturis **e) sed potissimum ob suam unionem cum Deo.**

13) Phil 2, 6-9. 14) Lc 14, 11; 18, 14. 15) 17, 24. 16) Mt 24, 28; Lc 17, 37. 17) Io 8, 21-23. 18) Cf. 1 Cor 15, 47-48. 19) 1 Io 5, 19. 20) Cf. Dt 4, 24; 9, 3; Hebr 12, 29.

constat: ligno et igne, nam carbo lignum ignitum est. Sic Christus homo deificatus, divinitati unitus. Ignis autem suapte natura ad supera tendit, hinc Christus ait quod *nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [21]

Christus virtute propria in coelum ascendit.

Ascendit enim Christus in coelum suapte natura et propria virtute; sicut ignis propria virtute sursum tendit, sic solus Christus suapte natura ascendere potuit in coelum. Hinc Eliam non ascendisse legimus in coelum, sed igneo curru raptum; [22] Angelos quoque in coelum ascendentes legimus, sed per scalam, [23] ut sciamus quod ad coelum beatitudinis et beatificae visionis Dei absque divinae gratiae auxilio et supernaturali adiutorio per seipsos propria virtute minime potuissent ascendere. Quod quidem ex lapsu Luciferi patet; volens enim in coelum divinitatis ascendere, lapsus irreparabiliter est: *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer ... qui dicebas in corde tuo : Ascendam in coelum, super astra Dei exaltabo solium meum ... conscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* [24] Quod si in die iudicii omnes sancti et electi Dei una cum Christo ibunt ad possidendam perpetuam gloriam aeternamque vitam in paradiso, non ascendent, sed virtute divina assumentur. Hinc Paulus ait: *Simul rapiemur ... in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* [25]

Ascensio Christi praefigurata fuit in Enoch et Elia.

IV. Est autem hodiernum mysterium admirabilis ascensionis in Divinis Scripturis multifarie multisque modis praefiguratum. Primo quidem in Enoch, qui ob vitae sanctitatem raptus a Deo fuit et in paradisum translatus, quoniam cum Deo ambulavit et invenit gratiam in oculis Domini; [26] in quo ostenditur quid factum fuisset de homine, si in paradiso innocentiam servasset, vivus enim, non intercedente morte, translatus fuisset de terrestri in coelestem paradisum. Praefigurata similiter in raptu Eliae; currus autem igneus significat caritatem ex qua electus quisque meretur gloriam coelestis paradisi; Christi autem infinita ac divina caritas est perfectissima et numeris omnibus simpliciter absoluta; rotae sunt virtutes cardinales et equi ignei merita actionum ex affectibus et passionibus sacratissimi et supersanctissimi Cordis ipsius. Praefigurata in Abrahamo,

21) Io 3, 13. 22) Cf. 4 Rg 2, 11. 23) Cf. Gn 28, 12. 24) Is 14, 12-14. Vulg.: *In coelum conscendam... ascendam super*, etc. 25) 1 Thess 4, 16. 26) Cf. Gn 5, 24; Eccl 44, 16; Hebr 11, 5.

cum ditissimus ascendit de Aegypto in terram promissionis;[27] praefigurata in Moyse, cum ascendit in montem Sinai ibique cum Deo conversatus fuit et resplenduit facies eius divino splendore;[28] praefigurata in Ioseph, qui eductus de carcere iniusto, tonsis capillis, honestis indutus vestibus, coram Pharaone collocatus fuit ab eoque princeps maximus totius regni sui constitutus, indutus vestibus byssinis, accepto anulo regio regiaque torque, et super currum regium declaratus fuit princeps supremus totius regni;[29] sic hodie Christus a Deo universi. Praefigurata in arca testamenti cum, transito Iordane, ingressa fuit in terram promissionis comitata universo exercitu Israelis totoque populo;[30] cum item eadem arca a domo Obededom a David translata fuit in civitatem Ierusalem, in montem Sion, maxima cum exultatione totius Israelis,[31] et cum eadem a Salomone introducta fuit in templum positaque in sancto sanctorum, qui divinitatis locus erat, in medio cherubim, qui divino propitiatorio assistebant;[32] sic hodie Christus coelum ingressus est, imo paradisum et supremam paradisi sedem accepit ad dexteram Dei. Praefigurata in Samsone, cum egressus de civitate Philisthaeorum, in qua videbatur detentus, fractis ostiis, in montem ascendit;[33] sic Christus, fractis portis inferni, ascendit in coelum. Praefigurata in Angelo Domini, qui in humana forma apparuit parentibus Samsonis cumque obtulisset sacrificium Domino, in flamma ignis ascendit in coelum,[34] sicut et Angelus qui Gedeoni apparuit, in flamma ignis sacrificii coelum conscendit.[35] Nec sine mysterio in flamma ignis ascendit Angelus Domini, qui Christum praefigurabat, et post oblatum sacrificium ascendit; sic enim Christus, post passionis suae sacrificium resurgens ex mortuis, ascensurus erat in coelum, accepto statu gloriae etiam in carne et veluti in igneam naturam converso corpore, nam: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*,[36] idest valde subtile, agile, clarum et impassibile. Hinc homo sicut quattuor in Divinis Scripturis status habet, ita etiam quattuor nomina, quae ad amussim quattuor statibus respondent. Vocatur enim אָדָם, אֱנוֹשׁ, גֶבָר et אִישׁ; אָדָם, terrenus,

In Abraham Moyse et Ioseph.

In arca Testamenti.

In Samsone.

In Angelo qui parentibus Samsonis et Gedeonis apparuit.

27) Cf. Gn 13, 1-2. 28) Cf. Ex 34, 24 sqq. 29) Cf. Gn 41, 14-45. 30) Cf. Ios 3, 11-15. 31) Cf. 2 Rg 6, 12-19; 1 Par 15, 15-28. 32) Cf. 3 Rg 8, 1-7; 2 Par 5, 1 sqq. 33) Cf. Idc 16, 1-3. 34) Cf. ibid. 13, 19-20. 35) Cf. ibid. 6, 11-21. 36) 1 Cor 15, 44.

r u b e u s, sicut de terra innocens fuit formatus; [37] אנוש, a f f l i c t u s, poenalis; גבר, f o r t i s, validus, et איש, quasi אש, [38] i g n e u s. Hoc nomen statum gloriae designat; sicut enim locus ignis sursum est, sic locus hominis beati et gloriosi paradisus est. Sic in flamma ignis Angelus Domini ascendit.

in ingressu summi sacerdotis in sancta sanctorum,

Praefiguratum etiam fuit mysterium hoc in ingressu summi sacerdotis in sancta sanctorum, quod empyreum coelum et paradisum gloriae significat, supremam mundi partem, ut P a u l u s *ad Hebraeos* interpretatur: *Christus . . . assistens pontifex,* [39] *penetravit coelum.* [40] Hodie Christus tanquam alter David tertio unctus est; ille enim prius secreto unctus fuit rex in domo patris, [41] secundo in civitate Hebron [42] et tertio in Ierusalem super universum Israelem; [43] sic Christus primo in utero matris factus fuit rex universi, [44] secundo in transitu a morte ad vitam in rediviva resurrectione: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* [45] tertio in superna civitate Ierusalem: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei,* factus rex naturae, gratiae et gloriae, mundi, Ecclesiae et paradisi.

in scala Iacob et in visione Isaiae et Ezechielis.

Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei. Sic a D a v i d e dictum est: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis;* [46] sic Iacob vidit illum in summitate scalae, quae universum designat; [47] sic Isaias *super solium excelsum et elevatum;* [48] sic Ezechiel constitutum supra coelestem hierarchiam et totum ad ignis instar splendentem, [49] quoniam ibi perpetuo mansurus est, locus enim perpetuus ignis sursum est. Sic R e g i u s V a t e s ait: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;* [50] et item: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos,* [51] idest super omnem corpoream et incorpoream creaturam, super omnes coelos et Angelos. Praefigurata tandem in sole, qui per decem lineas prius descendit et postea per easdem ascendit tempore Ezechiae: [52] respondet exaltatio humilitati.

37) Cf. Gn 2, 7. 38) Ms.: *Adam, Enosc, Gheber, Isc, Esc.* 39) 9, 11. 40) Ibid. 4, 14. 41) Cf. 1 Rg 16, 13. 42) Cf. 2 Rg 2, 4. 43) Cf. ibid. 5, 3. 44) Cf. Lc 1, 32-33. 45) Mt 28, 18. 46) Ps 109, 1. 47) Cf. Gn 28, 13. 48) Is 6, 1. 49) Cf. Ez 1, 26 sqq.; 10, 1-5. 50) Ps 8, 6-8. 51) Ps 96, 9. 52) Cf. 4 Rg 20, 9; Is 38, 8.

V. Non solum mirabilis haec Christi ascensio multis est praefigurata modis in Sacris Litteris, sed multis etiam praedicta et prophetata vaticiniis. De hac sanctus patriarcha Iacob ait: *Iuda, te laudabunt fratres tui; manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum... Catulus leonis Iuda; ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo*, hebraice: *A praeda, fili mi, ascendisti incurvatus; accubavit ut leo,*[53] sicut leo magnus; hoc est *a praeda ascendisti*, quia *ascendens* Christus *in altum captivam duxit captivitatem.*[54] Quare ponitur hic excellentia Christi divina super omnes electos, quia caput est electorum: *Te laudabunt fratres tui;* secundo, virtus ad superandum omnes inimicos suos visibiles et invisibiles: *Manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum*, hoc est vinces et superabis omnes inimicos tuos; tertio, divina Christi generatio: *Catulus leonis*, Filius Dei; quarto, pugna et victoria praedaque inimicorum et triumphus: *A praeda, fili mi, ascendisti;* et sic declarata est eius divinitas: *Requiescens accubuisti ut leo*, sicut leo magnus, Deus omnipotens, *quis suscitabit eum?*[55]

Multis modis etiam vaticinata fuit: a Iacob patriarcha,

De hac locutus est Moyses in benedictionibus suis dicens: *Ascensor coeli auxiliator tuus;*[56] de hac Isaias capite 52: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur... elevabitur et sublimis erit valde,*[57] hodie enim Christus exaltatus est super omnes creaturas corporeas et incorporeas mixtasque, super omnes coelos, super omnes Angelos, super omnes homines; de hac eadem capite 63 dicens: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum.*[58]

a Moyse et Isaia;

VI. Sed super omnes Prophetas Regius Vates divinum hoc mysterium Spiritu Sancto afflatus iucundissime cecinit. Nunc ait quod *ascendit super coelos coelorum ad orientem;*[59] nunc quod *ascendit... in iubilatione et... in voce tubae;*[60] nunc currum describit quo sublatus in coelum est: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium; Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*[61] Nam ascen-

sed super omnes a Regio Vate in *Psalmo 67*,

53) Gn 49, 8-9. Vulg.: *Manus tua*, etc. 54) Ps 67, 19; Eph 4, 8. 55) Gn 49, 9. 56) Dt 33, 26. 57) Vr. 13. 58) Ibid. vr. 1. 59) Ps 67, 34. Vulg.: *Super coelum coeli*, etc. 60) Ps 46, 6. Vulg.: *In iubilo*, etc. 61) Ps 67, 18-19.

dit Christus in coelum omnibus Angelorum exercitibus circumseptus, sicut cum ad iudicandum venerit, omnes Angeli venient cum eo; [62] quare hodie *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei,* [63] canentes cum Seraphim divinum trisagium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* [64]

in Psalmo 8

Alibi ait: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos;* [65] et postea de Christo manifeste: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus a Deo, gloria et honore,* etc. [66]

sed praecipue in *Psalmo 23*

Sed praecipue *Psalmo 23: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam nec,* etc.; *hic accipiet,* etc. Quoniam vero Christus non solus ascendit, sed cum eo omnes electi quos secum traxit a limbo, declarat Vates quinam sint isti ascendentes cum Christo: *Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Iacob;* [67] tunc mirantes Angelos introducit: *Attollite portas, principes, vestras,* etc.; *Quis est iste rex gloriae? ... Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio ... Dominus virtutum, exercituum, ipse est rex gloriae.* [68] Sicut cum Christus, post Lazari suscitationem et devictam mortem, [69] Ierosolymam cum triumpho ingressus in die palmarum, *commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* [70] ita hodie universa civitas coelestis Ierusalem: *Quis est iste rex gloriae?* omnes Angeli admirantes dicunt. Hebraice autem habetur: *Levate, portae, capita vestra et elevamini, portae mundi, et introibit rex gloriae.* Quibus verbis declaratur Christi magnitudo, quasi talis tantaque esset, ut capere non posset per portas paradisi, quare ampliandae et magnificandae portae essent. Nec mirum, cum in Christo inhabitet *omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* [71] hinc merito infinitam Christi gloriam immensamque magnitudinem mirantur Angeli: *Quis est iste rex gloriae?*

et in *Psalmo 103.*

Alibi quoque Regius Vates divinum hoc mysterium

62) Cf. Mt 25, 31. 63) Dn 7, 10. 64) Is 6, 3. 65) Ps 8, 2.
66) Ibid. vrr. 5-6. Ex hebraico 67) Hebraice 24, 3-5. 68) Ibid. vrr. 6 sqq.
69) Cf. Io 11, 1-44. 70) Mt 21, 10. 71) Col 2, 9.

canit dicens: *Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* [72]

VII. Divinae autem huius ascensionis multae assignantur causae in Sacris Litteris. Prima est ad declarandam divinam Christi originem: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem:* [73] ideo, inquit, *vado ad Patrem*, quia *exivi a Patre: A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.* [74] Sic et Paulus: *Propter quod ait: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est nisi quia . . . descendit prius in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* [75] Quid est: *Ut impleret omnia?* Omnia utique vaticinia et quaecunque scripta erant de eo; sed etiam *ut impleret omnia*, ad declarandam divinitatem suam quae omnia implet: *Plena est omnis terra gloria eius,* [76] et: *Fimbriae vestimenti eius replebant templum* [77] totius universi, quod Dei templum est: *Coelum et terram ego adimpleo;* [78] ut etiam impleret omnia desideria Dei, Angelorum et hominum, ut implerentur sedes coeli et mansiones paradisi. Sic hodie Christus sedens ad dexteram Dei verus declaratus est Filius Dei, verus Deus, rex mundi, Dominus Angelorum.

Divinae huius ascensionis multae assignantur causae: a) ad declarandam divinam Christi originem,

Altera causa est meritum passionis et humilitatis Christi: *Qui cum in forma Dei*, etc., *humiliavit semetipsum*, etc., *propter quod et Deus exaltavit illum*, etc. [79] Necesse est ut respondeat exaltatio humilitati: *Descendit in inferiores partes terrae, ascendit super omnes coelos.*

b) meritum passionis et humilitatis Christi,

Tertia causa est ostensio divinae potentiae, ut Paulus *ad Ephesios* ait: *Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis, et quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans eum a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus supra omnem Prin-*

c) ad ostendendam divinam potentiam

72) Ps 103, 3. 73) Io 16, 28. 74) Ps 18, 7. 75) Eph 4, 8-10. Vulg.: *Propter quod dicit*, etc. 76) Is 6, 3. 77) Ibid. vr. 1. Ex hebraico. 78) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 79) Phil 2, 6-9.

cipatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur, sive *adimplet*, Textus enim Graecus utroque modo potest interpretari.[80] Et sic Ecclesia dicitur *plenitudo Christi* effective, quia eam omnibus bonis adimplet Christus, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum.*[81] Si consideremus Christum passum et mortuum in cruce, infami patibulo, inter scelestissimos latrones, exinanitum et in nihilum fere per mortem redactum, videbimus infinitam Dei potentiam qua potuit hodie Christum tantopere glorificare sibique in gloria et maiestate aequalem facere et coaeternum.

d) et divinam caritatem,

Quarta causa est ad ostendendam divinam erga Christum caritatem. Hodie enim vere adimpletum est quod in gloriosa Christi transfiguratione praemonstratum fuit, cum in nube lucida supra montem excelsum resplenduit facies Christi sicut sol et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*[82] Tunc inquit Petrus quod Christus accepit *a Deo Patre honorem et gloriam;*[83] quare Pater veluti ait: Propterea Christum glorifico, quoniam est Filius meus dilectus. Amor autem cum verus est, operatur quantum potest et quandoque etiam vires excedit cupitque excedere. Dei autem infinitus est amor et vis similiter infinita; quare infinitam gloriam Christo contulit, quia omnem quam potuit, iuxta quod amor exigit.

e) ad aperiendas paradisi portas,

Quinta ratio est ut aperiret portas paradisi. Hoc est quod ait: *Vado parare vobis locum; et cum abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad meipsum, ut ubi ego sum et vos sitis.*[84] Porta enim coeli clausa erat propter peccatum Adami. Cum enim eiectus fuisset Adam de paradiso, constitutus fuit a Deo Angelus *ad custodiendam viam ligni vitae* cum gladio igneo et versatili.[85] Quattuor incurrit homo mala ob peccatum: privationem felicitatis perpetuae, eiectus de paradiso et clauso illius paradisi ostio, inimi-

80) 1, 17 sqq. Vulg.: *Suscitans illum, etc.* 81) Iac 1, 17. 82) Mt 17, 2-5. 83) 2 Petr 1, 17. 84) Io 14, 2-3. Vulg.: *Et si abiero... iterum venio et accipiam vos... ubi sum ego, etc.* 85) Gn 3, 24.

citiam Dei et Angelorum, iram Dei et mortem tum carnis tum spiritus. Ira designatur per ignem et mors per gladium versatilem. In incarnatione dissoluta est inimicitia, hinc Angeli cecinere: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* [86] in passione extinctus est ignis irae divinae fluminibus sanguinis Christi; in resurrectione destructa est mors, nam cum resurgente Christo multi sancti *qui dormierant surrexerunt;* [87] reliquum erat ut paradisi porta aperiretur, quod hodie factum est; hinc ait: *Attollite portas, principes, vestras*, etc.

Sexta causa est nostra utilitas: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;* [88] *Nondum... erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus:* [89] datus, inquam, in maxima abundantia: *Qui credit in me... flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* [90] Per adventum autem Spiritus Sancti Apostoli et discipuli Christi fuerunt quodammodo deificati, pleni divina bonitate in vita sanctissima et perfectione omnium virtutum, pleni divina scientia et sapientia in cognitione omnis divinae veritatis et divina potentia in operatione miraculorum et conversione gentium ad fidem Christi. Sed: *Ascendens in altum... dedit dona hominibus.* Cum sol est altissimo coeli loco situs in meridie, tunc maximam lucis copiam diffundit et dies clarissimus et calidissimus est; et si Christo adhuc in terris consistente, missus fuisset Spiritus Sanctus de coelo, existimassent homines missum a Deo esse, non autem a Christo, quare non existimatus fuisset Christus una cum Patre fons Spiritus Sancti, a quo Spiritus Sanctus veluti a fonte fluvius perenniter procedit. **f) ad nostram utilitatem,**

Septima ratio est ad ostendendam infinitam Christi dignitatem, qua aequalis est Deo: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis;* [91] *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei,* aequalis Deo dignitate, virtute, gloria et maiestate. Neque enim post resurrectionem Apostoli et discipuli dignam de Domino conceperant existimationem, videntes eum corpore in terra constitutum; sed cum omnibus Angelis comitatum in coelum ascendentem viderunt et super omnes Angelos ad dexteram Dei constitutum agnoverunt, **g) ad ostendendam infinitam Christi dignitatem.**

86) Lc 2, 14. Vulg.: *In altissimis Deo*, etc. 87) Mt 27, 52. 88) Io 16, 7.
89) Ibid. 7, 39. 90) Ibid. vr. 38. 91) Ps 109, 1.

tunc dignam de Domino existimationem conceperunt, ut firmiter crederent Christum Deo Patri aequalem esse. In quo etiam ostenditur dignitas conditionis humanae, quae hodie super omnes Angelorum choros gloriosissime exaltata a Deo est.

Hodie Christus vere Filius Dei agnoscitur et rex paradisi coronatur

VIII. Ascendit hodie Christus in coelum; nam ei veluti alteri Iacob coelitus dictum est: *Revertere in terram . . . nativitatis tuae.* [92] Sicut autem cum arca testamenti magna cum gloria reversa fuit a terra Philisthaeorum in terram Israel, magno cum gaudio suscepta fuit a civibus Bethsames, [93] quod est d o m u s s o l i s coelumque significat, nam *soli posuit tabernaculum in coelis,* [94] sic hodie Christus maxima cum exultatione susceptus est in coelo, tum quia Filius Dei et verus rex paradisi, tum quia triumphator revertitur. Quia Filius Dei, nam si cum filius prodigus reversus fuit in domum patris, magna celebrata fuit festivitas, solemne convivium magna cum laetitia et exultatione, [95] quid censendum est hodie? In ingressu cuiuslibet iusti in coelo magnum fit gaudium, nam propterea ait quod magnum est *gaudium in coelo super uno peccatore poenitentiam agente,* [96] quoniam tunc per poenitentiam, deleto peccato, iustificatus peccator dignus redditur patria coelesti tanquam filius et heres Dei; sed quid hodie cum Christus ingressus est, unigenitus Filius Dei, de quo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Cum Salomon iussu regis David coronatus fuit rex Israel, magna laetitia facta fuit; [97] hodie autem Christus in coelesti Ierusalem coronatur rex paradisi et ad Dei dexteram collocatur: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.*

tanquam verus mortis, diaboli, inferni et mundi triumphator.

Olim Romae victores principes, et exercituum imperatores, cum, parta magna aliqua victoria, triumphatores revertebantur, in triumphali curru maxima cum pompa et honore maximaque totius civitatis exultatione, a senatu et universo populo excipiebantur. [98] Christus ipse in die palmarum tanquam triumphator mortis, quia Lazarum suscitarat, [99] Ierosolymam ingressus fuit magna cum totius populi exultatione et acclamationibus: *Hosanna Filio David,* [100] *benedictus*

92) Gn 32, 9. 93) Cf. 1 Rg 6, 13-15. 94) Ps 18 (hebr. 19), 6. 95) Cf. Lc 15, 20-24. 96) Ibid. vr. 7. 97) Cf. 3 Rg 1, 32-40. 98) Cf. Blondus *De Roma Triumphante,* lib. 10, f. 146b-167b; Panvinius *De Triumphis,* pag. 137-148; Casalius *De Urbis ac Romani Imperii olim Splendore,* part. 2, cp. 1, pag. 173-190. 99) Cf. Io 11, 1-44. 100) Mt 21, 9.

qui venit in nomine Domini, rex Israel.[101] Hodie autem supernam civitatem ingreditur Christus triumphator non tantum mortis, sed etiam diaboli, inferni, peccati et mundi. Hinc in curru gloriae ingreditur coelum: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum;*[102] *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium, Dominus in eis.* De hoc mysterio loquitur Daniel capite 7: *Ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum... Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum... quod non corrumpetur.*[103] Sic Christus factus est hodie ex Benoni, quod est *filius doloris,* Beniamin, *filius dexterae,*[104] ad dexteram Dei sedens: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.*

II. ALIA HOMILIA

Summo loco Christus hodie exaltatur, quia maxime seipsum humiliaverat.

I. Vidit patriarcha Iacob Deum in humana figura et forma in summitate scalae coelestis,[1] quae universum ipsum designat; hodie Christus hunc locum obtinuit: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.*[2] Ibi eum contemplans Regius Vates ait: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos;*[3] et per Isaiam Deus: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur... elevabitur et sublimis erit valde,*[4] super omnes coelos utique et super omnes Angelorum choros; sicut enim Christus seipsum maxime humiliavit, ita a Deo summo loco exaltatus est; sicut enim in bilance quo magis una pars deprimitur eo magis altera exaltatur, sic quo magis homo sese humiliat in hac vita eo magis exaltatur a Deo in futura vita. Hoc forte est quod Christus ait in *Apocalypsi: Ego sum A et Ω, principium et finis, primus et novissimus,*[5] quia fuit in hoc mundo novissimus virorum, ut Isaias ait;[6] hinc nunc primus est, utique *primogenitus mortuorum:*[7] *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*[8]

101) Io 12, 13. 102) Act 1, 9. 103) Vrr. 13-14. Vulg.: *Ecce cum*, etc.
104) Gn 35, 18.

1) Cf. Gn 28, 12-13. 2) Mc 16, 19. 3) Ps 96, 9. 4) 52, 13.
5) 1, 8; 21, 6; 22, 13. 6) Cf. 53, 3. 7) Apc 1, 5. 8) Rom 8, 29.

nobis exemplum praebens imitandum.

In ingressu filiorum Israel in terram promissionis arca testamenti praecessit omnes viamque paravit et ostium aperuit, auferens impedimentum fluminis, [9] quo impediebantur utique ne in eam intrare possent. Sic Michaeas ait: *Ascendit ... iter pandens ante eos.* [10] O felices qui cum Christo se humiliant in hoc mundo! *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* [11] nam utique cum eo exaltabuntur: *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur.* [12] Sic rex David ludens ante arcam Domini ait: *Vilior fiam plus quam factus sum et humilis ero in oculis meis et ... gloriosior apparebo.* [13] Sic enim humilem sequitur gloria. [14] Solus Moyses mitissimus et humillimus [15] potuit cacumen montis ad Deum ascendere. [16]

Circa hoc mysterium consideranda sunt tempus, locus, modus

II. Circa hanc autem Domini ascensionem, praeter factum, consideranda sunt nobis tempus, locus et modus. Tempus fuit die quadragesimo a sua resurrectione, [17] sicut quadragesimo anno ab egressu Israelis ex Aegypto ingressus fuit populus in terram promissionis. [18] Locus autem fuit mons Oliveti prope Bethaniam. Cum enim praecepisset Apostolis *ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris,* [19] tunc, ut Lucas ait, *eduxit ... eos foras in Bethaniam* [20] et a monte Oliveti in coelum ascendit. [21] Modus autem, quia prius *elevatis manibus ... benedixit eis;* [22] sic enim magnus sacerdos, expleto sacrificio, elevata manu populum benedicebat. [23] Sicut autem Patriarchas legimus benedixisse filiis suis ante discessum ex hac vita, [24] sic Christus Apostolis suis benedixit beneque eis precatus fuit: *Elevatis manibus ... benedixit eis ... et ferebatur in coelum,* non raptus igneo curru sicut Elias, [25] sed sua virtute ferebatur in altum instar aquilae, comitatus tamen omnibus Angelorum Sanctorumque omnium exercitibus. Nam Angeli, qui Apostolis post ascensionem in vestibus albis apparuere, dixerunt: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* [26] Similis est ascensio adventui in iudicium; at tunc veniet *in maiestate*

9) Cf. Ios 3, 11-16. 10) 2, 13. Vulg.: *Ascendet... pandens iter,* etc. 11) Mt 11, 29. 12) Lc 14, 11; 18, 14. 13) 2 Rg 6, 22. Vulg.: *Et ero humilis.* 14) Cf. Prv 29, 23. 15) Cf. Nm 12, 3. 16) Cf. Ex 19, 1 sqq. 17) Cf. Act 1, 2-3. 18) Cf. Ios 5, 6. 19) Act 1, 4. 20) 24, 50. 21) Cf. Act 1, 12. 22) Lc 24, 50. 23) Cf. Lv 9, 1-22. 24) Cf. Gn 27, 4; 49, 1-28. 25) Cf. 4 Rg 2, 11. 26) Act 1, 11.

sua et omnes Angeli eius *cum eo;* [27] in maiestate ergo ascendit, et sicut in nube gloriosa descendet, ita in nube lucida et gloriosa ascendit.

Effectus autem divinae huius ascensionis in Apostolis fuit admiratio et gaudium. Nam Lucas ait quod Apostoli post ascensionem *regressi sunt in Ierusalem adorantes cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum;* [28] Angeli vero dixerunt Apostolis: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* [29] nam veluti statuae prae admiratione et stupore stabant et intuebantur Dominum euntem in coelum. Nunc revera cognoverunt Apostoli maiestatem Christi, ideo iam sedentem ad dexteram Dei adoraverunt. et effectus.

III. Non sine mysterio Christus a Bethania et monte Oliveti voluit in coelum ascendere, sed quia inde ad passionem et mortem perrexit, [30] et quia Bethania, quae interpretatur domus afflictionis et humiliationis, mundum significat, ut per antithesim intelligamus ad quem locum ascendit Christus: ad locum utique felicitatis et gloriae, ad locum exultationis et exaltationis. Ascendit autem a monte Oliveti, quia sine altitudine virtutum et meritorum et sine gratia Spiritus Sancti nemo potest sibi gloriam paradisi promittere. Significat etiam Bethania Ecclesiam, nam ibi erant Martha et Maria ac Lazarus, quos diligebat Iesus et a quibus hospitio excipiebatur: [31] nonnisi ab Ecclesia transitus esse potest in coelum. Sacrum hunc locum Dominus voluit in virtutis praemium ascensione sua honorare, quia ad hoc etiam ascendit in coelum; et tandem ad indicandum locum universalis iudicii, quod in valle Iosaphat ad montem Oliveti celebrandum est. [32]

Locus a quo Christus ascendit multa mysteria innuit.

27) Mt 25, 31. 28) 24, 52 sq. Vulg.: *Adorantes regressi sunt,* etc. 29) Act 1, 11. 30) Cf. Mt 26, 30; Mc 14, 26; Lc 22, 39. 31) Cf. Io 11, 1-5; 12, 1-3. 32) Cf. Ioel 3, 12. Circa hoc variae et discordes sunt Commentatorum opiniones.

III. ALIA HOMILIA

Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei, etc. [1]

Christus in coelum ascendit, sed nobiscum etiam in terra remansit.

I. Describens sacratissimum mysterium mirabilis et divinae ascensionis Christi Divus Marcus finem imponit Evangelio suo; similiter Divus Lucas: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus... benedixit eis. Et factum est cum benediceret eis, recessit ab eis et ferebatur in coelum.* [2] Matthaeus autem multo aliter claudere videtur Evangelium suum dicens ex persona Christi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* [3] Si remansit nobiscum in terra, quomodo cum Angelis et Sanctis ascendit in coelum ?

Ecclesia triumphans et Ecclesia militans inter se Christum contendebant:

II. Celebramus hodie ultimum mysterium sacratissimae humanitatis Christi et omnium maxime mirabile. Quare ad spectaculum istud universa concurrit hodie tum Ecclesia militans in terris tum etiam triumphans in coelis. Quis autem dubitat quod Ecclesia militans in terris semper voluisset dilectissimum sponsum suum Christum semper hic secum habere? Sed similiter etiam Ecclesia triumphans in coelis. Quare videre mihi videor hodie simile quippiam accidisse ei quod legimus apparuisse coram rege Salomone duas mulieres cum uno infante, quarum alterutra iustitiam a rege petebat dicens quod suus erat filius. Mirabile autem fuit tunc Salomonis iudicium, coelesti enim sapientia sua ex indiciis veram matrem agnovit eique filium dedit. [4]

haec eum sibi vindicabat utpote filium suum,

Ita, inquam, hodie videre mihi videor quod, cum Deus supra montem Oliveti descenderit in nube gloriosa veluti in throno maiestatis, veniunt coram eo duae Ecclesiae: militans in terris et triumphans in coelis, et utraque ab eo Christum petit, utraque dicit Chri-

1) Mc 16, 19. 2) 24, 50-51. Vulg.: *Dum benediceret illis*, etc. 3) 28, 18 sqq.
4) Cf. 3 Rg 3, 16-26.

stum suum esse filium suumque sponsum sibique deberi. Accedit ad tribunal divinae maiestatis Ecclesia militans et dicit: Serenissime rex, altissime Deus infinitae maiestatis, non potest ipsa natura pati ut filius verae matri tollatur. Quod autem Christus sit filius meus, ecce hic adest mulier quae eum, Angelo nuntiante et Spiritu Sancto operante, in Nazareth concepit,[5] quae eum novem mensibus in utero portavit, quae in Bethlehem peperit;[6] quae suis uberibus lactavit, quae in templo praesentavit,[7] quae in Aegyptum suis brachiis portavit fugiens Herodis iram.[8] Divina Maiestas tua in lege praecepit ut filius matrem honoret;[9] cur ergo mihi tollendus est filius?

Necesse est etiam ut sponsus maneat cum sua sponsa: *Relinquet homo patrem suum et matrem* suam *et adhaerebit uxori suae.*[10] Ecclesia autem militans Christi sponsa est; cur ergo ei tollendus est sponsus? Pastor necesse est ut sit cum ovibus, alioquin venit lupus et *rapit ac dispergit oves.*[11] Christus est pastor: *Ego sum pastor bonus ;*[12] ecce hic oves ipsius: quis pascet eas? sponsum et pastorem,

Deinde ipse ait quod *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*[13] In coelo omnes bene valent, omnes sunt sani, sancti, felices, beati; homines autem in terra infirmi sunt et peccatores. Venit ipse ut salvum faceret *populum suum a peccatis eorum,*[14] *ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum,*[15] *venit . . . peccatores salvos facere,*[16] mundum de manu diaboli liberare; sed adhuc *mundus totus in maligno positus est.*[17] medicum,

Scio quod Christo convenit omnis honor et gloria; sed Christus, uti nunc videre licet, instar solis splendet sicut in transfiguratione apparuit, nam: *Resplenduit facies eius sicut sol.*[18] Quis autem non videt quod sol non accipit claritatem et gloriam a coelo, sed ipse est qui omnem claritatem omnemque gloriam dat universo coelo? Et sicut nihilo pretiosior est adamas aut pyropus in anulo aureo positus quam in argenteo, ita nihilo gloriosior Christus in coelo est quam in terra, quoniam in seipso beatissimus est, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[19] Et si Christus in coelum ascenderit, auctorem et conservatorem fidei;

5) Cf. Lc 1, 26-39. 6) Cf. ibid 2, 4-7. 7) Cf. ibid. vv. 22-39. 8) Cf. Mt 2, 13-15. 9) Cf. Ex 20, 12; Dt 5, 16. 10) Gn 2, 24. 11) Io 10, 12. Vulg.: *Et dispergit.* 12) Ibid. vr. 11. 13) Mt 9, 12. 14) Ibid. 1, 21. 15) Io 11, 52. 16) 1 Tim 1, 15. 17) 1 Io 5, 19. 18) Mt 17, 2. 19) Col 2, 9.

quis fidem plantabit et Ecclesiam in gentibus? Si, ipso praesente, non credidit Iudaeus legem habens et Prophetas, quomodo, ipso absente, credet gentilis sine lege, sine Prophetis, sine Deo? Quid ergo? Incassum venerit Christus in mundum?

illa autem utpote hominem coelestem

Rex altissimae maiestatis, scio quod tu sic mundum dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares, *ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[20] Faxit ergo caritas tua ut mecum Filius meus maneat pro salute mundi et gloria altissimae maiestatis tuae; nunc enim facile totum in eum credet mundus divina gloria donatum.

et verum Deum, cuius sedes paradisus est.

Sed triumphans Ecclesia ait: Altissime Rex, vere scio quod Christus Filius est sanctissimae ac divinissimae huius mulieris; sed haec coelestis est mulier, non terrena: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim;*[21] hinc *secundus homo de coelo coelestis.*[22]

Deinde, si proprius locus Dei et Beatorum, qui vita immortali aeternaque gloria donati sunt, coelum est, paradisus in empyreo, Christus verus est Deus et homo beatus, a sua resurrectione divina gloria vitaque immortali donatus; ergo necesse est ut in coelum ascendat. Locus proprius Summi Pontificis Roma est, romana sedes; si aliquando, urgente causa aut ratione, aliquando inde in aliquam provinciam proficiscatur, vel ad generale concilium, vel ad pacem inter principes componendam, vel pro salute populi sui, requirit ratio ut, peracto negotio, Romam revertatur. Christus est summus pontifex summusque imperator, monarcha simul et hierarcha universi, eius sedes paradisus est. Venit in mundum ad promovendam hominum salutem, ad redimendum pretio sui sanguinis genus humanum. Nunc peractum est hoc negotium; revertatur ergo ad patriam sedem. Satis superque peregrinatus est, nam ad seminandam in mundo fidem, ad praedicandum in universo mundo Evangelium, ad plantandam in gentibus Ecclesiam descendet, sicut ipse Christus discipulis promisit, Spiritus Sanctus. Mihi igitur Christus debetur, nam et vere Filius meus est, homo coelestis, immortalis, beatus, verus sol gloriae, cuius proprius locus coelum est, inter fulgentia sidera, et Filius Dei verus est, qui in coelis habitat; sponsus etiam meus est: *Vidi civitatem*

20) Io 3, 15-16. 21) Apc 12, 1. 22) 1 Cor 15, 47.

sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. [23]

Te igitur rogo, iustissime et sanctissime Rex, ut mihi des unicum ac dilectissimum Filium et sponsum meum. Si enim tantopere se humiliavit in terra, dignum est ut nunc exaltetur in coelo; si talia tantaque in terra sustinuit, si legitime certavit et vicit, ut triumpho donetur in coelo.

Deus autem litem sapientissime diremit Christum in terra relinquendo simul et ad coelum vocando.

III. His auditis, Rex ait: Vere unigenitus Filius meus utriusque mulieris filius est, duas habet matres, sicut Aser filius Iacob,[24] utrique matri debetur, utriusque Ecclesiae sponsus est. Remaneat ergo Ecclesiae militanti in terra verus Christus, sed invisibiliter in Eucharistia: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* et ascendat visibiliter in coelum: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* Sic litem diremit magna cum satisfactione et admiratione utriusque partis: *De coelo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quievit.* [25] Sic Christus et remansit in terra et ascendit in coelum; remansit in terra, ut ait Matthaeus, ascendit in coelum, ut ait Marcus.

Ut Christus visibiliter in coelum ascenderet, conveniens fuit Deo,

IV. Fuit autem conveniens ut Christus visibiliter in coelum ascenderet ad dexteram Dei, super omnes Angelorum choros consessurus. Conveniens Deo, quoniam sic promiserat: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,* [26] ut sic vere manifestaret Christum unicum Filium suum esse sibi coaequalem et consubstantialem; convenit enim ut rex unicum habens filium, eum ut par est declaret et manifestet mundo.

ipsi Christo,

Conveniens fuit Christo, sic exigentibus meritis humilitatis et passionis suae. Indecens est ut pretiosissimus carbunculus in anulo ferreo aut stamneo collocetur. Christus veluti gemma est pretiosissima. Totum coelum veluti anulus est in manu Dei summa arte et diligentia elaboratum; Christus autem gemma est pretiosissima regii huius anuli. Hoc est quod apud Ezechielem legimus in prima ipsius visione: vidit enim supra firmamentum coeli Christum seden-

23) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem,* etc. 24) Cf. Gn 30, 12-13. 25) Ps 75, 9.
26) Ps 109, 1.

tem supra solium sapphirinum, qui instar carbunculi totus collucebat et instar ignis micabat sole splendidius.[27] Coelum est locus immortalitatis, beatitudinis et gloriae. Convenit etiam Christo ad ostendendam veritatem divinitatis suae, nam: *Coelum coeli Domino,*[28] idest altissimum coelum Domino convenit, is locus divinae maiestatis est, et ad Christi gloriam coelum ipsum creatum est, quoniam ipse Christus sol est paradisi.

Angelis etiam convenit, quoniam Christus princeps et rex est paradisi. Hinc cum natus fuit in terra, venerunt et adoraverunt eum in praesepio,[29] in deserto etiam ministrarunt ei.[30] Si rex coeli Christus est, requirit ratio ut in suo regno resideat rex.

Angelis

Tandem etiam nobis conveniens et expediens fuit, quoniam Christus caput nostrum est: *Expedit vobis ut ego vadam;*[31] abiit etiam parare nobis locum, ut iterum veniat et assumat nos ad seipsum[32] et ut iugiter advocatus noster esset apud Patrem,[33] ut aperiret nobis paradisi portas scalamque et pontem construeret. Expediens etiam fuit nobis Christi ascensio et utilis ad confirmandam et augendam fidem, spem et caritatem: fidem divinitatis, spem gloriae, caritatem, ut cor nostrum semper esset in coelo, nam: *Ubi . . . est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;*[34] *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*[35] Ex cognitione maioris boni oritur maior flamma amoris in sponsa erga sponsum. Hodie Ecclesia sponsa Christi cognovit Christi magnitudinem, gloriam, maiestatem, divinitatem; hinc magnus amor, maxime cum post ascensionem Christus de coelo Spiritum Sanctum misit: *Caritas Dei infusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui,* etc.[36]

et nobis quoque.

V. *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.*[37] Arca testamenti Domini magna cum laetitia a rege David deducta fuit in Ierusalem;[38] sic hodie a Deo in coelestem Ierusalem vera arca divinitatis exultantibus Angelis: *Exaltare, Domine, in virtute tua,*

27) Cf. 1, 25 sqq. 28) Ps 113, 16. 29) Cf. Lc 2, 13-14. 30) Cf. Mt 4, 11. 31) Io 16, 7. 32) Cf. ibid. 14, 2-3. 33) Cf. 1 Io 2, 1. 34) Mt 6, 21. 35) Col 3, 1-2. 36) Rom 5, 5. Vulg.: *Diffusa est.* 37) Parvum istud summarium in codice invenitur ad finem sequentis homiliae, in folio avulso. 38) Cf. 2 Rg 6, 12-19.

cantabimus et psallemus virtutes tuas; [39] sic hodie magna cum laetitia Sancta Ecclesia celebrat festum admirabilis ascensionis Christi. Chorus autem vere angelicus auditur in Ecclesia divinam hanc canens ascensionem quattuor vocibus: canunt enim duo Evangelistae, Lucas et Marcus, unus Apostolus, Paulus, *vas electionis,* [40] et unus Propheta, imo princeps Prophetarum, David.

Magna cum laetitia Ecclesia hodie celebrat festum ascensionis Christi.

IV. ALIA HOMILIA [1]

Postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei. [2]

Hodie Christus in coelum revertitur.

I. Sicut sanctus patriarcha Iacob, post longam peregrinationem in terra Chanaan multosque perpessos labores, tandem Dei gratia et beneficio dives factus valde, iussus est divino oraculo redire in terram nativitatis suae, [3] ita Christus Dominus noster missus in hunc mundum a Patre, sicut Iacob ab Isaac patre suo, [4] peregrinatus in terra triginta trium annorum spatio, magnis acquisitis divitiis meritorum per passionem suam et gloriae per resurrectionem suam, iussus est hodie [redire] in coelum, quae domus Patris sui est, coelum enim Dei appellatur habitaculum; [5] hinc ait: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [6]

In hoc mysterio maxime elucet Christi divinitas.

Mysterium autem hoc divinissimum, in quo maxime divinitas Christi enituit, unde nonnisi hodie adoratus legitur Dominus ab Apostolis: *Elevatis manibus... benedixit eis,* inquit Lucas; *et factum est dum benediceret eis, recessit ab eis et ferebatur in coelum; et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno,* [7] mysterium, inquam, hoc divinissimum et supra modum mirabile ac gloriosum paucissimis verbis narrat Evangelista: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.*

39) Ps 20, 14. 40) Act 9, 15.

1) Ex diversitate styli et atramenti necnon magnitudinis folii homiliam hanc alio tempore scriptam fuisse apparet, postea autem in hunc codicem insertam. 2) Mc 16, 19. 3) Cf. Gn 31, 1-18. 4) Cf. ibid. 28, 1-3. 5) Cf. Dt 26, 15; 33, 27; 3 Rg 8, 30; 2 Par 6, 30. 33. 39; Ps 32, 14; Is 63, 15; Ier 25, 30. 6) Io 16, 28. 7) 24, 50-52. Vulg.: *Dum benediceret illis,* etc.

Haec est dies maximi triumphi Christi.

II. Hodiernus dies fuit dies triumphi Christi, sicut dies passionis fuit dies pugnae et certaminis et dies resurrectionis dies gloriosae victoriae. Triumphus autem Christi in die palmarum fuit veluti umbra hodierni triumphi, sicut terrestris Ierusalem umbra erat coelestis. Ascendit autem Christus infinita cum gloria et maiestate, sicut venturus est ad iudicandum; sic enim hodie dixerunt Apostolis Angeli: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* [8] Veniet autem Christus *in maiestate sua et omnes Angeli* eius *cum eo;* [9] *in maiestate,* sicut visus fuit in gloriosa transfiguratione. [10]

Paucis et obscuris verbis tantum triumphum Evangelista refert, sed multa mysteria complectitur.

Et tamen Sanctus Evangelista paucissimis verbis rem talem tantamque absolvit: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* Et sunt praeterea obscura verba, nam ait: *Assumptus est,* et non dicit a quo sit assumptus in coelum, et non dicit in quod coelum, nam Paulus raptus fuit in tertium coelum, in paradisum; [11] dicit quod sedeat, cum Stephanus stantem viderit; [12] quod sedeat a dextris Dei, cum Deus, spiritus cum sit, non corpus, suapte natura nec dexteram habeat nec sinistram. Et de Elia quidem, qui igneo curru raptus in coelum fuit, Divina Scriptura dicit quod: *Ascendit Elias per turbinem in coelum;* [13] de Christo autem quod *assumptus* sit. Sed paucissimis verbis Sanctus Evangelista multa complexus est magnaque et ineffabilia mysteria incomprehensibiliaque. Quod item Lucas fecit tum in Evangelio: *Cum benediceret eis, recessit ab eis et ferebatur in coelum,* tum in *Actis: Videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum* in coelo. [14]

Hoc mysterium praecipue *ascensio* dicitur.

III. Dicta est autem *ascensio;* ab Evangelista quidem Marco *assumptio: Assumptus est in coelum,* sicut etiam ab Angelis: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum;* nunc *recessus: Recessit,* inquit Lucas in Evangelio, ubi etiam alio usus est verbo: *Ferebatur,* inquiens, *in coelum;* in *Actis* vero *elevatio* dicta est: *Videntibus illis elevatus est;* aliquando *iter,* sic Angeli: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum;* ita saepe Dominus de sua ascen-

8) Act 1, 11. 9) Mt 25, 31. 10) Cf. ibid. 17, 2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 29.
11) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 12) Cf. Act 7, 55-56. 13) 4 Rg 2, 11. 14) 1, 9.

sione locutus est: *Vado ad Patrem.*[15] Sed praecipue *ascensio* appellatur. Ita P a u l u s : *Ascendit super omnes coelos ut impleret omnia;*[16] ita Christus: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo;*[17] et item: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*[18]

Significata est autem ascensio nunc per verbum passivum, sicut et resurrectio, qua suscitatus dicitur a Deo, quatenus humanitas consideratur ut natura;[19] nunc per verbum neutrum: Ascendit, recessit, ivit, vadit, quatenus humanitas una est cum Verbo persona, et sic propria virtute ascendit sicut animal propria virtute graditur, avis volat, ignis sursum ascendit. Sic non opus fuit Christo currus igneus Eliae,[20] nec scala Iacob.[21] Cum autem per verbum passivum significatur, non dicitur a quo sit assumptus, plane quia a seipso quatenus Deus assumptus est quatenus homo.

Consideranda sunt singula verba: *Ascendit :* assumptus est a seipso;

In coelum dicitur assumptus. P a u l u s autem dicit quod *ascendit super omnes coelos, Ephesiis* 4, et 1 dicit constitutum esse *super omnem Principatum et Potestatem et Virtutem et Dominationem et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.*[22] Hoc est quod R e g i u s V a t e s ait quod *ascendit super coelum coeli,*[23] idest super altissimum coelum; hoc quod I s a i a s : *Servus meus exaltabitur... elevabitur et sublimis erit valde;*[24] *exaltabitur* super omnem corpoream creaturam, *elevabitur* super omnem creaturam spiritualem, et *sublimis erit valde,* quia ascendit usque ad thronum divinae maiestatis, sicut D a n i e l in visione vidit filium hominis in nubibus coeli, qui *usque ad Antiquum dierum venit.*[25] Hoc est *ascendit,* sive *assumptus est in coelum.*

***in coelum,* idest super omnem creaturam;**

Et sedet. Utitur metaphora qua in Divinis Litteris sedere pro regnare dicitur. Sic dedit Deus Davidi filium sedentem super thronum suum;[26] sic sedisse dicitur Salomon super thronum Dei.[27] Sic P a u l u s *1 Corinthiis* alludens ad illud *Psalmi : Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,*[27a] ait: *Oportet . . . illum regnare, donec ponat . . . inimicos suos,* etc.[28] Angeli stantes leguntur ante Deum apud D a -

***et sedet,* in gloria et maiestate Deo aequalis;**

15) Io 14, 12. 28; 16, 5. 10. 16. 28. 16) Eph 4, 10. 17) Io 3, 13. 18) Io 20, 17.
19) Cf. Act 2, 24; 3, 15. 26; 4, 10; 5, 30; 10, 40; 13, 30. 34. 37; 17, 31; Rom 4, 24; 10, 9.
20) Cf. 4 Rg 2, 11. 21) Cf. Gn 28, 12-13. 22) Vr. 21. Vulg.: *Super omnem principatum.* 23) Ps 67, 34. 24) 52, 13. 25) 7, 13. Vulg.: *Pervenit.*
26) Cf. 3 Rg 3, 6; 8, 25. 27) Cf. 1 Par 28, 5; 29, 23. 27a) 109, 1. 28) 15, 25.

nielem[29] et apud Ioannem in *Apocalypsi;* [30] etiam supremi Seraphim apud Isaiam, [31] nam hoc ministrorum est qui ante principem suum stant, non sedent. Christus autem sedet cum Deo tanquam cum aequali, regnat ut Deus, qui sedens visus est Isaiae, [32] Ezechieli, [33] Danieli [34] et Ioanni in *Apocalypsi,* [35] tanquam rex in throno maiestatis. Hinc sedet ad dexteram, qui locus honoratior est, ut sciamus Christum adeo esse in gloria Dei Patris *melior Angelis effectus, quanto differentius... nomen hereditavit,* [36] adeo per omnia esse in gloria et maiestate Patri aequalem, ut potiori potius gloria praeditus sit quam minori, sicut Salomon coronatus rex, fuit patre Davide potiori gloria ac praestantiori, potius quam minori. Dedit enim hodie Deus Filio omnem suam gloriam, etiam quoad humanitatem: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [37] sicut etiam Daniel in spiritu vidit Christum accipientem a Patre omnem honorem et omnem potestatem regnumque aeternum. [38] Hoc est sedere ad dexteram Patris. Non enim situm corporis designat, nam etiam veniens ad iudicandum Dominus dicitur sedere ad dexteram Patris: *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus coeli et sedentem ad dexteram Patris.* [39]

a dextris Dei, idest secundum divinitatem et humanitatem super omnem dignitatem exaltatus.

Dicitur autem sedere ad dexteram Patris non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem; haec enim hodie glorificata est et exaltata non amplius in forma servi, sed quoniam *humiliavit semetipsum,* etiam propterea *Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen,* idest dignitatem super omnem dignitatem; sic Dominus *est in gloria Dei Patris.* [40] O rem mirabilem hominem humanamque naturam in tanta gloria et maiestate videre! *Ecce homo quasi unus ex nobis factus est,* [41] Deo similis et aequalis, non amplius per ironiam dicitur.

IV. Est hodiernum mysterium supramodum mirabile, venerabile ac delectabile in cordibus Apostolorum, qui spectatores fuerunt. Tria haec operatum fuit: summam admirationem: *Viri Galilaei,*

29) Cf. 7, 10. 30) Cf. 7, 9-11. 31) Cf. 6, 2. 32) Cf. ibid. vr. 1. 33) Cf. Ez 1, 26. 34) Cf. Dn 7, 9. 35) Cf. 4, 3; 20, 11; 21, 5. 36) Hebr 1, 4. 37) Mt 28, 18. 38) Cf. Dn 7, 14. 39) Mt 26, 64; Mc 14, 62. Vulg.: *Sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.* 40) Phil 2, 8-11. Vulg.: *In gloria est Dei Patris.* 41) Gn 3, 22. Vulg.: *Ecce Adam,* etc.

quid statis aspicientes in coelum? evaserant veluti homines extatici prae admiratione; summam religionem et pietatem, nam *adorantes regressi sunt in Ierusalem;* et summam laetitiam, nam *regressi sunt cum gaudio magno.* Summam admirationem, nam cum quattuor sint principalia Christi mysteria: incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis, iuxta quattuor facies animalis Ezechielis,[42] quae quattuor mirabatur Salomon: *Viam aquilae in coelo,*[43] illius aquilae, nam: *Sicut aquila provocans ad volandum,* etc.,[44] mysterium hodiernum supra modum mirabile est Sanctis omnibus. Hinc Regius Vates: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus a Deo, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum,* etc.,[45] super omnia utique: *Nihil reliquit non subiectum ei,*[46] Christo homini exaltato ad dexteram Dei. Hinc mirantur etiam Angeli: *Quis est iste rex gloriae,*[47] qui tam magnus est ut portae coeli eum non capiant? Hinc: *Levate, portae, capita vestra.*[48] Nec mirum, quoniam ille est quem *coeli et coeli coelorum capere ... non possunt;*[49] *Quis est iste qui venit de Edom,* etc.?[50]

Hoc mysterium est supra modum mirabile, venerabile et iucundum Angelis et Sanctis in coelo.

Sic visa hodie Apostoli tanta Christi gloria, cui nubes veluti currus triumphalis fuit cum infinita Angelorum multitudine: *Currus Dei decem millibus multiplex,* et insuper *millia laetantium,*[51] quae currum stipabant una cum immensa multitudine animarum sanctarum, sic hodie Apostoli, cognita Christi maiestate, pleni stupore stabant immobiles, sed pleni etiam pietate adorantes. Oritur pietas ex cognitione Dei. Hodie revera cognoverunt Apostoli quid esset Christum esse Filium Dei, esse regem, Messiam; propterea tanquam verum Deum adoraverunt. Pleni item laetitia quoniam, cum Christum Dominum valde diligerent, non poterant non gaudere de tanta ipsius gloria, sicut Iacob visa gloria Ioseph.[52] Cum Romae creatur Pontifex, gaudent summopere omnes consanguinei et familiares; ita hodie senserunt Apostoli gaudium magnum. Tum etiam quoniam, cum cognovissent Christi erga eos caritatem, qua hodie *benedixit eis et cum benediceret recessit ... et ferebatur in coelum,* visa postea tanta

sed maxime Apostolis, visa tanta Christi gloria.

42) Cf. 10, 14. 43) Prv 30, 19. 44) Dt 32, 11. 45) Ps 8, 5-7. Ex hebraico. 46) Hebr 2, 8. Vulg.: *Nihil dimisit,* etc. 47) Ps 23 (hebr. 24), 8. 10. 48) Ibid. vrr. 7. 9. 49) 2 Par 2, 6. Vulg.: *Nequeunt.* 50) Is 63, 1. 51) Ps 67, 18. 52) Cf. Gn 46, 28-30.

gloria et maiestate, repleti fuerunt spe indicibili obtinendi a Christo omne bonum, scientes eum et velle et posse omne bonum conferre. O utinam haec nos quoque sentiamus in cordibus!

Ascensio Christi exemplar esse debet ascensionis nostrae.

V. Discessit hodie Christus ex hoc mundo, sed ascendit in coelum ad praemium suorum laborum suarumque virtutum. Non omnes autem qui ex hoc mundo discedunt, ascendunt in coelum, nam multis Christus dixit: *Quo ego vado, vos non potestis venire,* quia *vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [53] Impedimento nobis est ad ascendendum in coelum gravitas terrenae molis in corpore et peccati in anima. Opus est divino auxilio. Sed, age, scalam nobis Christus hodie composuit tribus gradibus constantem: fide, Baptismo et Evangelii observatione.

53) Io 8, 22-23.

FRAGMENTUM [1]

Sol qui per decem gradus descenderat, per decem gradus ascendit. [2] Enoch assumptus [est] in coelum,[3] quoniam Deo d e d i c a t u s;[4] Moyses ascendit ad cacumen montis ad Deum; [5] Elias igneo curru raptus in coelum fuit, [6] Christum praefigurans; nubes Eliae modica a mari ascendit coelumque totum replevit; [7] arca testamenti a rege David in montem Sion translata; [8] David cum triumpho suscipitur in civitatem Ierusalem; [9] [Christus] suscipitur hodie in coelestem Ierusalem sicut in die palmarum, etc.; [10] a rege David hodie Salomon rex ungitur et coronatur. [11]

Multis modis ascensio Christi praefigurata fuit in Sacra Scriptura.

Mirabile mysterium celebratur hodie: *Tria mihi difficilia sunt,* etc. [12] Per aquilam Christus designatur apud E z e c h i e l e m [13] ratione huius mysterii, Deus in humana forma visus in summitate scalae coelestis, [14] quoniam *Dominus... Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.* [15] Ingreditur homo hodie in paradisum, unde per peccatum fuerat expulsus. [16] In monte Oliveti hodie utraque convenit Ecclesia, militans et triumphans: *De coelo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quievit.* [17] Sic Christus ascendit in coelum simulque remansit in terra: *Vobiscum sum... usque,* etc. [18] Quis ascendit? Quo ascendit? Quomodo ascendit? Quam ob

Christus ascendit in coelum, sed etiam remansit in terra.

1) Invenitur in parvo folio avulso et in codice hic agglutinato, cum inscriptione: « Ascensio Domini ». 2) Cf. 4 Rg 20, 11; Is 38, 8. 3) Cf. Gn 5, 24. 4) *Enoch* enim d e d i c a t i o latine interpretatur. 5) Cf. Ex 19, 20-21. 6) Cf. 4 Rg 2, 11. 7) Cf. 3 Rg 19, 44-45. 8) Cf. 2 Rg 6, 12-19. 9) Cf. ibid. 5, 1-10; 2 Par 11, 9. 10) Cf. Mt 21, 7-11; Mc 11, 7-10; Lc 19, 35-40; Io 12, 12-15. 11) Cf. 3 Rg 1, 32-48; 1 Par 29, 20-22. 12) Prv 30, 18. Vulg.: *Tria sunt difficilia.* 13) Cf. 1, 10. 14) Cf. Gn 28, 13. 15) Mc 16, 19. 16) Cf. Gn 3, 6 sqq. 17) Ps 75, 9. 18) Mt 28, 20.

causam ascendit? *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum et donavit*, etc. [19]

Mirabili concentu hodie Christi ascensio in Ecclesia concinitur.

Mirabili concentu hodie Christi ascensio concinitur in Ecclesia; concentum faciunt Angeli triplici choro, triplici hierarchia, nam apud Isaiam Seraphim Christi gloriam trisagio canunt. [20] Prima ait: *Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus et psallemus ;* [21] secunda: *Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales*, etc.; [22] tertia: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.* [23] Chorus etiam Prophetarum Domino concinit, Moyses intonans: *Cantemus Domino gloriose;* [24] David etiam: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum*, etc. [25] Chorus tandem apostolicus: « Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris ». [26] Tunc omnes simul Angeli, Prophetae, Apostoli mundum universum hortantur ad laudem: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis*, etc. [27]

19) Phil 2, 8-9 20) Cf. 6, 3. 21) Ps 20, 14. 22) Ps 23, 7. 9. 23) Ps 96, 9. 24) Ex 15, 1. 25) Ps 8, 2. 26) *Symbolum Apostolicum*, cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 86. 27) Ps 46, 2.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, etc. [1]

Promittit Christus Apostolis Spiritum Sanctum, ut magistri mundo fierent veritatis fidei.

I. Universalis naturae conditor Deus rebus universis, quas condidit, tria cum dederit: esse, posse et operari, sic ista disposuit ut uniuscuiusque rei quale est esse tale sit et posse, tale et operari. Hinc elementa non vivunt, quoniam animali spiritu vegetalique virtute praedita non sunt; plantae non sentiunt, quoniam sensibili facultate carent; animalia non intelligunt, cum sint rationis expertia, et quamvis animalia multa disciplinae capacia sint, ut canis, equus, psittacus, disciplinam tamen ex sese nullam apprehendunt, nisi ab hominibus instruantur. Ita et homo [2] mysteria fidei divinaque sacramenta, quae supra humanae rationis captum sunt, capere minime potest, nisi supernaturali virtute donetur. Hinc Christus Apostolis promittit Spiritum Sanctum, ut Divino Spiritu afflati actique, incomprehensibilium mysteriorum capaces fierent eaque tanquam fidei et veritatis magistri mundo propalarent ac sic per veritatis praedicationem mundus, veluti altera Ninive, [3] ab aeterna ruina salvaretur.

Sicut Deus sapientia implevit Beseleel et Ooliab ad construendum tabernaculum,

Cupiens Deus fieri sibi sacrum delubrum, quo in medio populi sui habitaret: *Facient... mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum,* [4] cum totius aedificii singularumque partium ac omnium utensilium exemplaria Moysi dedisset, [5] implevit Divino Spiritu ac supernaturali sapientia Beseleel et Ooliab, eruditos artifices, ut possent, scirent et vellent tabernaculum sanctum Deo construere. [6] Quod quidem Ecclesiae symbolum et hieroglyphicum fuit, de qua dicitur: *Ecce*

1) Pericope huius diei Io 15, 26-16, 1-4. Cf. Missale Rom. 2) Ms.: *Homines.*
3) Cf. Ion 3, 1 sqq. 4) Ex 25, 8. 5) Cf. ibid. 26, 1 sqq. 6) Cf. ibid 31, 1-11.

tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.[7]

sic sapientia implevit Apostolos ad construendam Ecclesiam.

Ecclesia autem per Evangelii praedicationem construenda erat, sicut et constructa est, nam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi;*[8] fundamentum ipsius Ecclesiae Christus est: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*[9] Divini autem huius aedificii constructores Apostoli futuri erant; hinc ut sapientes essent architectores, Divino Spiritu et supernaturali sapientia prius implendi erant. Ideo Christus discipulis suis Spiritum hunc Sanctum hodie promisit, et sicut promisit, ita etiam, post suum in coelum conscensum, ex alto demisit.

Opus plane arduum erat mysteria fidei mundo persuadere

II. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*[10] Ad hoc promittit se Spiritum Sanctum missurum, ut de Christo testimonium perhibeat, ut per Apostolos Christi virtutem et divinitatem praedicet, ut hominibus persuadeat Christum verum esse Filium Dei, Salvatorem mundi. Opus plane arduum et humanas vires nimium superans persuadere mundo universo quod homo cum sceleratis latronibus in cruce suspensus morteque turpissima condemnatus, vivus verusque Deus esset, mundi creator, auctor naturae, fons gratiae, pater gloriae, rex paradisi, Dominus Angelorum, princeps universi; stultitia omnium maxima summaque videbatur persuadere Deum unum esse et trinum, Divinum Verbum esse incarnatum, legem in Evangelium mutandam, Sacramentorum virtutem ad iustificandum, mortuorum resurrectionem, vitam aeternam in coelo; mysteria sunt captu supra modum difficillima. Et hoc quidem quoad intellectum mentisque apicem.

et mores humanos reformare;

Quoad voluntatis autem affectum alia erat nil minor difficultas. Mundum enim reformare, humanos mores perditissimos in optimos commutare, turpissimam superstitionem idolorumque cultum in sacrosanctam religionem cultumque invisibilis Dei, vitia carnis relinquere, terrenorum amorem in coelestium transferre et propter fidei profes-

7) Apc 21, 3. 8) Rom 10, 17. 9) 1 Cor 3, 11. 10) Io 15, 26 sq.

sionem universa relinquere vitamque profundere, divinae solius virtutis opus esse potest.

Fides autem haec sic difficillima et quoad intellectum et quoad affectum, et quoad cognitionem et quoad amorem supernaturalium rerum, et in credendo et in operando, hominibus summopere ad salutem necessaria erat, nam *sine fide ... impossibile est placere Deo,* [11] nec datum est hominibus aliud nomen sub coelo, *in quo oporteat nos salvos fieri,* [12] nisi in nomine Iesu. Et tandem Christus propter nos summopere humiliatus exaltari merebatur, ut tanquam verus Deus in mundo agnosceretur et pia religione coleretur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit,* etc. [13] Fides igitur Christi hominibus erat summe difficilis, mundo summe necessaria et Christo summe debita ex merito passionis et humilitatis ipsius.

et tamen fides haec erat maxime necessaria;

Apostoli autem, cum viles essent homunciones, nulla auctoritate, aut dignitate in mundo praediti, nulla sapientia, scientia aut eloquentia instructi, nulla animi fortitudine donati, sed omni ex parte confusibiles homines, nullo pacto per sese potuissent universo mundo sacrosanctae fidei salutaria persuadere mysteria. Promittit ergo eis Christus Spiritum Sanctum, qui eos idoneos effecturus erat ad tantum munus exequendum per coelestium divinarumque virtutum collationem; hinc ait: *Paraclitus autem cum venerit,* Spiritus Sanctus, *quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Poterit enim sciet et volet. Poterit, quia *a Patre procedit,* infinita Dei virtute praeditus ut vivus, verus Deus; sciet, quia *Spiritus veritatis* est, qui omnem novit veritatem, Spiritus est infinitae sapientiae; volet, quia Spiritus Sanctus est, Spiritus infinitae bonitatis. Et erit *Paraclitus,* idest c o n s o l a t o r, e x h o r t a t o r et a d v o c a t u s p a t r o n u s q u e; in adversis vos consolabitur, in arduis exhortabitur et a Deo vobis omne auxilium impetrabit postulans gemitibus inenarrabilibus; [14] hic testis erit meus, testis omni fide dignus ob summam bonitatem, quia Spiritus Sanctus, ob summam veritatem, quia *Spiritus veritatis,* et ob summam auctoritatem, quia *a Patre procedit,* quia vivus et verus

hinc Christus Apostolis promittit Spiritum Sanctum,

qui eos idoneos effecturus erat ad tantum munus exequendum.

11) Hebr 11, 6. 12) Act 4, 12. 13) Phil 2, 6. 14) Cf. Rom 8, 26.

est Deus, Patri et Filio consubstantialis, coaeternus et coaequalis. *Et vos testimonium perhibebitis,* a Spiritu Sancto donati auctoritate ob miraculorum operationem, donati scientia veritatis in collatione linguarum, donati omni sanctitate ob communicationem spiritualium charismatum et donorum, adeo ut vos quoque Spiritu Sancto afflati, et velitis et sciatis et possitis, omni difficultate superata, de me testimonium universo mundo perhibere.

Spiritus Sanctus perficit voluntatem amore summi boni et intellectum cognitione summi veri,

III. *Cum venerit Paraclitus,* Spiritus Sanctus, *quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Dicitur hodie a Christo Spiritus Sanctus *Paraclitus* et *Spiritus veritatis ;* hoc autem procul dubio respectu nostri, sicut Deus dicitur creator, [15] redemptor, [16] salvator, [17] rex, [18] Dominus, [19] pater, [20] pastor [21] et cetera huiusmodi; sic Spiritus Sanctus respectu nostri dicitur *Paraclitus* et *Spiritus veritatis : Paraclitus* quidem, idest consolator, exhortator et patronus sive advocatus, respectu voluntatis nostrae; *Spiritus* autem *veritatis* respectu intellectus, cuius obiectum veritas est, sicut voluntatis bonitas, consistitque intellectus perfectio in cognitione veri, sicut perfectio voluntatis in amore boni. Perficit Spiritus Sanctus voluntatem nostram perfecto amore summi boni, intellectum autem cognitione summi veri, et ob id dicitur *Paraclitus* et *Spiritus veritatis : Paraclitus* ratione caritatis, *Spiritus veritatis* ratione fidei. Caritas enim Deum diligit, fides agnoscit. Ad hoc autem missus est Spiritus Sanctus, ut nos Deum et agnoscamus et diligamus, quae duo formata fides vivaque operatur et ob id multis testimoniis opus fuit Prophetarum, Apostolorum, Angelorum Divinarumque Personarum Patris, Filii et Spiritus Sancti.

ideo dicitur *Paraclitus* et *Spiritus veritatis.*

Fidei enim Christi omnes Prophetae testimonium perhibuerunt, omnes Apostoli, omnes Angeli, omnes Divinae Personae. Pater in

15) Cf. Dt 32, 18; Idt 9, 17; Eccle 12, 1; Sap 13, 5; Eccli 1, 8; 2 Mach 7, 23; 13, 14.
16) Cf. Iob 19, 25; Ps 18, 15; 77, 35; Is 41, 14; 43, 14; 44, 24; 49, 7. 26; 54, 5; 63, 16; Thr 3, 58.
17) Cf. 1 Rg 4, 39; 1 Par 16, 35; Est 15, 5; Ps 24, 5; 61, 7; Sap 16, 7; Is 12, 3; 43, 3; 45,15; Os 13, 4; Mich 7, 7.
18) Cf. Ps 46, 8; 73, 12; Is 33, 22; 44, 6; Ier 10, 10; Zach 9, 9; 14, 16-17.
19) Cf. Gn 2, 4; Dt 1, 30; 6, 4; 7, 9, et alibi saepissime, praesertim in Psalmis.
20) Cf. Est 16, 11; Eccli 23, 1. 4; 51, 14; Is 9, 6; 63, 16; 64, 8; Ier 3, 19; Mal 1, 6; et in Evangeliis saepissime.
21) Cf. Ps 73, 1; 78, 13; 94, 7; 99, 23; Is 40, 11; Ez 34, 13-23; Zach 11, 16.

Iordane,[22] in Thabor[23] et in Ierusalem, cum *venit... vox de coelo dicens: Et clarificavi et iterum clarificabo;*[24] Filius in praedicatione et operatione miraculorum; Spiritus Sanctus in baptismo[25] et in die Pentecostes;[26] Angeli in nativitate,[27] resurrectione[28] et ascensione;[29] Apostoli post ascensionem, Prophetae omnes ante incarnationem. Sic fides Christi mille est divinis testimoniis contestata, quoniam ad salutem nostram summe necessaria est. Hinc enim salus et beatitudo nostra dependet; beatitudo autem non tantum in futura vita, quam in coelesti regno cum Sanctis omnibus expectamus, sed etiam in hoc saeculo, quae futurae illius participatio est, unde iusti omnes etiam in hac vita beati dicuntur, quoniam Spiritus Sanctus consolator est et Spiritus veritatis: consolator voluntati, Spiritus veritatis intellectui.

Fides Christi innumeris divinis testimoniis contestata est, quia ab ea pendet beatitudo nostra etiam in hoc saeculo;

Consolator dicitur, quoniam *consolatur nos in omni tribulatione nostra;*[30] *Spiritus* autem *veritatis*, quoniam doctor et magister est omnis divinae veritatis: *Docebit vos omnem veritatem*,[31] sicut Davidem, Salomonem omnesque Prophetas docuit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*[32] *Consolator* dicitur absolute, absque ulla limitatione, quoniam omnem affert fidelibus Christi consolationem: *Consolatur nos in omni tribulatione nostra; Spiritus* autem *veritatis* similiter absolute, quoniam omnem veritatem docet. Sicut sol thesaurus est vitalis caloris et lucis, ita Spiritus Sanctus thesaurus est omnis consolationis et veritatis. O felices, qui divinum hunc thesaurum a Deo accipiunt! Veram enim omnibusque numeris absolutam felicitatem et beatitudinem assequuntur.

hinc Spiritus Sanctus dicitur consolator, quia affert omnem consolationem, et Spiritus veritatis, quia docet omnem veritatem.

IV. Omnis homo in mundo nihil aliud quaerit nisi consolationem, sed hic quidem in divitiis, ille in honoribus et dignitatibus, alius in voluptatibus corporis, multi in acquisitione scientiarum. Sed haec omnia humanum cor perfecte consolari minime possunt, quia vanitas

Solus Spiritus Sanctus confert homini veram consolationem;

22) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 23) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35. 24) Io 12, 28. 25) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21-22; Io 1, 32-34. 26) Cf. Act 2, 1-4. 27) Cf. Lc 2, 9-14. 28) Cf. Mt 28, 2-7; Mc 16, 5-7; Lc 24, 4-7; Io 20, 12-13. 29) Cf. Act 1, 9-11. 30) 2 Cor 1, 4. 31) Io 16, 13. 32) 2 Petr 1, 21.

vanitatum sunt omnia.[33] Solus iste Paraclitus thesaurus est omnis perfectae consolationis et huius quidem aeternae et infinitae, quoniam paradisus iste Deus est: *Ut maneat vobiscum in aeternum.*[34] Tribuit ergo uti Deus aeternam et infinitam consolationem voluntati, quoniam est Spiritus bonitatis, et intellectui, quoniam Spiritus est veritatis, ex quo veluti ex fonte omnis bonitas omnisque veritas emanavit semper atque emanat, non tantum in hominibus, sed etiam in Angelis.

Quod si Spiritus iste Sanctus perfectae infinitaeque consolationis et aeternae felicitatis auctor est, cur thesaurum hunc spernimus? Evangelicus ille homo, invento thesauro in agro, abiit prae gaudio et vendidit omnia quae habuit ut agrum illum emeret; similiter et prudens mercator quaerens bonas margaritas, inventa una pretiosa, vendidit universa quae possidebat ut illius tantum gemmae possessor fieri posset.[35] Cur non et nos in hoc studia nostra omnia collocamus, ut infinitum hunc thesaurum acquiramus? Possumus enim et scimus in quo loco situs sit, non deest nisi ut velimus. Spernet quis thesaurum ignorans, nesciens quo loco situs sit, vel si inveniat casu fortuito, auri et lapidum pretiosorum valorem minime cognoscat; quod si sciat atque cognoscat, minime sataget vel impossibilitate vel maxima difficultate superatus, vel timore aut conscientia retentus, ne tanquam fur deprehendatur si alienum thesaurum effodiat. Hic autem nil horum est, quoniam Christus coelestem hunc divinumque thesaurum et donat et ad nos usque demittit, modo recipere eum velimus. Ait enim: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Ipse missurum se ad nos thesaurum hunc repromittit, non tamen omnibus, sed *vobis*, inquit, cum discipulis tantum suis sermonem habens.

et tamen thesaurus iste felicitatis infinitae contemnitur,

non ex ignorantia, sed ex mala voluntate.

Id tantum satagendum nobis est, ut per veram vivamque fidem veri simus Christi discipuli, siquidem omnibus discipulis suis Christus Spiritum Sanctum misit. Satagendum, inquam, nobis est ut fide et operibus vere simus Christi discipuli et sectatores, peccata omnia et vitia relinquentes, quoniam Spiritus Sanctus *non habitabit in corpore*

Satagendum nobis est ut veri discipuli Christi simus,

33) Cf. Eccle 1, 2; 12, 8. 34) Io 14, 16. 35) Cf. Mt 13, 44-46.

subdito peccatis;[36] non potest arca Dei simul cum Dagone eodem loco consistere domumque communem habere;[37] non potest lux cum tenebris habitare, Spiritus Sanctus cum spiritu maligno, quoniam Spiritus Sanctus Spiritus est consolationis et veritatis, spiritus autem malignus spiritus est afflictionis et falsitatis, pater mendacii, auctor omnis mali in mundo.

Christus vero, praeterquam quod meruit nobis per crucem et passionem suam, victo diabolo, Spiritum Sanctum, promisit se rogaturum Patrem ut det nobis eundem Spiritum Sanctum: *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum.*[38] Deus autem Christi orationes semper exaudit: *Pater, gratias tibi ago quoniam exaudisti me, ego autem sciebam quia semper me audis.*[39] Sic enim infinita Christi caritas meretur ut dum quatenus homo omni Spiritus Sancti plenitudine cumulatus, advocatum pro nobis saluteque nostra apud Deum agit, semper exaudiatur.

nam his solis Spiritus Sanctus promittitur et dabitur.

V. Nos etiam quo Spiritum Sanctum obtineamus et accipiamus plura media habemus. Primo quidem orationem: *Si ... vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?*[40] Petiit Eliseus, ascendente in coelum Elia, ut fieret in eo duplex spiritus ipsius[41] et obtinuit, quamvis rem difficilem postularit;[42] petiit Salomon sapientiam,[43] quae utique donum Spiritus Sancti est, nam *Spiritus Domini* est *Spiritus sapientiae et intellectus,*[44] et utique obtinuit; cur nos Spiritum Sanctum Dei, si vere ex corde petierimus, non obtineamus?

Spiritum Sanctum obtinere possumus oratione,

Praeter orationem vero, quae nullum non obtinet bonum a Deo Patre et fonte omnium gratiarum et donorum, habemus ieiunium, eleemosynam et alia bona opera, quae merentur Spiritum Sanctum, modo ex caritate fiant. Hinc Christus ait: *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis,* hoc

mortificatione et operibus caritatis,

36) Sap 1, 4. Vulg.: *Nec habitabit,* etc. 37) Cf. 1 Rg 5, 1-6. 38) Io 14, 15-17.
39) Ibid. 11, 41-42. Vulg.: *Gratias ago tibi, quoniam audisti me,* etc. 40) Lc 11, 13.
41) Ms.: *In eo* repetitur. 42) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 43) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12.
44) Is 11, 2.

est: si ex caritate servaveritis mandata mea, merebitis utique ut ego rogem Patrem ut Spiritus Sancti plenitudinem det vobis.

Sacramentis; Et tandem habemus divina Sacramenta, quae conferunt et dant nobis Spiritum Sanctum si, ut par est, ad ea digne accedamus. Peccatorum confessio obtinet Spiritum Sanctum, hinc mox ut Isaias ait: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum,*[45] descendit Seraph de coelo, qui calculo ignito mundavit labia ipsius eumque sanctificavit.[46] Sacrosancta etiam Eucharistia confert Spiritum Sanctum, quoniam panis est Eliae, cuius virtute pervenit ad montem Dei.[47]

nam sine bona dispositione Spiritus Sanctus non accipitur.

O nos felices ac ter quaterque beatos, si digne nosmetipsos pro viribus disposuerimus ad Sanctum hunc Spiritum Dei suscipiendum! Dispositione enim opus est, nam Christus ait: *Quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.*[48] Mundus, inquit, qui *totus in maligno positus est,*[49] qui totus deditus est vitiis carnis, non potest Spiritum Sanctum recipere sicut caecus oculus non potest recipere lucem ad videndum, utique ob oculi indispositionem. Ut ignis in ligno accendatur et sigillus in cera imprimatur, praevia opus est dispositione, non enim secundum naturam introducitur ab agente forma, nisi in materia bene disposita; sic nos ad recipiendum Spiritum Sanctum oportet optime esse dispositos.

Magnum est quod Christus promittit, Spiritus Sanctus enim ipsemet Deus est;

VI. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,* etc. Magnum est quod Christus hodie fidelibus suis promittit. Nobis autem duo consideranda sunt: quid promittitur et ad quid promittitur. Id quod promittitur magnum et infinitum est bonum, quoniam Deus ipse est: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,* etc. Spiritus enim Sanctus a Patre et Filio procedens, Deus est, Patri et Filio consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Magnum fuit quod Deus promisit Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum;*[50] sed maius quod hodie Christus promittit, nempe dare Spiritum Sanctum, qui est omne bonum.

45) 6, 5. 46) Cf. ibid. vrr. 6-7. 47) Cf. 3 Rg 19, 5-8. 48) Io 14, 17. Vulg.: *Non videt eum,* etc. 49) 1 Io 5, 19. 50) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.*

Finis vero ad quid promittitur: *Ille testimonium perhibebit de me, ille me clarificabit:* [51] finis est gloria Christi, ut glorificaretur Christus Filius Dei in mundo, quod quidem opus maxime erat arduum maximeque difficile, glorificare crucifixum, mundo persuadere quod Christus crucifixus vere esset Filius Dei, verus Deus. Hoc autem opus, quamvis difficillimum, erat tamen mundo maxime necessarium ad salutem, quia non est datum aliud sub coelo nomen hominibus, *in quo oporteat nos salvos fieri*, nisi in nomine Iesu. Glorificationem vero hanc Christus maxime merebatur, ut qui semetipsum exinanivit, exaltaretur et acciperet nomen super omne nomen. [52]

finis vero missionis Spiritus Sancti est ipsa glorificatio Christi.

Id Deus maxime cupiebat ex caritate infinita tum erga Christum tum erga mundum, quem sic dilexit, *ut Filium suum unigenitum daret.* [53] Opus vero hoc diabolus maxime impediebat ex odio infinito in Christum et hominem et ne perderet suum in mundo principatum. Mundus ad recipiendam fidem Christi erat maxime indispositus ob caecitatem mentis et pravitatem affectus. Apostoli, quibus hoc munus iniunctum erat: Ite, *praedicate Evangelium omni creaturae,* [54] erant maxime inhabiles ad tale ac tantum munus, quod infinitis partibus excedebat munus iniunctum Moysi ut liberaret populum Dei de sub potestate Pharaonis; [55] hodie vero Christus Apostolis ait: *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Dixit, et merito, Moyses, cum Deus voluit mittere eum ad liberandum electum populum: *Quis sum ego ut eam ad Pharaonem?* [56] *Non sum eloquens,* [57] *non credent mihi;* [58] sed Deus dixit ei: *Ego ero tecum et docebo te quid loquaris;* [59] *virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* [60]

Opus omnino supernaturale erat persuadere mundo fidem Christi.

Sic hodie Christus promittit, ut vere servans promissum postea dedit Spiritum Sanctum, quo digne possent tale ac tantum impositum munus pro dignitate exequi. Difficillimum erat praedicare ac persuadere mundo Deum esse trinum et unum, Christum esse Deum et hominem, animam rationalem infiniti apud Deum pretii esse, peccatum esse infinitam Dei offensam, virtutem infiniti apud Deum valoris, esse in coelo vitam aeternam cum infinita gloria, esse in inferno

Ideo Spiritus Sanctus promittitur et datur Apostolis, ut hoc perficere possent.

51) Io 16, 14. 52) Cf. Phil 2, 6-9. 53) Io 3, 16. 54) Mc 16, 15.
55) Cf. Ex 3, 2 sqq. 56) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Ut vadam* etc. 57) Ibid. 4, 10.
58) Ibid. vr. 1. 59) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Ego ero in ore tuo doceboque,* etc.
60) Ibid. vr. 17.

mortem perpetuam cum poenis sempiternis, paradisum in praemium virtutis, infernum in punitionem peccati. Sed sicut misit Deus coelestem Seraphinum ad purgandum Isaiae labia, quo aptus esset ad praedicandum gloriam Dei, sic Christus misit Apostolis et fidelibus suis Spiritum Sanctum, ut divinae fidei veritatem universo mundo persuadere possent.

Si quid Deus difficile iniungit, virtutem confert ut illud facile exequi possimus, modo velimus,

Si quid igitur Deus difficile iniungit et quod videtur humanas vires excedere, paratus est etiam supernaturalem virtutem conferre, ut quae praecepta sunt facile et cum suavitate exequi possimus, modo ipsi velimus. Difficile videtur divinam legem servare et omnia diaboli, mundi et carnis tentamenta superare, sicut difficile Christi fidem infidelibus et incredulis praedicare; sed ad hoc misit Deus Spiritum Sanctum de coelo, qui eos omni virtute omnique animi consolatione repleret. Vult enim Deus nos magna etiam cum animi consolatione vitam in sancto suo servitio ducere; cum deficiunt consolationes humanae, largitur divinas; cum defecit Hebraeis farina Aegypti, pluit eis manna de coelo.[61]

nam anima a voluntate movetur.

Ille testimonium perhibebit de me. Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio,[62] sed me *clarificabit.* O nos felices, si divinum hoc testimonium in cordibus nostris haberemus! Christus dixit iugum suum esse suave et onus leve, et quod in hoc iugo reperitur requies animarum.[63] Cum autem [adest] Spiritus Sanctus, hoc idem testificatur in corde: *In ore duorum... stat omne verbum.*[64] Omnes hominum actiones sunt ab anima, anima vero a voluntate movetur, voluntas ab amore et desiderio. Spiritus autem Sanctus amor divinus est; si adsit in voluntate hic amor, erit vita nostra plane divina Deoque simillima.

61) Cf. ibid. 16, 2 sqq. 62) Io 16, 8. 63) Cf. Mt 11, 28 sqq. 64) Ibid. 18, 16. Vulg.: *Stet,* etc.

II. ALIA HOMILIA

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium, etc. [1]

I. Novum est hoc nomen Spiritus Sancti et nunquam alias ex Divinis Scripturis auditum, ut Spiritus Sanctus *Paraclitus* dicatur, idest c o n s o l a t o r, e x h o r t a t o r, a d v o c a t u s, sive p a t r o n u s, p r o t e c t o r et t u t o r. In Scripturis Veteris Testamenti Spiritus Sanctus dictus est *Spiritus Dei,* [2] *Spiritus Domini,* [3] *Spiritus oris Dei,* [4] *Spiritus rectus,* [5] *Spiritus principalis,* [6] *Spiritus novus,* [7] *Spiritus bonus* [8] et aliis huiuscemodi nominibus: *Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis Spiritusque timoris Domini;* [9] sed nunquam *Spiritus Paraclitus,* nisi in hoc dominico sermone quem habuit Dominus cum discipulis suis post coenam, ante passionem suam, ad consolandum eos.

Multis nominibus Spiritus Sanctus appellatur in S. Scriptura,

In quo quidem sermone vel semper Christus Spiritum Sanctum *Paraclitum* appellat: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis;* [10] *Si* ego *non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* [11] *Paralitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,* [12] et: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Cumque in sacrosancto hodierno Evangelio Spiritus Sanctus quattuor nominibus appelletur, principem tamen locum obtinet *Parácliti* nomen. Primo enim dicitur Paraclitus; secundo, missus a Filio: *Quem ego mittam vobis a Patre;* tertio, Spiritus veritatis, et quarto, procedens a Patre: *Qui a Patre procedit;* quibus etiam quintum addere possumus, dicitur enim etiam testis Christi: *Ille testimonium perhibebit de me.* Et forte ad quintum hoc priora quattuor diriguntur. Testem enim, ut sit omni exceptione maior et ad reddendum

hodie autem a Christo dicitur *Paraclitus*

1) Io 15, 26. 2) Cf. Gn 1, 2; 41, 8; Ex 33, 3; Nm 24, 2; 2 Par 15, 1; 24, 20; Iob 33, 4. 3) Cf. Idc 3, 10; 6, 31; 1 Rg 10, 10; Sap 1, 7; Is 11, 2; 40, 7. 13; 61, 1; 63, 14. 4) Cf. Ps 32, 6. 5) Cf. Ps 50, 12. 6) Cf. ibid. vr. 14. 7) Cf. Ez 18, 31. 8) Cf. 2 Esr 9, 20; Lc 11, 13. 9) Is 11, 2-3. 10) Io 14, 16. 11) Ibid. 16, 7. 12) Ibid. 14, 26.

et Spiritus veritatis, missus a Patre et Filio.

testimonium omni ex parte aptissimus, virum oportet esse optimum optimoque animo praeditum, virum etiam veracissimum, auctoritate et dignitate praeditum et qui optime noverit rem de qua testimonium est perhibiturus. Ob haec Spiritus Sanctus dicitur *Paraclitus*, consolator, in signum optimi animi: *Quem ego mittam vobis*, qui a me procedit, me optime novit; *nemo* enim *novit quae Dei sunt, nisi Spiritus Dei ;* [13] *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis.* [14] Dicitur *Spiritus veritatis*, idest veracissimus, et *qui a Patre procedit*, qui Deus est infinitae auctoritatis et dignitatis.

Spiritus Sanctus Paraclitus dicitur, quia consolatur fideles in tribulationibus,

II. *Paraclitus* tamen praecipue dicitur Spiritus Sanctus non absque magna ratione. Primo quidem, quoniam Deus est, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* [15] Videns enim Christus, cuius oculis omnia nuda sunt et aperta, [16] quod fideles sui multas tribulationes passuri erant in mundo, nam *omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur,* [17] et hodie ait: *Absque synagogis facient vos, et venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo,* [18] disposuit mittere de coelo Spiritum Sanctum ad consolandum fideles suos; et hinc factum est quod *ibant* Apostoli *gaudentes... quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ;* [19] hinc Paulus gloriabatur in infirmitatibus et tribulationibus suis. [20]

et quia verus fons est totius consolationis, etiam in hoc mundo,

Deinde, Spiritum Sanctum sic absolute *consolatorem* appellat, ad ostendendum quod ipse fons est et thesaurus omnis consolationis. Sentimus in cordibus nostris infinitum quoddam desiderium perfectae consolationis. Omnis homo consolationem desiderat et omnem consolationem. Potest ergo homo in hoc mundo omnem consolationem habere, alioquin frustra creasset Deus in corde nostro desiderium istud; frustra enim esset visus, si non essent colores et lumina; frustra auditus, si non essent soni; frustra olfactus, si non essent odores; frustra gustus, si non essent sapores. At Deus nihil facit frustra, [21] *Dei* enim *perfecta sunt opera :* [22] *Vidit... cuncta quae fecerat et erant valde bona.* [23]

13) 1 Cor 2, 11. Vulg.: *Quae Dei sunt nemo cognovit*, etc. 14) Io 16, 14. 15) 2 Cor 1, 3. 16) Cf. Hebr 4, 13. 17) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Patientur.* 18) Io 16, 2. Vulg.: *Sed venit hora*, etc. 19) Act 5, 41. 20) Cf. 2 Cor 12, 5. 21) Axioma: Deus et natura nihil faciunt frustra. Cf. Aristot. *De Coelo*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 269; S. Beda *Sententiae Philosophicae*, (P. L. 90, 990). 22) Dt 32, 4. 23) Gn 1, 31.

Potest igitur homo in hoc mundo habere omnem consolationem; sed ad omnem consolationem requiritur omne bonum, nam ex fruitione boni desiderati oritur consolatio. Omne autem bonum non reperitur nisi in Deo, hinc Moysi quaerenti videre faciem et gloriam Dei respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum.* [24] Spiritus autem Sanctus Deus est, ergo omne bonum. At profecto Deus, quia omne bonum, propterea dicitur *Deus totius consolationis;* hinc igitur Spiritus Sanctus dicitur *Paraclitus*, consolator, quia *Deus* est *totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Qui ergo recipit Spiritum Sanctum, recipit thesaurum, imo fontem perennem et inexiccabilem omnis consolationis, quoniam Spiritus Sanctus Deus est infinitae potentiae, infinitae sapientiae, infinitae bonitatis et infinitae erga nos caritatis.

nam verus Deus est, in quo solo omne bonum reperitur;

Tertio, Spiritus Sanctus dicitur *Paraclitus*, consolator divinus, quia veniebat ad testificandum mundo ea quae animi infinitam afferunt consolationem: quod Deus hominem infinito amore prosequitur, quod iam placatus est mundo, iam dimissum est Adae peccatum, iam aperta est paradisi porta, iam homo factus est servus, imo amicus, imo filius Dei per adoptionem institutusque heres paradisi, heres Dei et coheres Christi. [25] Haec plane piis mentibus infinitam afferunt consolationem.

et tandem quia testificaturus erat veritates quae veram afferunt animis consolationem.

Hinc Spiritus Sanctus columba mihi videtur veniens in arcam, ore ferens ramum olivae virentibus foliis, [26] in columbae enim specie Spiritus Sanctus super Christum descendit; [27] oliva autem pacis est hieroglyphicum, arca Ecclesiae, diluvium irae Dei contra universum mundum ob impietatem peccati et scelerum magnitudinem. Est Spiritus Sanctus Angelus ille qui descendit in fornacem babylonicam et fecit in medio fornacis *quasi ventum roris flantem,* [28] unde flamma ignis non tetigit fideles et sanctos iuvenes, qui virtutis et pietatis causa ab impio rege in eam iniecti fuerant. [29] Idem eventurum erat Apostolis ob praedicationem fidei et Evangelii Christi: gravissimas passuri erant persecutiones. Non enim Evangelium Christi datum est sicut data fuit lex Moysi; illa enim de coelo data fuit a Deo universo populo [30]

Hinc adumbratur per columbam Noe et per Angelum qui in fornacem Babylonis descendit.

24) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 25) Cf. Rom 8, 16-17. 26) Cf. Gn 8, 11.
27) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32. 28) Dn 3, 50. 29) Cf. ibid. vrr. 13-23.
30) Cf. Ex 19, 10 sqq.

et deinde a Prophetis praedicata, sed absque ulla contradictione; at Evangelium praedicatum fuit a Christo et ob veritatem praedicationis ipsemet Christus a Iudaeis crucifixus fuit. Sic Apostoli ob talem praedicationem passuri erant gravissimas persecutiones; ideo promittitur eis Spiritus Sanctus ad consolandum eos.

Spiritus Sanctus potens est talem dare consolationem quae superet omnem tribulationem.

III. Hebraeis in deserto pluit Deus manna, quod habebat omnem dulcedinem omnemque saporem suavitatis;[31] sic Spiritus Sanctus Spiritus est omnis consolationis: *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, non in una, inquit, tantum aut aliquibus, sed *in omni ;* etiam si omnibus simul tribulationibus gravaretur fidelis, Spiritus Sanctus potens est talem ei dare consolationem, ut superet omnem tribulationem. Sic ventus flans in medio fornacis superavit omnem ardorem maximarum flammarum. Qui autem in mundo, etiam in perpessione malorum maximorum, felix est et plenus omni consolatione, quando sine consolatione poterit esse?

Ideo vera felicitas in Spiritu Sancto consistit.

Cupit Deus nos semper omni consolatione repletos esse, hinc perpetuis quadraginta annis manna pavit Hebraeos in deserto,[32] hinc statim ut creavit hominem, posuit eum in paradiso voluptatis,[33] hominem enim propter aeternam felicitatem creavit. Sed felicitas vera, quae perfecta et perpetua consolatio est, in Spiritu Sancto consistit. Nullus color delectat oculos, nisi adsit lux, ipsa vero lux per seipsam oculos delectat; sic nihil est in mundo quod vere possit cordi nostro veram consolationem afferre, nisi Spiritus iste consolator; hic solus omnem affert animo consolationem, etiam in medio maximarum tribulationum. Hoc est quod Ionas dormiebat cum navis in medio mari maxima tempestate periclitaretur,[34] Christus etiam dormiebat in navicula agitata a ventis in mari, ita ut pene mergeretur.[35] Hoc est quod Regius Vates ait: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me:*[36] ecce tempestas; sed: *Ego dormivi et soporatus sum :*[37] hoc est quod in medio maris Rubri populus Dei ambulat per siccam arenam, quoniam opera divini

31) Cf. Sap 16, 20. 32) Cf. Ex 16, 35. 33) Cf. Gn 2, 8. 34) Cf. Ion 1, 4-5. 35) Cf. Mt 8, 24; Mc 4, 38. 36) Ps 3, 2. 37) Ibid. vr. 6.

cuiusdam venti aquae in duas partes divisae, congelatae erant ex utraque parte factaeque sicut murus ac veluti duo montes glaciei aut crystalli.[38]

Deus consolationes spirituales non dat, nisi abiciantur carnales.

IV. *Cum venerit Paraclitus,* consolator. Ut abstrahat Deus animum a consolationibus carnalibus et terrenis, dat consolationes spirituales et coelestes, sicut nutrix aut mater videns quod infans noxium aliquid habet in manu, quod tamen relinquere minime vult, praesentat ei aliquid pulcrius suaviusque et sic facile puerulus relinquit illud noxium ut accipiat istud. Sicut autem non pluit Deus manna Hebraeis, nisi postquam consumpta fuit farina Aegypti, sic non dat Deus spirituales consolationes, nisi abiciantur carnales; et sicut non mittitur medicus nisi ad infirmos, nec invitatur quis ad prandium vel coenam cum scitur quod pransit vel coenavit, quoniam ventre pleno cibi etiam delicatissimi et optimi fastidio sunt et nocumento, ita Deus non dat spiritus consolationes, nisi iis qui carne afflicti sunt: *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.*[39]

38) Cf. Ex 14, 29. 39) Lc 1, 53.

IN FESTO PENTECOSTES

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecunque, etc. [1]

Opus est ignea lingua ad digne loquendum de Spiritu Sancto.

I. Verba facturi hodie in hac sacratissima solemnitate, de sanctissimo divinissimi Spiritus adventu, necesse est ut ipsius opem imploremus. Sicut enim videri non potest sol sine ipsius solis radio et luce, sic nemo digne de Spiritu Sancto loqui potest sine ipsius ope. Utinam hodie det nobis igneam linguam et labia nostra, ut olim Seraph, [2] ignito calculo purget!

In igne descendit Spiritus Sanctus, quia illuminat mentes et accendit corda.

Cum in altissimam coeli sedem devenerit lucidissimus sol, inde in terram splendidissimos radios demittens, copiosissima luce et fervidissimo calore mundum replet, sic Christus, *Sol iustitiae,* [3] cum, coelo conscenso, super omnes Angelorum choros exaltatus in summi Patris dextera consedisset, inde in terras hodie Spiritum Sanctum demisit cum infinito thesauro lucis divinae fidei et cognitionis, caloris caritatis divinae et amoris; hinc in igne Spiritus Sanctus a Christo missus hodie descendit ad illustrandas fidelium mentes luce divinae sapientiae et accendenda corda flammis seraphicae caritatis.

Pluries promiserat Christus Spiritum Sanctum,

II. In sacrosancto hodierno Evangelio Christus Dominus noster promittit discipulis suis Spiritum Sanctum. Quoniam vero fidelis est Deus in promissis servandis, L u c a s in *Actis Apostolorum* ostendit missum esse Spiritum Sanctum, [4] Christum fideliter stetisse promissis; quare inter I o a n n e m et L u c a m hodie mira est

1) Pericope huius diei Io 14, 23 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Is 6, 6-7.
3) Mal 4, 2. 4) Cf. 2, 1-4.

consonantia, faciunt harmonicum concentum organumque. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo:* hoc est promissum non semel a Christo factum in sermone, quem habuit cum discipulis in ultima coena, ante suam passionem. Nam prius dixerat: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis;* [5] postea vero: *Cum... venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit;* [6] et adhuc: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* [7] Amplius autem: *Cum... venerit ille Spiritus... docebit vos omnem veritatem.* [8] Et post resurrectionem suam iterum atque iterum promisit Spiritum Sanctum: *Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto;* [9] et: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies;* [10] ideo *praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* [11]

sicut promissus fuerat etiam a Patre,

Merito inquit *promissionem Patris,* quoniam a Patre promissus fuit Spiritus Sanctus. Siquidem per Isaiam Dominus ait: *Effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam;* [12] per Ezechielem vero 11: *Dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum;* [13] et 36: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* [14] Tandem per Ioelem: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.* [15]

hodie autem Spiritus Sanctus datur.

Cum igitur Deus, qui fidelis est et verax seipsumque negare non potest, [15a] promiserit Spiritum Sanctum, hodie universa promissa servavit, nam, ut Lucas refert: *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes* discipuli *pariter in eodem loco. Et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae*

5) Io 14, 16-17. 6) Ibid. 15, 26. 7) Ibid. 16, 7. 8) Ibid. vr. 13.
9) Lc 24, 49. Vulg.: *Quoadusque induamini*, etc. 10) Act 1, 5. 11) Ibid. vr. 4.
12) 44, 3. 13) Vr. 19. 14) Vrr. 25-26. 15) 2, 28. 15a) Cf. 2 Tim 2, 13.

tanquam ignis seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. [16]

Missus fuit Spiritus Sanctus in venti et ignis specie, ad declarandam ipsius naturam.

III. Quinquagesima die post pascha, in festo hebdomadarum et primitiarum, quando meti incipiebat et panes novi tritici Deo offerebantur, propter quod dicebatur festum *primitiarum,* [17] missus est Spiritus Sanctus super Apostolos Christi; missus vero in specie spiritus vehementis et in specie ignis ad declarandam ipsius Spiritus Sancti naturam. Cum enim Spiritus Sanctus Deus sit, incorpoream naturam necesse est esse, nam: *Spiritus est Deus,* [18] spiritus autem infinitae puritatis. In universo enim quo superiores substantiae sunt, eo sunt et spiritualiores: aqua est tenuior terra, aer spiritualior aqua, ignis purior [19] aere, coelum igne, Angeli coelo, Deus Angelis. Spiritus autem Sanctus Deus est, ergo purissimus spiritus.

Dicitur *Spiritus,* quia a Patre Filioque spiratur,

Cum vero eadem ratione et Pater spiritus sit, similiter et Filius, quoniam Sacrosanctae Triadis una natura et essentia est, tertia tamen in Trinitate persona hoc speciali nomine appellatur, non tantum ob incorpoream [naturam], sed etiam ob spirationem, quia a Patre Filioque spiratur, sicut spiratur ventus a nubibus. Hinc alibi Christus de Spiritu Sancto locutus fuit sub venti metaphora dicens: *Spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat; sic... omnis qui natus est ex spiritu,* [20] spiritus est. Et post resurrectionem suam Dominus ad declarandam Spiritus Sancti naturam insufflavit in Apostolos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* [21]

vehemens, ob infinitam eius virtutem ad operandum,

Dicitur autem Spiritus iste *vehemens,* valde potens et valde magnus, nam: *Replevit totam domum ubi erant sedentes. Vehemens* dicitur ob infinitam potentiam et virtutem ad operandum, quoniam Deus omnipotens est, qui creavit coelum et terram: *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris eius omnis virtus eorum;* [22] *Spiritus Domini ornavit coelos;* [23] *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* [24]

quia Deus est.

In universo superiores substantiae sicut sunt spiritualiores, ita etiam sunt vehementiores et potentiores: aqua humo, aer aqua, ignis aere, coelum igne, Angeli coelo, Deus Angelis. Cum autem Spi-

16) Act 2, 1-4. Vulg.: *Dum complerentur,* etc. 17) Cf. Lv 23, 15-21. 18) Io 4, 24. 19) Ms.: *Purus.* 20) Io 3, 8. 21) Ibid. 20, 22. 22) Ps 32, 6. 23) Iob 26, 13. Vulg.: *Spiritus eius,* etc. 24) Gn 1, 2. Vulg.: *Spiritus Dei,* etc.

ritus Sanctus Deus sit, merito dicitur *Spiritus vehemens;* eadem ratione dicitur magnus, eo quod *implevit totam domum ubi erant sedentes.* Nam in mundana hac constitutione superiores naturae sunt etiam multo maiores, sicut superior circulus inferiori et numerorum sphaerae. Deus autem suprema substantia est, igitur maxima et infinita. Sed Spiritus Deus est.

Domus autem haec Spiritu isto repleta Ecclesia est, quae in Christi fide consistit, fides vero in corde residet. Replet igitur Spiritus Sanctus corda fidelium magnitudine sua, hinc fideles omnes Spiritus Sancti templa dicuntur.[25] Cum autem fidelium corda repleat seipso, profecto omni virtute omnique bonitate replet, quoniam ipse omnis virtus et infinita bonitas est. Est autem Spiritus Sanctus suapte natura totus caritas, totus amor, quo sese Pater et Filius ad invicem diligunt.

Domus repleta hoc Spiritu Ecclesiam significat,

Replet igitur primo corda fidelium divina caritate, divino amore, ut sit homo unus cum Deo spiritus ex caritate; replet omni spiritus sanctitate, quoniam Spiritus Sanctus est, ut sit homo secundum interiorem hominem Deo simillimus; replet omni consolatione, quoniam *Paraclitus* est, idest c o n s o l a t o r; replet omni scientia et cognitione veritatis, quoniam Spiritus veritatis est, omnis veritatis magister et doctor; *Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis... Spiritusque timoris Domini*[26] est Spiritus iste Sanctus. Quare bonis hisce omnibus animam replet, hinc ait: *Replevit totam domum ubi erant sedentes.*

quam Spiritus Sanctus replet sanctitate et scientia divinorum.

IV. Venit autem Spiritus Sanctus non cum strepitu ad timorem incutiendum, sicut cum Deus venit ad dandam legem super montem Sinai,[27] sed cum dulci sono ad consolandum, quoniam *non in commotione Dominus,* non in tempestate Dominus, *non in igne Dominus,*[28] sed in aura suavi Dominus: *Factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Hic Spiritus est qui *ferebatur super aquas;* hic ventus quem immisit Dominus ad exiccandas aquas diluvii peccatorum;[29] hic ventus a Deo immissus ad mare Rubrum exiccandum, quo populus Dei transire posset ab Aegypto in sacrum

Venit Spiritus Sanctus in specie venti, non ad terrendum sed ad consolandum;

25) Cf. 1 Cor 3, 16; 2 Cor 6, 16. 26) Is 11, 2-3. 27) Cf. Ex 19, 16-19.
28) 3 Rg 19, 11-12. 29) Cf. Gn 8, 1-3.

desertum, demerso Pharaone;[30] hic ventus est qui navim Sanctae Ecclesiae ducit felicissimo cursu in paradisi portum per mare huius mundi, periculis omnibus superatis; hic est ventus in cacumine pyrorum, qui Davidi datus in signum est quod a Philisthaeis victoriam reportaturus erat.[31]

venit etiam in specie ignis,

Non solum autem in specie spiritus vehementis venit Paraclitus, sed etiam in specie ignis ad purgandum, illuminandum et accendendum pectora fidelium Christi. Descendit ignis divinus de coelo, non diaboli opera, sicut descendit ignis ad devorandum greges Beati Iob,[32] sed missus a Deo; non ad devorandum peccatores, sicut descendit in Pentapolim,[33] sed ad devorandum vitia et peccata, sicut descendit ignis de coelo ad devorandum sacrificium Moysi in consecratione Aaron summi sacerdotis,[34] ad devorandum sacrificium Davidis,[35] ad devorandum sacrificia Salomonis,[36] ad devorandum sacrificium Eliae.[37] In igne Deus apparuit Abrahamo cum divina ei revelavit mysteria;[38] in igne apparuit Moysi, in igne universo populo cum legem de coelo dedit,[39] et hodie Spiritus Sanctus in igne discipulis Christi apparuit de coelo descendens, sicut Seraph cum ignito calculo descendit ad purgandum labia Isaiae, quo digne posset Christi gloriam, quam viderat, praedicare.[40]

quia venerat ad illuminandas mentes et ad purganda corda,

Sic Spiritus Sanctus summus Seraph ex infinitae caritatis ardore in igneis flammis hodie super Christi fideles descendit, ad purganda eorum tum labia tum corda, ad illuminandas mentes luminibus coelestis sapientiae, ad accendenda et inflammanda pectora ardoribus divinae caritatis. Sic divino hoc igne in Christi fidelibus concremata sunt mala omnia, vitia universa.

cuius mysterii multae figurae sunt in S. Scriptura;

Adimpletum est hodie sacrum illud mysterium quo iussit Deus paschalis agni reliquias igne comburi.[41] Christus est agnus, Apostoli autem Christi reliquiae hodie divino igne combustae. Iussit item Deus ut cum offerrentur primitiae frugum primaeque messium spicae, torrerentur igni et sic, combustis aristis, excussi grani cum thure et oleo offerrentur.[42] Ecclesia autem mes-

30) Cf. Ex 14, 21 sqq. 31) Cf. 2 Rg 5, 24; 1 Par 14, 15. 32) Cf. Iob 1, 16. 33) Cf. Gn 19, 24-25. 34) Cf. Lv 9, 24. 35) Cf. 1 Par 21, 26. 36) Cf. 2 Par 7, 1. 37) Cf. 3 Rg 18, 38. 38) Cf. Gn 15, 17. 39) Cf. Ex 19, 18. 40) Cf. Is 6, 6-7. 41) Cf. Ex 12, 10. 42) Cf. Lv 2, 14 sqq.

sis est Dei: *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.*[43] Apostoli vero fuerunt primae spicae huius messis, primitiae harum frugum, hinc hodie coelesti divinoque igni extorrefactae sunt spicae istae. Cum templum Salomonis dedicatum fuit, descendit Dominus de coelo in igne et nube templumque illud implevit: maiestas Domini impleverat templum Domini.[44] Salomon autem Christum designat, templum vero eius Christi Ecclesiam, quae hodie maiestate Domini plena fuit: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* In igne ibi Dominus descendit, hic quoque in specie ignearum flammarum.

Descendit autem Spiritus Sanctus in igne, quoniam venit ad deificandos Christi Apostolos faciendosque sibi simillimos, siquidem ignis naturalissima proprietas est ut combustibilia quaeque comburens in suam naturam convertat. Cum autem Spiritus Sanctus Deus sit, omnes Christi fideles, super quos hodie descendit, in divinam quodammodo convertit naturam. Si enim Dei proprium est Optimum Maximum esse, infinita potestate, sapientia et bonitate praeditum, potestatem divinam, qua donati sunt hodie Christi Apostoli, ostendunt innumera divinae virtutis miracula, sapientiam praedicatio Evangelii cum admirabili varietate linguarum, et bonitatem vita ipsorum sanctis omnibus coelestibus virtutibus. Si igitur divina potestate, sapientia et bonitate donati sunt, divinae utique naturae consortes effectos esse dicendum est. Quare hodie vere Dominus *inspiravit in faciem* hominis *spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem,*[45] sed vitam coelestem, angelicam, vere divinam, non animalem; Divino enim Spiritu repleti dii facti sunt. Nam forma est quae dat esse rei.[46] Sicut autem anima nostra corpori inspirata vitam ei tribuit rationalem, quoniam forma hominis est rationalis animalis, ita utique Spiritus iste Sanctus humanis mentibus inspiratus divinum eis tribuit esse, sicut ignitis carbonibus ignis igneum esse.

descendit etiam in igne, quia fideles, quos inhabitat, deificat.

V. Legimus advenisse aliquando Deum cum vento, aliquando cum igne. In initio saeculi, post Adae peccatum, venit cum vento;

Descendit cum vento,

43) Mt 9, 37-38. 44) Cf. 2 Par 7, 1. 45) Gn 2, 7. 46) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *Quodlibet.*, 11, q. 5, a. 5.

quia extinguit concupiscentiam et accendit divinam caritatem.

audierunt enim *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* [47] Cum autem venit ad dandam e coelo legem, in igne venit. Spiritus autem Sanctus, cum Deus sit, hodie cum spiritu venit et igne: cum spiritu ad refrigerandum, cum igne ad calefaciendum; ad refrigerandum aestum carnalis concupiscentiae, ad calefaciendum corda in divina caritate frigentia. Utrunque enim hunc effectum Spiritus Sanctus operatur: extinguit ignem sensualis amoris, qui mundum replet: *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis . . . concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [48] Hinc Spiritus Sanctus *aqua* dictus est: *Effundam super vos aquam mundam; Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [49] Aqua, [50] quoniam extinguit sitim omnemque ardorem cupiditatis mundanae, sed ignis, quoniam accendit mille flammas divini amoris in humanis pectoribus.

Multis formis Spiritus Sanctus apparuit ob multiplices effectus quos operatur.

VI. Apparuit autem Spiritus Sanctus multis quidem formis et sub multis speciebus, quoniam in anima effectus multiplices operatur. Apparuit super Christum in baptismo in specie columbae, [51] super Apostolos in transfiguratione in specie lucidae nubis, [52] a Christo datus fuit Apostolis in specie flatus, [53] hodie descendit tanquam ventus et ignis linguarumque spectris. Descendit in specie columbae, quia iustificat hominem faciens eum ad instar columbae simplicem in malo et fecundum in bono; in specie nubis, quia protegit ab ardore divinae iustitiae roremque et pluviam coelestis consolationis demittit in animam; in specie flatus, quoniam vita est animae secundum Deum; in specie venti vehementis, quia navim Sanctae Ecclesiae per mare huius mundi in portum paradisi perducit; et tandem in specie ignearum linguarum, quia homines facit verbis quidem profluos ut loquantur magnalia Dei, et caritate in Deum proximumque fervidissimos. [54]

Sic linguis hisce igneis mundus purgatus, illuminatus, perfectus secundum Deum factus est: purgatus a sordibus idololatriae, illuminatus vero lumine divinae cognitionis per fidem et perfectus pio cultu

47) Gn 3, 8. 48) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est*, etc. 49) Io 7, 37-39. 50) Ms.: *Aquam.* 51) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 33. 52) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 6; Lc 9, 34. 53) Cf. Io 20, 22. 54) Cf. Breviarium Rom., hymnus ad Laudes huius festi.

verae religionis in Deum; nunc enim veri adoratores in spiritu et veritate Deum adorant, nam *spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [55] Erat mundus veluti campus spinis ubique plenus quae suffocant sementem patrisfamilias: [56] *Maledicta terra in opere tuo . . . spinas et tribulos germinabit tibi ;* [57] sed hodie spinae istae coelesti igne combustae cineribus suis campum hunc fecundarunt aptumque reddiderunt, ut tanquam bona terra afferat fructum centuplum. [58]

Sic per Spiritum Sanctum mundus purgatus, illuminatus et perfectus factus est.

II. ALIA HOMILIA

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecunque, etc. [1]

Hodiernum mysterium figuratum fuit in visione Ezechielis.

I. Mittitur hodie iuxta Christi promissum Spiritus Sanctus super omnes fideles discipulos in specie ignis flammearumque linguarum, ubi videre mihi videor sacrum illud mysterium apud Ezechielem capite 10, ubi ait iussisse Deum viro induto lineis, ut de medio rotarum et Cherubim ignem sumeret et super civitatem Ierusalem protinus effunderet. [2] Indutus hic vir lineis Christus est, homo divina innocentia praeditus et coelesti puritate donatus; animal autem illud quadriforme cum rota quadruplici mysteria vitae Christi significat: incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem cum omni gratiae et divinitatis perfectione, quoniam Christus semper Spiritu Sancto plenus fuit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus,* etc. [3] Hinc de medio rotarum et Cherubim sumitur hodiernus ignis, nam ex Christi merito mittitur Spiritus Sanctus: *Quem Pater mittet in nomine meo,* et: *Cum . . . venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,* [4] ex Patris auctoritate et iussu. Sic cum celebraverimus festa incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis Christi, hodie celebramus festum missionis Spiritus Sancti.

55) Io 4, 23-24. 56) Cf. Mt 13, 7; Mc 4, 7; Lc 8, 7. 57) Gn 3, 17-18. 58) Cf. Mt 13, 8; Mc 4, 8; Lc 8, 8.

1) Io 14, 26. 2) Cf. vrr. 2-12. 3) Is 11, 2. 4) Io 15, 26.

Mittitur Spiritus Sanctus, qui a Patre et Filio procedit per modum voluntatis et amoris, ideo verus Deus;

II. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Videndum autem nobis est quid sit Paraclitus iste qui mittitur, a quo et ad quos mittitur, ad quid mittatur, quo tempore, loco et modo mittatur. Qui mittitur dicitur a Christo *Paraclitus*, dicitur *Spiritus Sanctus*, dicitur *Spiritus veritatis*, [5] dicitur *Spiritus bonus*, [6] *virtus ex alto.* [7] Alibi dicitur *Spiritus Dei*, [8] *Spiritus Domini*, [9] *Spiritus rectus*, [10] *Spiritus principalis*, [11] *Spiritus novus*, [12] *Spiritus a Patre procedens.* [13] Deus est, a Deo Patre et Filio per modum voluntatis et amoris procedens, consubstantialis, coaeternus et coaequalis, infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis; auctor naturae, fons gratiae, pater gloriae, thesaurus omnium bonorum, donum infinitae bonitatis; hinc dicitur absolute *Paraclitus*, c o n s o l a t o r. Lux affert consolationem oculis, non aliis sensibus, sonus armonicus auribus, suavis odor olfactui, dulcis sapor gustui. Quod autem omnem consolationem affert, necesse est ut omni bonitate praeditum sit. Dat igitur Deus hodie mundo donum infiniti valoris.

mittitur a Deo, qui Pater Christi est per naturam et Pater noster per gratiam;

Deus autem, qui hunc mittit et donat Spiritum Sanctum, dicitur *Pater*, quod nomen est amoris, caritatis, bonitatis et intimae innataeque dilectionis; ideo Deus Spiritum Sanctum mittit, quia Pater est infinitae bonitatis et caritatis. Pater dicitur Deus et Christi et noster: Pater Christi per aeternam generationem et pater noster per temporalem generationem; Pater Christi per naturam, nostri autem per gratiam, quia Deus infinita bonitas est, cuius est proprium, ad instar lucis et ignis, communicare seipsum, unde *lux* [14] et *ignis* [15] dictus est Deus, ideo Pater est Christi et noster. Quia enim ab aeterno infinitam bonitatem suam communicavit Filio per naturalem generationem, per modum intellectus et cognitionis, ideo Pater est Christi; cui tamen non suffecit communicasse totum seipsum Filio per naturalem generationem, sed voluit etiam communicare totum seipsum Spiritui Sancto per modum voluntatis et amoris; factus postmodum pater noster per creationem communicando bonitatem suam extra se per modum artis in mundo, in Ecclesia et in paradiso, per naturam,

5) Cf. ibid. 16, 13. 6) Cf. Ps 142, 10; Lc 11, 13. 7) Cf. ibid. 24, 49. 8) Cf. Gn 1, 2; 41, 8; Ex 33, 3; Nm 24, 2; 2 Par 15, 1; 24, 20; Iob 33, 4. 9) Cf. Idc 23, 10; 6, 34; 1 Rg 10, 10; Sap 1, 7; Is 11, 2; 40, 7. 13; 61, 1; 63, 14. 10) Cf. Ps 50, 12. 11) Cf. ibid. 12) Cf. Ez 18, 31. 13) Cf. Io 15, 26. 14) Cf. Is 60, 19-20; Mich 7, 8; 1 Io 1, 5. 15) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29.

gratiam et gloriam. Videns autem quod poterat adhuc seipsum communicare creaturae per unionem hypostaticam, id quidem fecit in incarnatione Verbi deificando sacram humanitatem Christi; hodie vero universam cupiens deificare Ecclesiam mittit Spiritum Sanctum, qui aequalis est Filio, quem dare vult non uni tantum homini, sed omnibus hominibus, ut omnes faciat *divinae consortes naturae;* [16] hinc merito dicitur *Pater.* Mittit autem Deus Spiritum Sanctum fidelibus Christi, pater filiis suis, fratribus Christi; omnes enim fideles filii Dei sunt: *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.* [17] Si pater mittit, filiis utique mittit, pater enim ad filium refertur. Vide ut sis filius Dei si hodie cum Apostolis vis accipere Spiritum Dei.

Mittitur discipulis Christi simul congregatis, in eodem loco sedentibus et orantibus, expectantibus promissionem Patris. Mittitur in festo Pentecostes, quinquagesimo die post Pascha, die iubilaei, **mittitur ad discipulos congregatos et orantes;**

« quo lege fit remissio », [18]

quia venit ad remittendum omnia peccata, ad destruendum omnia vitia. Mittitur in Ierusalem, quia confert gratiam, quae pax est hominis cum Deo, ubi erat verus Dei cultus, ut veri adoratores adorent Patrem in spiritu et veritate. [19]

Mittitur autem in forma venti vehementis, sonantis implentisque totam domum et in forma ignearum linguarum ad denotandum tum naturam tum effectus ipsius Spiritus Sancti: naturam quidem, quoniam Deus ille est de quo dicitur: *Deus spiritus est,* [20] et: *Deus noster ignis consumens est :* [21] sic symbolis hisce denotatur natura Spiritus Sancti. Ad effectus item Spiritus Sancti denotandos, quo sciamus ad quid venerit. Venit enim ad spirituales efficiendos homines carnales, ut esset spiritus spirituum nostrorum, ad implendas animas nostras spiritualibus donis et coelestibus charismatibus; venit ut ignis, tanquam igneus Eliae currus, [22] rapiens nos in coelum, ignis enim proprium est sursum ascendere; venit ad deificandos Christi fideles; sicut ignis in ignem combustibilia quaeque convertit, sic Spiritus Sanctus fideles Christi divina virtute, sapientia, bonitate et sanctitate donavit, purificans ab omnibus vitiis et peccatis et gratia sua

mittitur in forma venti et ignis, quod denotat eius naturam et effectus quos operatur,

purgat enim, illuminat et sanctificat Apostolos,

16) 2 Petr 1, 4. 17) Ps 81, 6. 18) Breviarium Rom. in festo Pentecostes, hymnus ad Laudes, vr. 16. 19) Cf. Io 4, 23. 20) Ibid. vr. 24. Vulg.: *Spiritus est Deus.* 21) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 22) Cf. 4 Rg 2, 11.

confirmans, ut peccare quodammodo non possent. Nam omne peccatum vel fragilitate vel ignorantia vel malitia committitur; at Spiritus Sanctus est *virtus Altissimi,*[23] Spiritus veritatis, docens omnem veritatem,[24] et Spiritus est bonus ac sanctus.

divina felicitate eos donat

Divina etiam illos felicitate donavit, hinc *Paraclitus* dicitur, ideo Christus dixit Apostolis: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis,*[25] *et gaudebit cor vestrum;*[26] hinc: *Ibant* Apostoli *gaudentes . . . quoniam digni habiti fuerant pro nomine Iesu contumeliam pati.*[27]

eosque reddit plane divinos ut rectores essent Ecclesiae.

Sicut autem Spiritus Sanctus in Verbi incarnatione Christum hominem deificavit omni plenitudine gratiae et virtutis suae, sic hodie Apostolos, quos Christo fecit simillimos, homines plane divinos; nam sicut Deus tulit de spiritu qui erat in Moyse et dedit septuaginta senioribus Israel, similes eos Moysi efficiens ad regendum populum Dei,[28] ita hodie Deus tulit de Spiritu Christi deditque eius Apostolis, ut rectores essent Ecclesiae. Hoc Spiritu donati hodie Christi fideles, facti sunt fortiores Samsone, sapientiores Salomone, sanctiores Patriarchis, iustiores Prophetis, aequales Angelis seraphicisque spiritibus.

Spiritus Sanctus venit ad docendam veritatem, ad Christum glorificandum et mundum arguendum.

III. *Docebit vos omnia et suggeret vobis omnia quaecunque dixero vobis;*[29] *Docebit vos omnem veritatem;*[30] *Ipse me clarificabit,*[31] *testimonium perhibebit de me;*[32] *arguet mundum,* argumentis convincet mundum *de peccato et de iustitia et de iudicio.*[33] Ad haec omnia peragenda venit Spiritus Sanctus, sicut iam peracta videmus in Sancta Ecclesia Christi, quae per Spiritum Sanctum formata est in fidelium cordibus et omnibus in Christum vere credentibus. Descendit Spiritus Sanctus in igne, ut nos totos spirituales efficeret igniretque suo divino calore, ignis enim haec natura est, ut universa in suam ipsius naturam convertat; ut etiam sciamus quomodo possimus in nobis divinum hunc ignem accendere.

Triplici modo potest ignis accendi: vel accipiendo ab alio igne,

23) Lc 1, 35. 24) Cf. Io 16, 13. 25) Ibid. 14, 16-17. 26) Ibid. 16, 22. 27) Act 5, 41. Vulg.: *Digni habiti sunt*, etc. 28) Cf. Nm 11, 16-25. 29) Io 14, 26. Vulg.: *Vos docebit omnia.* 30) Ibid. 16, 13. 31) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Ille me clarificabit.* 32) Ibid. 15, 26. 33) Ibid. 16, 8.

uti accendendo lucernam ab alia accensa, vel excutiendo calybe a lapide focario, vel tandem radiis solaribus opponendo concavum speculum vel vas vitreum plenum aqua. Et triplici modo datum legimus Spiritum Sanctum: primo, in oratione, orantibus enim Apostolis descendit hodie Spiritus Sanctus;[34] secundo, praedicante Petro descendit Spiritus Sanctus super omnes audientes verbum in die Pentecostes,[35] et etiam in domo Cornelii centurionis;[36] tertio, per impositionem manuum Apostolorum, quam gratiam Simon Magus emere voluit.[37]

Triplici modo possumus Spiritum Sanctum accipere:

Sic nos triplici modo possumus Spiritum Sanctum accipere: per impositionem manuum sacerdotum in sacramento Confessionis et Communionis; secundo, in audiendis divinis praedicationibus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?*[38] tertio, in oratione, dum divinum iustitiae solem contemplamur; hinc in primitiva Ecclesia tribus hisce exercitiis fideles magno studio operam dabant, sic enim legimus quod *erant . . . perseverantes in doctrina Apostolorum et fractione panis et oratione.*[39] Haec sunt tria illa quae erant in arca: virga sacerdotalis,[40] lex divina[41] et manna coeli;[42] haec tria quae erant in sancta: aureum candelabrum, altare incensi et mensa panum propositionis.[43] O utinam nos divinis hisce exercitiis digne operam demus, ut Spiritus Sancti ignem in nobis accendamus!

Sacramentis, auditu verbi Dei et oratione.

IV. Sed sciendum etiam est quod in igne Spiritus Sanctus ob hanc quoque causam descendit, ut sciamus quod sicut facile potest ignis extingui, ita facile possumus gratiam Spiritus Sancti amittere. Extinguitur ignis deficiente materia combustibili, lucerna deficiente oleo; extinguitur infusione aquae aut terrae qua suffocatur; extinguitur etiam vento quo lampades et lucernae facillime extinguuntur. Sic gratia Spiritus Sancti amittitur otio et torpore, omittendo spiritualia exercitia et cessando a bonis operibus; amittitur nimia occupatione et sollicitudine rerum mundanarum, quae spinae sunt suffo-

Sicut facile potest ignis extingui, sic facile potest gratia Spiritus Sancti amitti.

34) Cf. Act 2, 1-4. 35) Cf. ibid. vrr. 38-41. 36) Cf. ibid. 10, 44-46. 37) Cf. ibid. 8, 12-19. 38) Lc 24, 32. 39) Act 2, 42. Vulg.: *Communicatione fractionis*, etc. 40) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 41) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 42) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 43) Cf. Ex 40, 2-25.

cantes sementem patrisfamilias,[44] et tandem vento malarum cogitationum et carnalium desideriorum.

Missio hodierna Spiritus Sancti est secundum maximum Dei beneficium homini collatum.

Sicut sol duo magna beneficia confert mundo: beneficium lucis, quae ornamentum et pulcritudo est totius universi, et beneficium caloris vitalis et vivifici, quo viventibus omnibus vitam et confert et servat super terram, et sub terra gignit lapides, metalla et mineralia omnia,[45] sic Deus, summus *Sol iustitiae*,[46] duo omnium maxima beneficia humano generi contulit: primum, quo unigenitum Filium suum mundo dedit, qui ab ipso procedit sicut radius a sole, et alterum, quo Spiritum Sanctum hodie misit, qui calor est divini Solis ignisque divinus, hinc in igne hodie descendit. Venit Christus tanquam lux, nam ait: *Ego sum lux mundi*,[47] ad illuminandum mundum cognitione veritatis: *Ego ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*[48] Spiritus autem Sanctus venit ad accendendum corda fidelium igne divini amoris et fervore ardentissimae illius caritatis, quae *fortis est ut mors.*[49]

Spiritus Sanctus est veluti cor Dei nobis dono datum.

Fuit Christus *datum optimum*, Spiritus autem Sanctus *donum perfectum: Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[50] Christus est *omne datum optimum: Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum*, etc.;[51] *Quomodo non... cum illo omnia nobis donavit ?*[52] Spiritus Sanctus *omne donum perfectum: Dedit dona hominibus.*[53] Duo sunt in humano corpore pretiosissima; oculus in capite et cor in pectore. Christus est veluti oculus Dei, per quem Pater omnia videt; Spiritus autem Sanctus veluti cor Dei, quo omnia diligit. Quare Deus hodie ipsummet cor suum mittit et dono dat nobis. Quod hominibus impossibile est, Deo, qui omnia potest, possibile fuit. Qui autem ipsummet cor suum nobis donavit, quomodo non et cum corde sua omnia? Sicut autem cum rex vel imperator summus, cum filium suum unigenitum, post multa facinora et insignes victorias, reversum in patriam coronarit regemque instituerit, accepto a principibus fidelitatis iuramento, post corona-

44) Cf. Mt 13, 7; Mc 4, 7; Lc 8, 7. 45) Cf. Io. Scotus *Resolut. super 2 Sent.*, dist. 7, q. 3; Conimbricenses tract. 13 *De Metallis* cp. 2; *De Coelo*, lib. 1, cp. 3, q. 3, a. 2. 46) Mal 4, 2. 47) Io 8, 12. 48) Ibid. 18, 37. Vulg.: *In hoc natus sum.* 49) Ct 8, 6. 50) Iac 1, 17. 51) Io 3, 16. 52) Rom 8, 32. 53) Ps 67 (hebr. 68), 19; Eph 4, 8.

tionem aperit thesauros et aeraria omnique populo regia liberalitate et magnificentia spargit argenteas aureasque monetas perfecta regis imagine et inscriptione insignitas, sic Deus hodie fecit, cum Christum unigenitum Filium suum regem in coelo coronarit. Et profecto magnum donum hodie Christus verus Deus Ecclesiae suae suisque fidelibus contulit: *Magna,* inquit Petrus, *et pretiosa nobis promissa donavit, per quae efficiamini divinae consortes naturae.* [54]

Multis nominibus appellatur in Sacris Litteris Spiritus Sanctus,

V. Hinc multis nominibus divinum hoc donum in Sacris Litteris appellatur. Nunc appellatur *aqua : Effundam super vos aquam mundam ;* [55] nunc *fons : Aqua, quam ego dedero, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ;* [56] nunc *flatus* aut *ventus : Spiritus ubi vult spirat ;* [57] nunc *ignis : Ignem veni mittere in terram;* [58] nunc *digitus Dei : Si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei ;* [59] *Digitus Dei est hic ;* [60] nunc *virtus Altissimi : Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi ;* [61] *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto ;* [62] *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* [63] In hodierno autem Evangelio dicitur *Paraclitus, Spiritus Sanctus,* magister omnis veritatis: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecunque dixero vobis ;* [64] et alibi: *Cum... venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis.* [65]

ad denotandos effectus quos operatur,

Tot autem ac tantis nominibus divini huius doni magnitudo exprimitur, quoniam hic Spiritus est qui in mundi primordiis *ferebatur super aquas ;* [66] hic Dei digitus quo facta fuere a Moyse miracula in Aegypto, [67] et quo scriptae fuerunt tabulae legis; [68] hic Spiritus est qui Patriarchas sanctificavit, qui Abrahamum patrem fidei nostrae effecit, [69] qui Noe iustum et perfectum reddidit, [70] qui Enoch de mundo tulit, [71] qui Ioseph divina scientia replevit, [72] qui Moysen deum Pharaonis constituit, [73] qui Salomonem sapientia replevit, [74] Danielem

54) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa... ut per haec,* etc. 55) Ez 36, 25. 56) Io 4, 14. Vulg.: *Quam ego dabo ei,* etc. 57) Ibid. 3, 8. 58) Lc 12, 49. 59) Ibid. 11, 20. 60) Ex 8, 19. 61) Lc 1, 35. 62) Ibid. 24, 49. Vulg.: *Quoadusque induamini,* etc. 63) Act 1, 8. 64) Io 14, 26. 65) Ibid. 15, 26. 66) Gn 1, 2. 67) Cf. Ps 104, 26-36. 68) Cf. Ex 31, 18. 69) Cf. Rom 4, 16. 70) Cf. Gn 6, 9. 71) Cf. ibid. 5, 24. 72) Cf. ibid. 41, 38. 73) Cf. Ex 7, 1. 74) Cf. 3 Rg 3, 12; 2 Par 1, 11-12.

intelligentia;[75] hic Spiritus est duplex Eliae,[76] Spiritus verax omnium Prophetarum; hic Spiritus est qui Samsonem fortem effecit[77] et Davidem divina virtute donavit psaltemque divinum constituit;[78] Spiritus Sanctus, qui thesaurus est omnium coelestium divinorumque bonorum.

sed tantum in hodierno Evangelio appellatur *Paraclitus*,

Hinc in hodierno Evangelio *Paraclitus* dicitur, quo nomine nunquam in Veteri Testamento est appellatus. Saepe enim legimus *Spiritum Dei, Spiritum Domini, Spiritum Sanctum, Spiritum bonum, Spiritum rectum, Spiritum principalem,*[79] sed *Paraclitum*, nunquam legimus, idest c o n s o l a t o r e m, *Pater* enim est *misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,*[80] unde *ibant* Apostoli *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*[81]

et sic dicitur quia ipse est verus et absolutus consolator,

Dicitur autem absolute *Consolator*, quia *Deus* est *totius consolationis*, thesaurus omnium desiderabilium bonorum, quia etiam perpetuus est consolator: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,* qui *apud vos manebit et in vobis erit.*[82] Sicut enim est anima spiritus corporis, ita Spiritus Sanctus in anima. Spiritus Sanctus saepe in Sacris Litteris dicitur *Spiritus Dei, Spiritus Domini,* quoniam Dei animus est, Dei cor, Dei ipsissimus amor.

est enim ipsummet Cor Dei nobis datum.

Usque modo Deus multa quidem et magna edidit sui erga nos amoris signa; hodie vero ipsummet dat nobis cor, ipsum amorem, ipsam suam animam qua Deus ipse vivit. Quis unquam, licet miraculo amantissimus pater vel sponsus, filio vel sponsae cor suum dedit a pectore suo? Sed si hodie Deus dat nobis Spiritum suum, animam suam, necesse est ut divinam, superhumanam vitam vivamus, ideo enim homo vitam ducit brutis nobiliorem, quia rationalem animam habet, quae brutali nobilior est.

75) Cf. Dn 2, 20-21. 76) Cf. 4 Rg 2, 9. 77) Cf. Idc 13, 25; 14, 6. 19; 15, 14. 78) Cf. 1 Rg 16, 18 sqq. 79) Cf. supra not. 6-11. 80) 2 Cor 1, 3-4. 81) Act 5, 41. 82) Io 14, 16-17.

III. ALIA HOMILIA

I. Sicut descendit Seraph de coelo cum calculo ignito ad purgandum labia Isaiae, ut purgatis labiis posset Christi gloriam praedicare, ita factum est hodie. Cum enim vidisset Isaias in coelo Christi gloriam: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* [1] *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis,* [2] tunc a Seraph divinitus purgatus fuit spirituque prophetiae donatus. [3] Postquam Christus *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei,* [4] descendit Spiritus Sancti divinus Seraph et purgavit atque sanctificavit Apostolos divinaque sapientia implevit ad praedicandam Christi gloriam. Hodie quilibet Apostolorum veluti alter Ieremias datus est in civitatem munitam, in columnam ferream et in murum aereum regibus et principibus mundi universisque gentibus. [5] Hodie sicut olim Deus accipiens de spiritu Moysi dedit septuaginta senioribus Israel illosque Divino Spiritu afflatos similes Moysi effecit, [6] sic accipiens de Spiritu Christi, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [7] et cui non ad mensuram datus est Spiritus, [8] Apostolis et fidelibus Christi communicavit Christoque similes effecit. Et sicut cum Elias igneo curru in coelum raptus fuisset, Eliseus singulari Dei gratia et privilegio heres factus fuit magni spiritus Eliae, accepto illius pallio, [9] sic utique cum Christus Dominus noster in coelum ascendisset, Apostoli facti sunt per fidem heredes Spiritus Christi, de quo legimus: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis et replebit eum Spiritus timoris Domini.* [10]

Mirabiles effectus operatus est hodie Spiritus Sanctus in Apostolis, sanctificavit enim eos, divina sapientia et fortitudine eos implevit, fecit eos doctores mundi, homines divinos,

Eliseus, accepto spiritu Eliae, veluti alter Elias fuit in populo Israel, sic quilibet Apostolorum, accepto Spiritu Christi, hodie Christo simillimus redditus extitit. Et sicut Saul unctus oleo a Samuele afflatusque spiritu Prophetarum, mutatus fuit in virum alterum, [11] sic hodie quilibet discipulorum Christi mutatus est in alterum virum,

1) Is 6, 1. 2) Ibid. vr. 5. 3) Cf. ibid. vrr. 6-7. 4) Mc 16, 19. 5) Cf. Ier 1, 18. 6) Cf. Nm 11, 16-25. 7) Col 2, 9. 8) Cf. Io 3, 34. 9) Cf. 4 Rg 2, 13-15. 10) Is 11, 2-3. 11) Cf. 1 Rg 10, 6.

quisque factus est ex terreno coelestis, ex mundano divinus, ex homine veluti Angelus paradisi.

Christo simillimos potentia, sapientia et sanctitate.

In Christo triplex vel maxime divina ac supernaturalis perfectio resplenduit: potentiae, sapientiae et bonitatis sanctitatisque superhumanae ac superangelicae. In omnibus his Apostoli a Spiritu Sancto facti sunt Christo quam simillimi, ut patet in miraculorum operatione, in praedicatione Evangelii, in coelesti eorum conversatione omnibus exemplaribus virtutibus splendidissima.

Quattuor consideranda sunt: qui descendit est ipsemet Spiritus Dei.

II. Circa hodiernam autem festivitatem quattuor praecipue sunt consideranda: primum, quisnam sit iste Spiritus Sanctus qui hodie de coelo [descendit]; secundum, quomodo descendit; tertium, ubi et super quos descendit et quo tempore; quartum, ad quid descendit. Hic qui de coelo descendit, natura coelestis est, non quidem Angelus aut Archangelus, Cherub aut Seraph, sed verus Deus; ille Spiritus, qui in mundi primordiis *ferebatur super aquas,*[12] de quo item legimus quod *Spiritus Domini ornavit coelos,*[13] et quod *verbo Domini coeli facti sunt ac spiritu oris eius omnis virtus,* sive *exercitus eorum;*[14] Iob etiam 33 legimus: *Spiritus Domini fecit me et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.*[15] Largus est ac veluti prodigus sui ipsius Deus; non ei satis fuit Filium nobis dedisse, voluit etiam Spiritum Sanctum dare. Appellatur in Sacris Litteris *Deus uberum,*[16] אֵל שַׁדַּי:[17] *Meliora sunt ubera tua vino.*[18] Filius et Spiritus Sanctus sunt veluti duo ubera Dei. Sicut autem amantissima mater, cum uno ubere filium infantem lactaverit, aliud praebet ad sugendum lac, sunt autem ubera infantium consolationes, ita ut vix quicquam aliud infans desideret, sic tum Filius tum etiam Spiritus Sanctus appellatur consolator, *Paraclitus: Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.*[19]

Deus verus, infinitus thesaurus omnium bonorum.

Spiritus hic verus est Deus natura et substantia, a Patre et Filio procedens, illis consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Donum igitur confert hodie Ecclesiae suae Deus plenitudinis totius divinitatis, infinitum thesaurum omnium bonorum, donum infinitae virtutis

12) Gn 1, 2. 13) Iob 26, 13. Vulg.: *Spiritus eius,* etc. 14) Ps 32 (hebr. 33), 6.
15) Vr. 4. Vulg.: *Spiritus Dei,* etc. 16) Cf. Gn 17, 1; Ex 6, 13; Is 66, 12.
17) Ms.: *El sadai.* 18) Ct 1, 1. 19) Io 14, 16.

et potestatis, infinitae sapientiae et bonitatis. Moysi dedit donum potentiae,[20] Samsoni fortitudinis,[21] Salomonis sapientiae,[22] Davidi donum perfectae sanctitatis;[23] sed hodie thesaurum dat omnium bonorum suorum. O infinitam Dei bonitatem!

III. Descendit autem de coelo Spiritus, sed cum maiestate, non quidem terribili, ut olim supra montem Sinai ad dandam legem timoris,[24] qua ita exterrefecit populum, ut ad Moysen accurrens dixerit: *Loquere tu nobis et audiemus; non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur;*[25] non descendit hodie in igne terribili, in caligine obscura, cum strepitu tonitruorum et tubarum, non emittit fulgura et fulmina, sed venit in maiestate placida et delectabili: *Factus est repente de coelo sonus;*[26] in aura suavi Dominus.[27] Venit autem sub speciebus ac veluti hieroglyphicis figuris venti et ignis, ad declarandam ipsius Spiritus Sancti tum naturam et personam, tum virtutem et potentiam tum etiam ipsius necessitatem, utilitatem, delectationem dignitatemque et gloriam. Naturam quidem, quoniam cum Deus sit, incorporea et immaterialis natura est: *Spiritus est Deus;*[28] *Deus noster ignis consumens est,*[29] aer enim et ignis elementa sunt valde immaterialia; personam vero, quoniam Spiritus Sanctus a s p i r a n d o dicitur: *Insufflavit et dixit... Accipite Spiritum Sanctum;*[30] *Spiritu oris eius omnis virtus eorum; Spiritus ubi vult spirat.*[31] Veluti ignis est a sole in crystallino speculo concavo accensus, refracto radio, ad magnitudinem designandam: *Replevit totam domum ubi erant sedentes,*[32] nam Deus est qui ait: *Coelum et terram ego adimpleo.*[33] Magna res est implere Ecclesiam, animos hominum implere infinitae magnitudinis et capacitatis; sed tamen *implevit totam domum; Repleti sunt omnes Spiritu Sancto:*[34] solus Deus animum hominis implere potest.

Descendit hodie in maiestate placida, in figura venti et ignis, ad denotandam ipsius naturam et personam,

Ad ostendendam etiam virtutem et potestatem Spiritus Sancti venit in spiritu vehementi et igne, magna enim est vis utriusque sub-

virtutem et potestatem, necessitatem,

20) Cf. Ex 4, 1-17. 21) Cf. Idc 16, 28. 22) Cf. 3 Rg 3, 12; 2 Par 1, 12. 23) Cf. Eccli 47, 9-12. 24) Cf. Ex 19, 18-19. 25) Ibid. 20, 19. 26) Act 2, 2. 27) Cf. 3 Rg 19, 12. 28) Io 4, 24. 29) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. In margine haec adiecta fuerunt: « Ignis personam Spiritus Sancti ostendit, quoniam Spiritus Sanctus est amor, ignis autem est amoris hieroglyphicum ». 30) Io 20, 22. 31) Ibid. 3, 8. 32) Act 2, 2. 33) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 34) Act 2, 4.

stantiae; necessitatem etiam, quoniam ignis mundo summe necessarius est; ventus etiam navigantibus; nos autem navigamus per mare mundi huius ad portum paradisi, et quoniam si ventus non esset, computresceret aer et hominibus pestilens esset, sicut etiam aer necessarius est ad respirationem, sine qua vivere non potest homo, sic utique Spiritus Sanctus: sine eo nemo apud Deum vivere potest.

utilitatem

Ventus etiam vapor est ex aqua; nonnisi aqua tenuis facta est ventus, cum vapor sit. Spiritus autem Sanctus, quoniam promissus fuit in aqua, [35] propterea venit cum vento. Controvertitur adhuc apud philosophos quodnam elementum magis utile et necessarium sit, ignis an aqua, quoniam utrunque elementum est summe utile et necessarium. [36] Sed Spiritus Sanctus utriusque elementi virtutem et potestatem habet. In igne consistit animalis vita, nam extincto vitali calore, moritur animal; sed humor ignis nutrimentum ac cibus est, aer autem vitam conservat nimium ignis refrigerando calorem. Hic autem Spiritus non tantum vivis conservat vitam, sed etiam mortuos vivificat, sicut apud Ezechielem legimus: *A quattuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos* – vidit enim immensum campum plenum ossibus mortuorum, [37] – *et reviviscant... Et ingressus est in ea spiritus et revixerunt steteruntque super pedes suos exercitus.* [38]

et delectationem.

Adhuc magnam affert homini consolationem ignis in hieme et ventus suavisque aura in aestate. Spiritus autem Sanctus aura illa suavis est quae tres iuvenes sanctos in babylonica fornace refrigeravit ab Angelo filio Dei excitata; [39] ignis item mirabiliter ardens et non comburens in rubo Moysi, ubi Deus erat. [40]

Venit ad Christum glorificandum, ad mundum arguendum, ad Apostolos deificandos,

IV. Venit autem Spiritus Sanctus primo quidem, ad Christi gloriam illustrandam: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis ;* [41] *Ille testimonium perhibebit de me ;* [42] secundo, ad arguendum mundum *de peccato et de iustitia et de iudicio ;* [43] tertio, ad purgandos, illuminandos, perficiendos omnibus virtutibus, ad sanctificandos ac veluti deificandos Apostolos; quarto, ad regendam, gubernandam ac

35) Cf. Io 7, 30-39. 36) Cf. Plutarchus *Ethica sive Moralia*, pag. 412-414.
37) Cf. 37, 1-2. 38) Ibid. vrr. 9-10. Vulg.: *Et vixerunt.* 39) Cf. Dn 3, 50.
40) Cf. Ex 3, 2. 41) Io 16, 14. 42) Ibid. 15, 26. 43) Ibid. 16, 8.

defendendam Ecclesiam, navim Petri, arcam Noe in mari mundi huius, ne patiatur naufragium et pereat fluctibus mersa; ad implendum mundum fide, spe, caritate virtutibusque omnibus, Dei cognitione et amore, eliminatis vitiis et erroribus omnibus; ad reformandam ac perficiendam imaginem Dei in homine, nam ob peccatum homo sicut Nabuchodonosor in bestiam diaboli opera et iusto Dei iudicio fuerat transmutatus:[44] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*[45]

ad Ecclesiam regendam.

Venit Spiritus Sanctus ut homo non amplius brutalem, sed angelicam divinamque vitam duceret, ut esset homini veluti igneus currus Eliae,[46] quo raperetur in coelum ad aeternam gloriam possidendam. Siquidem ad consequendum supernaturalem finem supernaturalibus mediis opus est, nam propterea dedit Deus homini ab initio originalem iustitiam, quae fuisset ei veluti scala Iacob in coelum tendens;[47] per illam sensus erat rationi subiectus, ratio autem Deo per cognitionem et amorem adhaerebat, ut esset unus spiritus cum eo;[48] sic vitam ducebat in terra coelestem, in mundo divinam, cum animalibus angelicam. Sed amissa per peccatum iustitia, veluti fracta scala illa, in terram cecidit, factus est homo cum ceteris animalibus totus caro. Hodie autem reficitur scala haec per Spiritus Sancti dona; hodie homo mortuus iterum vivificatur: *Insufflavit* Deus in Adam *spiraculum vitae et factus fuit homo in animam viventem.*[49] Sic hodie interior homo vivificatur ut vitam vivat divinam.[50]

ad hominem sanctificandum.

V. Ut homo aliquid agat, necesse est ut sciat, ut possit, ut velit illud agere. Per viam virtutis incedendum nobis in coelum est. Hanc quidem indicabat lex, sed deerat voluntas et facultas. Hodie per Spiritum Sanctum datur et clara notitia et efficax voluntas et magna virtus, mirabilis fortitudo veluti Samsonis, in quem cum spiritus

Venit ut nobis esset lux et robur

44) Cf. Dn 4, 28-30. 45) Ps 48, 13. 21. 46) Cf. 4 Rg 2, 11. 47) Cf. Gn 28, 12. 48) Cf. 1 Cor 6, 17. 49) Gn 2, 7. Vulg.: *Inspiravit... factus est*, etc. 50) In margine haec adiecta fuerunt: « De effectibus Spiritus Sancti multa Deus per Ezechielem cp. 36 dicit: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris mundabo vos, et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum; et spiritum meum ponam in medio vestri et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini; et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris; et eritis mihi in populum et ego ero vobis in Deum et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris;* et per Isaiam cp. 4 appellatur *Spiritus iudicii* et *Spiritus ardoris* ad abluendas sordes filiorum Sion ».

Domini irruebat, nihil non poterat: mille ligatus funibus a Philisthaeis omnia vincula facillime disrumpebat, Philisthaeos omnes solus ipse inermis superabat, mirabilia operabatur. [51]

et dux per viam salutis,

Venit Spiritus Sanctus ad renovandum mundum: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae.* [52] Ad siccandas aquas diluvii misit Deus ventum validum, [53] sicut etiam ad siccandum mare Rubrum, ita ut sicco pede possent illud pertransire Hebraei, ventum immisit vehementem. [54] *Mundus* hic *totus in maligno positus* [55] veluti diluvium erat iniquitatis; sed exiccatae sunt aquae hae, ut patet in idololatriae impietate, quae iam diu cessavit nec vestigium quidem eius apparet. Venit ut dux nobis esset per viam salutis, sicut columna nubis et ignis populo Dei in deserto: [56] *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* [57]

quia non tantum super Apostolos, sed super omnes fideles Spiritus Sanctus descendit.

Descendit autem Spiritus Sanctus non tantum super Apostolos, sed super omnes Christi fideles, sicut enim *erant omnes . . . in eodem loco,* ita omnes repleti sunt Spiritu Sancto, hoc enim est: *Replevit totam domum,* sicut totum templum Salomonis in die dedicationis plenum fuit nebula et igne de coelo. [58] Quoniam omnes erant fideles congregati, omnes repleti fuerunt Spiritu Sancto, sicut congregatis omnibus ovium gregibus, sublato lapide ex puteo, Iacob adaquabantur oves: [59] *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

Utinam et nos non simus sicut Corinthii illi, quibus cum dixisset Paulus: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes,* responderunt: *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus.* [60] Omnis homo, o fratres, vel secundum spiritum vivit, vel secundum carnem; vel Spiritu Sancto plenus est, vel spiritu satanae, spiritu nequam, spiritu immundo; vel spiritu Dei, vel spiritu mundi: *Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius;* [61] *Qui . . . spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* [62] *Si . . . spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [63]

51) Cf. Idc 15, 14; 16, 1-30. 52) Ps 103, 30. 53) Cf. Gn 8, 1. 54) Cf. Ex 14, 21-22. 55) 1 Io 5, 19. 56) Cf. Ex 13, 22. 57) Ps 142, 10. Vulg.: *In terram rectam.* 58) Cf. 2 Par 7, 1-3. 59) Cf. Gn 29, 1-3. 60) Act 19, 2. 61) Rom 8, 9. Vulg.: *Si quis... spiritum Christi non habet,* etc. 62) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Quicunque... ii sunt,* etc. 63) Ibid. vr. 13.

FERIA II POST PENTECOSTEN

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum darei, ut omnis, qui credit in ipsum, non, etc. [1]

I. Placet oculis nostris lux, quae mundi ornamentum est et universi pulcritudo, placet auribus sonus harmonicus et musicalis concentus, olfactui suavis odor, gustui dulcissimus sapor, tactui dulcia oscula et maritales amplexus, cordi autem nostro super omnia placet amor; hoc mirum in modum delectatur cupidusque desiderat animus noster: cupit uxor amari a viro, filius a patre, servus a domino, pauper a divite, omnes magnorum principum gratiam amoremque affectant, quorum benevolentia mundus summopere gaudet et delectatur. Gaudeat igitur hodie animus, exultent corda nostra et infinita laetitia repleantur cum audiamus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Si enim principum amorem cupimus et eorum gratia delectamur,[2] Deus summus est princeps, *Rex regum et Dominus dominantium,*[3] princeps infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis et liberalitatis. Christus autem, infallibilis veritas, nos hodie certissimos facit summum hunc principem summo nos amore ineffabilique diligere: *Sic Deus dilexit mundum.*

Maximum gaudium hodie Christus nobis annunciat, idest ineffabilem Dei amorem erga nos.

II. Cherubim gloriae in sancto sanctorum divini templi veluti admirantes divinum propitiatorium intuebantur,[4] in signum quod etiam angelicis mentibus admirabilis est divina natura in propitiatorio illo hieroglyphice designata, sicut et in aurea lamina supra caput summi pontificis, in qua divinum nomen impressum sculptumque erat.[5]

Deus mirabilis est in omnibus perfectionibus, sed maxime in caritate.

1) Pericope huius diei Io 3, 16-21. Cf. Missale Rom. 2) Ms.: *Delectamus.* 3) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 4) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 8-9. 5) Cf. ibid. 28, 36.

Mirabilis Dei substantia est, quoniam est independens, aeterna et infinita; qualis autem divina essentia est, talis et omnis virtus ipsius: potentia, sapientia, bonitas. Mirabilis est divina potentia, mirabilis divina sapientia, mirabilis divina bonitas; sed super omnia caritas divina mirabilis mihi videtur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Deus amor aeternus est.

Non est quidem mirum Deum amare, necesse enim est et impossibile est eum non amare, sicut impossibile est eum non esse, nam *Deus caritas est;*[6] et sicut impossibile est solem lucidum non esse et ignem calidum, ita impossibile est Deum amore praeditum non esse; *Deus* enim *lux est,*[7] et *ignis consumens est,*[8] lux intelligentiae et ignis amoris, natura intellectualis et libera, intelligens omne verum et diligens omne bonum. Sicut autem natura divina infinita et aeterna bonitas est, ita amor, qui in aeternam infinitamque hanc bonitatem fertur, necesse est ut aeternus infinitusque suapte natura sit.

Necesse est in Deo amorem reperiri.

Tria sunt in Deo: natura, intellectus et voluntas; natura infinitae virtutis, intellectus infinitae sapientiae et voluntas infinitae caritatis. Est necessarium reperiri in Deo caritatem, sicut virtutem, sapientiam et bonitatem. In sole lucidissimo repeitur omnis gradus lucis et in igne calidissimo omnis gradus caloris; sic in Deo suapte natura perfectissimo omnis gradus perfectionis, quae sparsim in creaturis reperitur. Amor autem desiderabilis perfectio est, hinc omnia cupiunt amorem et amorem spirant.

Amor etiam in mundo imago quaedam est et similitudo Dei.

Est enim amor veluti alter Deus in mundo, pulcherrima quaedam imago et similitudo Dei. Si enim Deus spiritus est, amor utique spiritualis natura; si Deus trinus et unus, sic amor unus est boni appetitus, trinus autem erga triplex bonum: utile, delectabile et honestum; si Deus creator et conservator est omnium, amor utique omnia producit: naturalia, artificialia, moralia quae in mundo sunt, nec tantum producit, sed etiam conservat; si Deus ubique est, amor nullibi non reperitur, nam omnia quae in mundo sunt ad invicem comparata vel sunt superiora vel inferiora vel aequalia: superiora diligunt inferiora sicut causa effectum, parentes filios; inferiora diligunt superiora sicut effectus causam, filii parentes; aequalia, similia cum sint, sese tanquam

6) 1 Io 4, 8. 16. 7) Ibid. 1, 5. 8) Dt 4, 24; Hebr 12, 29.

fratres diligunt. Deinde nihil est quod seipsum suique conservationem non diligat et desideret; amor ergo ubique reperitur. Si Deus omnium dominus est, amor rebus omnibus dominatur. Homo a Deo constitutus est princeps mundi; homo autem secundum consilium voluntatis suae mundum gubernat, voluntas autem amore et desiderio gubernatur; omnia secundum naturalem appetitum et inclinationem operantur; omnia igitur amori serviunt; ergo amor est omnium dominus. Si tandem Deus potentissimus, sapientissimus et optimus est, similiter amor summae potentiae, sapientiae, et bonitatis est: amor parentum in filios eos utique fortissimos, sapientissimos et optimos erga prolem constituit. Est igitur amor in mundo imago quaedam et similitudo Dei sicut luna solis. Amor itaque in Deo est et aeternus ac infinitus, sicut ipse Deus aeternus et infinitus est, nam *Deus caritas est.*

Mirum non est quod Deus seipsum diligat, valde autem mirabile quod diligat mundum,

III. Amat seipsum Deus amore aeterno et infinito, quoniam ipse infinita et aeterna bonitas est; amat item Deus unigenitum Filium suum similiter aeterno et infinito amore, quoniam natura infinitae et aeternae bonitatis ac pulcritudinis donatus est; hinc amando Filium producit Spiritum Sanctum sibi consubstantialem, coaeternum et coaequalem, qui totus amor est, aeternus et infinitus. Nil mirum igitur est quod Deus amet, non enim potest non amare sicut non potest non esse; sed quod diligat mundum, hoc summa admiratione dignum est. [9] Quod sol sit lucidus et ignis calidus, mirum non est, neque enim potest aliter esse; sed mirum utique esset si sol noctem illuminaret et ignis non ligna, sed aquam combureret.

mundus enim iram magis quam amorem meretur;

Duo mirabilia legimus in Divinis Scripturis: alterum est quod ignis non combusserit rubum combustibilem, unde vehementer miratus fuit Moyses; [10] alterum quod ignis combusserit aquam suapte natura minime combustibilem in sacrificio Eliae, unde totus Israel miratus fuit. [11] Sed ambo haec mirabilia video in sacrosancto hodierno

9) In margine haec adiecta fuerunt: « Iacob dilexit vehementissimo amore Rachelem, quoniam pulcherrima erat; non sic Liam, quoniam deformis erat; amoris enim obiectum bonum et pulcrum est. Deus autem mundum diligit, qui nec bonus nec pulcher est; quare miraculum hoc amoris est. Sicut Samson dilexit vehementi amore Dalilam quae nec pulcra nec dives nec virtute praedita mulier erat, quae ipsum pluries in manus inimicorum tradiderat, et tamen diligebat eam dormiebatque in sinu ipsius, sic Deus diligit mundum, a quo mille mala accepit, imo tot mala quot mundus commisit peccata ». 10) Cf. Ex 3, 2-3. 11) Cf. 3 Rg 18, 34-39.

Evangelio: ignem non comburentem ligna et comburentem aquam. Est in Deo ignis divinae iustitiae, quem de coelo pluit super Pentapolim,[12] et est ignis divinae caritatis, quem heri pluit super Ierusalem.[13] Divina iustitia in sacrosancto hodierno Evangelio ignis est non comburens ligna, non puniens peccata: *Non... misit Deus Filium suum... ut iudicet mundum,*[14] qui tamen dignus erat iudicari, nam: *Hoc,* inquit, *est... iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera:*[15] Ecce rubus spinosus: *Mundus totus in maligno positus,*[16] et tamen ardens ignis divinae iustitiae non comburit hunc rubum, comburit autem aquam quae ignem extinguit, non nutrit.

et tamen a Deo magnopere diligitur.

Sic Deus dilexit mundum. Obiectum amoris est bonum et bonitas est ratio et causa amoris. *Mundus* tamen *totus in maligno positus est; Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis,* etc.[17] Si similitudo causa amoris est, mundus Deo dissimillimus est, ille enim totus lux, iste totus tenebrae; ille totus bonitas, hic totus malignitas est. Et tamen: *Sic Deus dilexit mundum,* ardet ignis in aqua. Diligit mundum, ex quo nullam sperat vel utilitatem vel honorem vel delectationem aut consolationem, quia bonorum nostrorum non indiget,[18] nec indigere potest; coelum non indiget terra, nec sol luna aut lux tenebris, sic Deus nullis eget creaturis. Hinc infinitis saeculis in seipso beatissimus mansit absque aliqua creatura, est enim in seipso omne bonum, alieno non indiget, sicut nec ignis alieno calore, nec sol aliena luce, nec fons alienis aquis.

Quandoque aliquid diligitur vel ex necessitate, vel ex impotentia, vel ex ignorantia, vel ex malitia;

Diligitur quandoque aliquid ex naturali necessitate, vel ex animi impotentia, vel ex ignorantia latentis mali, vel sub larva boni, vel tandem ex malitia et affectu nimis deordinato. Ex naturali necessitate parentes diligunt filios; ex animi impotentia amore capti ac veluti dementati sequuntur amasias amasiosque; ex ignorantia saepe inimicos diligimus et serpentes in sinu fovemus; tandem ex malitia et depravato affectu diligit intemperatus illicitas voluptates, avarus pecunias, ambitiosus honores.

In Deo autem nullum horum reperiri potest. Non naturalis necessitas, quoniam voluntas divina summe libera est et sicut potuit

12) Cf. Gn 19, 24-25. 13) Cf. Act 2, 2-4. 14) Io 3, 17. 15) Ibid. vr. 19.
16) 1 Io 5, 19. 17) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.* 18) Cf. Ps 15, 2.

mundum non creare, sic potest et non amare; non animi impotentia, quia Deus infinita potentia est; non ex ignorantia, quia infinita sapientia; non ex malitia, quia infinita bonitas.

In Deo autem nullum horum reperiri potest;

Et tamen diligit mundum omni amore indignum, qui amorem hunc nulla ratione meruit vel mereri potuit, cum amor iste aeternus sit: *Caritate perpetua dilexi te,*[19] imo mille rationibus demeruit tanquam inimicus Dei, servus peccati, mancipium diaboli, filius irae et perditionis, reus aeternae mortis. Diligit ergo ex sola infinita bonitate et misericordia sua.

diligit ergo ex sola bonitate.

IV. Quoniam vero immensa et simpliciter infinita Dei bonitas et caritas est, hinc ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quidnam, quaeso, est istud *sic ?* Infinitum finito capi non potest; amor autem iste infinitus est, finitis ergo verbis explicari non potest: *Sic Deus dilexit mundum*, amore tam magno, quod nec humana nec angelica nec divina lingua explicari nobis potest, infiniti enim nos capaces nullo modo sumus. Deus quidem infinitus est; caritas et amor quo nos diligit est Deus; ergo infinitus.

Amor Dei erga nos infinitus est

Nec tantum infinitus magnitudine, sed etiam aeternitate: *Caritate perpetua dilexi te*, dilexit enim nos ante mundi constitutionem et tunc coepit diligere nos, cum coepit diligere seipsum, imo eodem amore nos quo et seipsum. Hinc amor iste causa est nobis omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae, imo causa aeternae praedestinationis; causa est omnium erga nos beneficiorum Dei: praedestinationis, creationis, conservationis, vocationis, iustificationis, magnificationis, et tandem glorificationis.[20]

et aeternus;

O amor, cuinam te comparabimus amori? Amat optimus dominus fidelissimum servum, amantissimus sponsus pulcherrimam et honestissimam sponsam, amicus amicum, pater filium, homo bona sua, honorem suum, corpus et vitam suam. Sed non sic, non sic, quoniam omnis amor finitus est, hic autem infinitus est. Ex finita causa non potest infinitus effectus oriri, ex parvo fonte maximum flumen, ex minuta stella lumen immensum. Ex caritate autem ista ortus est infinitus effectus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unige-*

hinc infinitum donum mundo dedit, ipsum Filium suum unigenitum,

19) Ier 31, 3. 20) Cf. Rom 8, 30.

nitum daret. Filius enim hic verus Deus est, aeterno Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis, persona infinitae bonitatis, perfectionis et pulcritudinis; infinitum igitur donum est, donum omnium donorum: *Qui enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum ipso omnia nobis donavit ?* [21]

quem necessario amat tanquam seipsum;

Quod si Filium hunc non diligeret Deus, magnum non esset, sed: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [22] Diligit hunc Filium Deus infinito amore quo diligit seipsum. Amor in patre erga filium adaequat totam virtutem patris, hinc David mori cupiebat pro Absalone ad eum suscitandum. [23] Quo autem Deus maior est homine, eo amor Dei Patris maior est quovis amore humani patris erga dilectissimum filium. Hic enim Filius non est sicut filius hominis; nam in hominibus alia est substantia patris alia filii, aliud corpus patris aliud filii, alia anima patris alia filii; sed huius Filii natura et essentia ipsissima est substantia Patris; hinc ait: *Ut Filium suum*, vere *suum*, totum *suum*. Alias Deus aliena dedit, nunc vero sua. Cum mundum creavit et universa bona naturae, gratiae et gloriae, dedit Deus aliud a se; nunc autem seipsum dat totumque seipsum: *Sic dilexit*, non ut aliud mundum daret, sed *ut Filium suum* seipsumque *daret*, Filium pulcherrimum optimumque, qui cor et anima Patris est et Filius unigenitus.

et tamen ad mortem dedit

Si plures haberet filios, sicut patriarcha Iacob, [24] non magna res esset; sed cum Abrahamo unigenitum filium habere, [25] et mundo ad mortem dare pro salute mundi, pro amore mundi, sicut Abraham unigenitum filium suum dedit ad mortem pro amore Dei, hoc signum est infinitae caritatis: *Ut Filium suum unigenitum* non venderet, non commutaret, non mutuaret, sed *daret*, donaret gratis et amore: *Si scires donum Dei !* [26] Quod si dedisset in regem, in principem, in pontificem, nil mirum videretur; sed dedit in pretium, in remedium, in cibum, in panem, nedum in pastorem, socium et fratrem; dedit ad mortem: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ;* [27] *sic enim Deus dilexit mundum.*

O caritas infinita! Rex occidit unigenitum filium, ut ex eius san-

21) Ibid. vr. 32. Vulg.: *Qui etiam... cum illo*, etc. 22) Mt 17, 5. 23) Cf. 2 Rg 18, 33. 24) Cf. Gn 49, 1 sqq. 25) Cf. Ibid. 22, 2-10. 26) Io 4, 10. 27) Ibid. 3, 14.

guine faciat salutare balneum servo! Inaudita res est commutare filium pro servo, perdere filium ne pereat servus: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[28] Si non dedisset Deus hunc Filium, periisset mundus aeterna morte, sicut periissent Hebraei in deserto a morsibus serpentum, si Moyses serpentem non exaltasset.[29] Bibit mundus accepitque in Adam venenum a diabolo propinatum, contra quod solum hoc antidotum passionis et mortis Christi efficax fuit ad salvandum ex illo peccato; mundus universus reus erat iudicio aeternae mortis. Deus tamen *non misit... Filium suum... ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum,* hoc est per fidem in ipsum: *Qui credit,* viva fide in eum, *non iudicatur,* non damnatur, non perit aeterna morte; *qui* autem *non credit,* non aspicit in serpentem hunc exaltatum, *iam iudicatus est,* iam in statu est perditionis, in reatu aeternae mortis, *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei,*[30] sicut qui sumpsit mortiferum venenum et non sumit salutare antidotum, in potestate mortis procul dubio est.

ut mundus salvus fieret ab aeterna morte.

V. Nam hoc est antidotum contra mortiferum peccati venenum: vera et viva fides in Christum, *quae per dilectionem operatur,*[31] per dilectionem utique et caritatem Dei, nam qui caritatem Dei non habet, non habet Deum: *Qui non diligit, manet in morte;*[32] *Hoc est iudicium,* hinc iudicari et damnari meretur mundus, *quia lux venit in mundum,* Deus homo factus est, *et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,*[33] creaturas magis quam creatorem, errores, vitia, peccata, mortem quam veritatem, virtutes, gratiam et vitam aeternam; dilexerunt potius mala quam bona, dicentes *bonum malum et malum bonum, ponentes lucem in tenebras et tenebras* in *lucem... dulce in amarum et amarum in dulce,*[34] cum tamen lumen ipsum naturalis rationis ostendat diligendas esse virtutes et fugienda vitia; hinc enim *omnis... qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius,* non manifestat quis mala opera sua, sed abscondit, cupit latere in tenebris; *qui autem facit veritatem* bene operando, hic *venit ad lucem,* quia bona opera *in Deo sunt facta,*[35] iuxta voluntatem Dei, hinc laude et honore sunt digna.

Salus nostra est vera et viva fides in Christum et caritas in Deum.

28) Ibid. vrr. 15-16. 29) Cf. Nm 21, 8-9. 30) Io 3, 17-18. 31) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.* 32) 1 Io 3, 14. 33) Io 3, 19. 34) Is 5, 20. Ordine inverso affert hunc vr. 35) Io 3, 20-21.

Videamus ergo quid diligamus.

Vide ergo, frater, an tenebras potius diligas quam lucem. Diligendum tibi aliquid est; cordi naturalis est amor sicut igni calor et soli lux. Diligenda autem proponuntur lux et tenebrae, Deus et mundus, virtus et vitium, vita et mors, bonum et malum. Vide quid eligas: si tenebras magis diligas quam lucem, amarum quam dulce, lutum stercusque quam aurum, in morte manes. *Deus lux est*, mundus autem tenebrae; Deus aurum, mundus vero lutum et stercus.

Deum diligere debemus tanquam filii optimum patrem.

Ah, quaeso, ne simus ingrati Deo! Si nos Deus ex toto corde diligit tanquam pater dilectissimos filios, imo tanquam amantissima mater – *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non recordetur filii uteri sui? Sed si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui,* [36] – diligamus nos Deum tanquam boni filii optimum patrem. Vide, homo, quomodo te dilexit Deus, *ut Filium suum unigenitum daret* pro te, pro salute tua particulari: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me;* [37] *Maiorem* autem *hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [38]

Deus nos dilexit usque ad passionem et mortem.

VI. *Sic Deus dilexit mundum.* Dum populus Israel in Aegypto gravissima tyrannide a crudeli Pharaone opprimeretur, [39] Deus misericordia motus descendit de coelo et apparuit Moysi, apparuit autem in medio flammarum ignis ardentissimi et in medio spinarum. [40] Quidnam est hoc? Cum quis erga amicum vult amorem maximum exprimere, dicit: Ingrederer propter te in ignem! Sic Deus in medio flammarum et spinarum apparuit ad ostendendum vehementissimum amorem suum erga nos, quod propter nos gravissima tormenta Deus ipse passurus erat, sicut passio Christi demonstrat; hinc etiam cum descendit ad dandam legem, in medio flammarum descendit et in medio tenebrarum. [41] Flammae autem passionem poenarum designant, tenebrae vero mortem et privationem omnium bonorum; ut enim daret homini supernaturalem virtutem servandi divinam legem, quo posset consequi vitam aeternam, ad hoc venturus erat Deus, ut multa pateretur ac mo-

36) Is 49, 15. Vulg.: *Oblivisci potest mulier... ut non misereatur filio... Et si illa*, etc.
37) Gal 2, 20. Vulg.: *Tradidit semetipsum pro me.* 38) Io 15, 13. 39) Cf. Ex 1, 10 sqq. 40) Cf. ibid. 3, 2. 41) Cf. ibid. 19, 16.

reretur. Hoc idem mysterium est *Genesi* 15: cum Deus Abrahae promisit terram Chanaan pepigitque cum eo foedus, iussit ut occideret animalia quaedam eaque divisa altrinsecus poneret; Deus vero post solis occasum in similitudine flammae ignis pertransiit per medium perscissorum animalium.[42] Quid est quod Deus per medium mortis transit? Ut ostenderet quod etiam mortem passurus erat, quo daret semini Abrahae coelestem terram promissionis.

Divinum hunc amorem agnoscens sponsa in *Canticis* aiebat: *Pectus eius*, sive *venter eius eburneus, distinctus sapphiris*, hebraice: *Viscera eius puritas eboris, operta sapphiris.*[43] Amor in visceribus et praecordiis residet. Quare de divino hoc amore duo dicit sponsa: quod est purissimus et candidissimus sicut purissimum et candidissimum ebur, et quod est omni virtute ornatissimus sicut vas eburneum ornatum lapidibus pretiosis. Sic divinus amor sapiens est, providus, iustus, fortis, patiens, pius, longanimis, omni virtute ornatus.

Divinum hunc amorem celebrat Sacra Scriptura.

II. ALIA HOMILIA

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, etc. [1]

I. In hisce verbis ostenduntur mysteria divini erga nos amoris. Videndum autem nobis est quidnam sit ista dilectio, quis diligit, quem diligit, quomodo diligit et ad quid diligit. Dilectio amor est, caritas est, Spiritus Sanctus est, actus divinae voluntatis, divini amoris; qui diligit, Deus est; qui diligitur, mundus, non magnus, sed parvus, homo ipse;[2] modus est: *Sic*, infinita cum vehementia; finis vita aeterna; effectus: *Ut Filium suum unigenitum daret.*

Ostenduntur hodie mysteria divini erga nos amoris,

Erit sermo iste tanquam Seraph sex habens alas, qui accepit calculum ignitum de altari divino et descendit ad purganda labia polluta Isaiae. Habebat Seraph ille sex alas, duabus operiebat caput, duabus pedes et duabus mediis volabat.[3] Caput, pedes et pars cor-

qui tria complectitur: principium, finem et media;

42) Cf. vrr. 7 sqq. 43) 5, 41.

1) Io 3, 16. 2) Sic homo ab antiquis appellatus fuit. Cf. Lud. Caelius *Lect Antiq.*, lib. 2, cp. 18, col. 82-84; lib. 24, cp. 30, col. 1371-1372. 3) Cf. Is 6, 2-7.

Principium est divina praedestinatio, finis glorificatio, media gratiae collatio.

poris media idem sunt ac principium, finis et media ad finem. Finis divini huius amoris est: *Ut omnis qui credit in ipsum... habeat vitam aeternam;* principium est divina praedestinatio, quae vitae aeternae praeparatio est; media autem sunt bona gratiae. In praedestinatione duo considerantur: actus divini intellectus et divinae voluntatis. Elucet divina sapientia et benignitas ac benevolentia, qua nobis ab aeterno omne bonum excogitavit et desideravit ad nos perfecte beatificandos. In glorificatione considerantur etiam duo: visio et fruitio divinae essentiae in perpetuum, quod opus est infinitae potentiae et bonitatis, qua Deus potest et vult electis suis dare vitam et gloriam sempiternam. In bonis gratiae duo considerantur: dimissio peccati et collatio caritatis et gratiae, quae opera sunt divinae misericordiae et iustitiae.

Est igitur amor iste sapientissimus, benignissimus, misericordissimus, iustissimus, potentissimus et optimus. Haec sunt sex alae divini huius Seraph: sapientia, benignitas, misericordia, iustitia, potentia et bonitas. Infinita est divini huius amoris bonitas, potentia, sapientia, iustitia, misericordia et benignitas gratiaque: *Sic Deus dilexit mundum.* A fructibus cognoscitur arbor[4] et ab effectibus causa.

Ostendit Dominus magnitudinem divini amoris a duplici effectu.

II. Ostendit Dominus magnitudinem divini erga nos amoris a duplici effectu: alter est: *Ut Filium suum unigenitum daret;* alter vero: Ut *habeat vitam aeternam.* Maxima et infinita res est vita aeterna, qua homo simillimus Deo efficitur, maxima et infinita unigenitus Filius Dei, qui auctor est vitae aeternae et sol gloriae paradisi.

Etiam S. Scriptura magnitudinem huius amoris ostendit

Sic Deus dilexit mundum. Pluribus ostendere potuisset Dominus divini huius amoris magnitudinem: auctoritatibus et testimoniis Divinarum Scripturarum, declarationibus mysteriorum et figurarum, demonstrationibus divinorum beneficiorum. Nam primo quidem, multis modis Divina Scriptura ostendit magnitudinem divinae erga nos caritatis. M o y s e s ait: *Diligit populos; omnes sancti in manu ipsius sunt,*[5] nam *in dextera eius ignea lex;*[6] I s a i a s hoc ostendit parabola vineae dilectae;[7] I e r e m i a s ait: *Caritate perpetua di-*

4) Cf. Mt 7, 16-18. 5) Dt 33, 3. Vulg.: *Dilexit populos... illius sunt.*
6) Ibid. vr. 2. 7) Cf. 5, 1-8.

lexi te, ideo attraxi te miserans tui;[8] Malachias: *Dilexi vos, dicit Dominus.*[9] Hanc ob causam in Sacris Litteris appellatur Deus non solum Deus, Dominus, rex, iudex, creator, redemptor, salvator, sed saepe *pastor*,[10] *sponsus*,[11] *pater*,[12] sed matre amantior. Apud Isaiam: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus ... descripsi te.*[13] Hanc eandem ob causam appellatur *sol*,[14] *ignis*,[15] *aquila* pullorum amantissima, *gallina* etiam: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas;*[16] *Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos*, etc.[17] Laborat aquila nimium ad cibum quaerendum pro pullis, et licet ipsa famem semper patiatur, cibum tamen ex ore suo dat pullis suis, et cum libentissime versetur in coelis, amore tamen pullorum descendit in terram ad eos nutriendos. testimoniis

Multa etiam mysteria Divinarum Scripturarum hunc designant amorem. Hoc est mysterium amoris Iacob erga Rachelem,[18] Samsonis erga Dalilam,[19] hoc quod Deus in medio flammarum apparuit Abrahamo,[20] Moysi[21] et universo populo in monte Sinai,[22] hoc divinum sanctuarium in medio populi sui,[23] hoc *Rationale iudicii* in pectore ac supra cor summi pontificis et lamina aurea supra caput ipsius,[24] hoc divinum propitiatorium quod cherubim mirantes aspiciebant.[25] et figuris,

Sed praecipue ab effectibus et operibus hoc voluit Dominus demonstrare; nec a quibusvis operibus et beneficiis, sed a maximo omnium. Creatio mundi opus est divini erga nos amoris; conservatio naturae, universalis providentia, Angelorum custodia, Dei erga nos patientia et longanimitas, omnia denique beneficia naturae, gratiae et gloriae, signa sunt et argumenta divini erga nos amoris. Ezechiel Deum vidit in specie hominis, qui totus instar ignis splendebat igneoque curru vehebatur, currus autem a quattuor igneis a creatione mundi et a quotidiana providentia,

8) 31, 3. 9) 1, 2. 10) Cf. Ez 34, 23; Zach 11, 16; Io 10, 11-16; Hebr 13, 20; 1 Petr 5, 4. 11) Cf. Is 61, 10; 62, 5; Os 2, 19; Mt 9, 15; 25, 1-12; Apc 21, 9. 12) Cf. Eccli 23, 1-4; Is 63, 16; 64, 8; Ier 3, 19; Mal 1, 6; Mt 5, 48; 6, 1-4. 14-15. 18. 26. 13) 49, 15-16. Vulg.: *Et si illa*, etc. 14) Cf. Mal 4, 2. 15) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 16) Mt 23, 37. 17) Dt 32, 11. Vulg.: *Provocans*, etc. 18) Cf. Gn 29, 20. 30. 19) Cf. Idc 16, 4. 20) Cf. Gn 15, 17-18. 21) Cf. Ex 3, 2. 22) Cf. ibid. 19, 16-19. 23) Cf. ibid. 25, 8. 24) Cf. ibid. 28, 15-38. 25) Cf. ibid. 25, 18-20.

animalibus, homine, leone, bove et aquila trahebatur sicque per coelestes campos discurrebat.[26] Descriptio haec est divini amoris, nam etiam poetae amorem in igneo curru veluti depingunt.[27] Deus totus est igneus, quia totus caritas est; igneo curru vehitur duciturque, quia nonnisi amore regitur: *Omnia quaecunque voluit fecit,*[28] non quaecunque potuit, nec quaecunque scivit, sed *quaecunque voluit; Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*[29] Quando voluit, mundum creavit et quomodo voluit; sic legem dedit, Filium misit, Spiritum Sanctum dedit: amore regitur.

et tandem ab incarnatione Verbi, a passione et morte Christi.

Hic amor Deum adeo effecit erga nos pium, benignum, humanum, ut tandem verum hominem similem nobis effecerit; hic Deum instar leonis fortissimum pro nobis reddit ac pugnacissimum contra infernales leones propter salutem nostram; sic David, qui interpretatur a m o r, pugnabat contra ursos et leones pro salute ovium suarum;[30] hic Deum effecit constantissimum ac patientissimum ad multos perferendos pro salute nostra labores, ut tandem pro nobis mortem pertulerit: bos animal est natum ad laborem multaque affert humano generi emolumenta; hic tandem Deum instar aquilae efficit perspicacissimum ad providendum nobis quaecunque necessaria et utilia, imo etiam iucunda tum corpori tum animae et spiritui, utranque enim cupit salvare substantiam, sicut utranque condidit et ad felicitatem aeternam destinavit.

Christus tamen hunc amorem erga nos manifestat ex dono quo Deus Filium suum mundo dedit,

Dominus tamen hodie non ex hic Divinarum Scripturarum mysteriis divinum erga nos amorem manifestat, sed ab unico et singulari effectu: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Diligit homo suapte natura omnia bona sua: divitias, facultates, servos fideles, caros amicos; diligit parentes pios, sponsam carissimam; sed nil verius et efficacius diligit quam filios, maxime si unicus sit filius et simul sit pulcher, gratiosus, multis virtutibus ornatus, optimis moribus et parentibus obedientissimus. Dici non potest qualis sit optimi patris erga talem filium amor, hunc enim infinitis thesauris praefert, hunc super omnia diligit; omnis alius amor languere potest, imminui, in odium etiam mutari, hic autem non potest, quamvis pater nullam habeat evidentem certitudinem quod ille vere

26) Cf. Ez 1, 4 sqq. 27) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 14, pag. 340-350. 28) Ps 113, 3. 29) Mt 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum*, etc. 30) Cf. 1 Rg 17, 34-36.

sit suus filius, nisi quatenus uxorem fidelem et pudicam credit; mater autem ardentius diligit, quia certior patre est; hac tamen non obstante incerta opinione, summo amore unicum prosequitur filium, ita ut tali filio nullus thesaurus comparari possit. Sic Deus Christum diligit, nam semel[31] et iterum ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[32] Et tamen: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Filium suum*, quem ex se genuit et infallibili scientia novit non adulterinum esse filium, sed *suum;* unicum etiam, sibi simillimum, consubstantialem, coaeternum et coaequalem, qui carior illi est infinitis thesauris. Et tamen: *Sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* mundo

quod est donum vere ineffabile et infinitum.

O infinitum donum! *Si scires donum Dei et quis est!*[33] *Filius datus est nobis... et vocabitur nomen eius admirabile.*[34] Donum ineffabile et inenarrabile! Sic Paulus ait: *Gratias* ago *Deo super inenarrabili dono eius,*[35] nam est *omne datum optimum et omne donum perfectum... descendens a Patre luminum;*[36] *Qui* enim *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[37] Donum est infinitum, quoniam in eo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[38]

Ostendit Dominus Deum quodammodo mundum magis diligere quam proprium Filium suum.

III. *Sic... dilexit mundum, ut Filium suum... daret.* Ostendit Dominus quod duo sunt veluti obiecta divini amoris: Filius et mundus, sed quod sicut cor in medio pectoris ad sinistram partem declinat debiliorem et sol in medio coeli ad occidentem pergit, ita Deus ostendit se quodammodo mundum ardentius dilexisse quam Filium, cum pro salute mundi illum passioni et morti crucis dederit, ut mundum aeterna vita et gloria donaret: *Sic... dilexit mundum*, hominem, cui ab initio suasit diabolus, ut parum a Deo diligeretur: *Scit enim Deus quod quacunque* hora, etc.,[39] quasi invideret Deus homini. Hinc omnium malorum et totius impietatis origo; hic morsus fuit serpentis infernalis, quo totum genus humanum letali veneno infecit. Sed en manifestissima divini amoris demonstratio: *Sic Deus dilexit mundum*, amore inexcogitabili, incredibili, ut pater pro salute servi velit unici

31) Mt 3, 17; Mc 1, 11. 32) Mt 17, 5; 2 Petr 1, 17. 33) Io 4, 10. 34) Is 9, 6. Ex hebraico. 35) 2 Cor 9, 15. 36) Iac 1, 17. 37) Rom 8, 32. 38) Col 2, 9. 39) Gn 3, 5. Vulg.: *In quocunque die.*

filii sanguinem fundere. Deus totus est amor: *Deus caritas est;*[40] vinci in amore non patitur. Dedit homo, Abraham, Deo unicum ac dilectissimum filium;[41] ita et Deus mundo, ipsi homini, unicum dono dat Filium. Dedit autem, o mirabile dictu! non in regem, in pontificem, sicut Moysen, Aaronem, Davidem, Salomonem; non in praemium, ut in patria, sicut solem in mundi lucem; sed in pretium, imo in edulium, in cibum, in panem vitae aeternae: *Ut omnis,* inquit, *qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

Amor in Deo est qualitas omnium perfectionum suarum.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, etc. Sicut in sole reperitur omnis gradus luminis, in igne caloris, in melle dulcedinis, in coelo omnes stellae quae ipsum exornant sicut gemmae regium diadema, sic in Deo reperitur omnis perfectio omnisque perfectionis gradus qui in creaturis corporeis ve' incorporeis, visibilibus vel invisibilibus reperiri potest, et multo eminentius, sicut in aureo talento multae pecuniae aereae vel argenteae, sicut in rege omnis potestas et iurisditio gradusque dignitatis totius regni, in Summo Pontifice omnis auctoritas totius Ecclesiae omniumque sacerdotum. Amor autem qualitas est perfectionis, sicut et cognitio. Hinc mirum non est si Divinae Scripturae saepe Deo tribuunt amorem, imo Deum docent nonnisi amorem esse: *Deus caritas est.*

Duo amores hodie nobis proponuntur: Dei et mundi;

IV. *Sic Deus dilexit mundum.* Duo amores proponuntur nobis in hodierno Evangelio: alter quidem Dei, alter mundi, sive hominum qui sunt in mundo; sed ille quidem causa est omnium bonorum, hic causa omnium malorum; ille causa vitae et salutis aeternae: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam,* hic autem causa mortis et perditionis perpetuae: In *hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*[42]

Deus mundum maxime diligit,

Deus mundum diligit, mundus autem non Deum summum bonum, sed quod malum est vult magis diligere. *Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem* in *tenebras et tenebras* in *lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce!*[43] Deus mundo ex amore

40) 1 Io 4, 8. 16. 41) Cf. Gn 22, 1-10. 42) Io 3, 19. 43) Is 5, 20. Ordine inverso affert hunc vr.

unicum Filium dedit quem maxime diligebat, mundus autem non vult dare Deo quod suapte natura diligit, sicut Abraham Deo Isaac dedit quem maxime diligebat. Hinc de nobis iure conqueritur Deus, sicut mulier illa samaritis in diebus Elisei apud regem Israel conquesta fuit quod, cum ipsa fame ducta filium suum unicum occiderit et una cum socia comederit, socia nollet iuxta pactum stare promissis.[44]

sed mundus non diligit Deum.

Vide, o homo, si vitam cupis sempiternam consequi, quid diligas: lucem an tenebras, Deum an mundum, spiritum an carnem, virtutem an vitium, nam divinus amor via salutis est, mundanus autem perditionis.

Divinus amor via salutis est.

44) Cf. 4 Rg 6, 26-29.

FERIA III POST PENTECOSTEN

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, etc. [1]

Declarat Christus quaenam sint media ut ad finem nostrum perveniamus.

I. Sunt sensus corporis nostri veluti portae atque fenestrae per quas sensibilia mundi in animam per cognitionem ingrediuntur. Non potest sine oculis lux videri, sine auribus sonus audiri, sine naribus odor percipi, sine palato sapor gustari, nec potest quisquam sine convenientibus et necessariis mediis finem consequi: non volat sine pennis avis, non graditur sine pedibus animal, non sulcat aequora navis sine velis et remis, sine armis non contendit miles. Cum autem nos a Deo ad ipsius imaginem supernaturaliter conditi, ad finem etiam supernaturalem destinati simus, hunc procul dubio absque supernaturalibus mediis a Deo ordinatis consequi minime poterimus. Quae autem haec media sint declarat hodie Christus in sacrosancto Evangelio dicens: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur:* [2] ostium utriusque Ecclesiae, et militantis in terra et triumphantis in coelo. Felices qui per hoc ostium ingrediuntur, perpetuam enim felicitatem vitamque sempiternam inveniunt.

Unicum Ecclesiae ostium Christus est,

II. Sicut in arca Noe unum tantummodo ostium fieri voluit Deus, [3] et ea tantum animalia ab aquis diluvii salvata fuerunt, quae per ostium illud in arcam salutis fuerunt ingressa, sic in Ecclesia Sancta Dei, quae sola arca salutis est, extra quam salus reperiri non potest, [4] unum est ostium, Christus: *Unus... mediator*

1) Pericope huius diei Io 10, 1-10. Cf. Missale Rom. 2) Io 10, 9. 3) Cf. Gn 6, 16. 4) Alludit ad notum axioma theologicum: « Extra Ecclesiam nulla salus ». Quo sensu vero accipiendum sit, cf. H. Hurter *Compendium Theologiae Dogmaticae*, vol. 1, tract. 3, De *Ecclesia*, pag. 265-266.

Dei et hominum, homo Christus Iesus; [5] *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur.* Tabernaculum etiam Moysi unum tantummodo habuit ostium,[6] similiteret templum Salomonis.[7]

Est autem Christus ostium naturae, quoniam *omnia per ipsum facta sunt;* [8] ostium gratiae, quoniam *gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [9]. et ostium gloriae: Hic *domus Dei* est *et porta coeli,* [10] sic dixit sanctus Iacob cum in somnis coelestem scalam vidit.

ostium naturae et gratiae,

Et forte ad illa mysteria allusit hodie Christus ut illa aperiret; nam et scala illa per quam Angeli ascendere et descendere aperto coelo visi sunt,[11] Christum ipsum designat, unde ipse ait: *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* [12] Et forte idem est Christum esse scalam coeli et portam coeli; hinc sanctus patriarcha cum scalam vidisset, dixit: Hic *domus Dei* est *et porta coeli;* nam esse scalam et portam coeli nihil aliud est quam esse salutis aeternae unicum mediatorem atque auctorem verumque Messiam. Nam ad ostendendum se verum esse Messiam Christus se ostium esse dixit, quoniam *conspiraverant Iudaei ut si quis confiteretur ipsum esse Messiam, extra synagogam fieret,* [13] unde nec ipsi credebant nec alios credere volebant in Christum; hinc eos Christus *fures* et *latrones* appellat, non intrantes in ovile per ostium perdentesque oves dominici ovilis. Christus igitur ostii parabola pastorisque ostendit se salutis nostrae mediatorem auctoremque esse: mediatorem quidem: *Per me si quis introierit, salvabitur;* auctorem vero: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* [14]

quia unicus auctor et mediator salutis.

III. Sic futurus erat Messias verus salutis nostrae mediator et auctor tanquam verus Deus et verus homo. Hoc est mysterium scalae coelestis, cui innitebatur Deus. Christus enim homo scala est, in quo plures sunt gradus: naturae, gratiae et gloriae et tandem divinitatis ipsius, qua Dominus est Angelorum; hinc vidit *Angelos*...

Talis futurus erat Messias, verus Deus et verus homo,

5) 1 Tim 2, 5. 6) Cf. Ex 38, 19. 7) Cf. 3 Rg 6, 31. 8) Io 1, 3.
9) Ibid. vr. 17. 10) Gn 28, 17. 11) Cf. ibid. vrr. 12-13. 12) Io 1, 51.
13) Ibid. 9, 22. Vulg.: *Eum confiteretur esse Christum*, etc. 14) Ibid. 10, 10.

ascendentes et descendentes; Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.[15]

homo hypostatice Deo unitus, cuius ideo actiones infiniti valoris et meriti erant.

Christum autem hominem Deum esse non per naturam est, quasi humana natura in divinam conversa sit, sed per specialissimam inhabitationem: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;*[16] hinc ait: *Vere Dominus est in loco isto*[17]... *hic... domus Dei* est, in qua inhabitat non tantum per naturam, per gratiam, per gloriam, sed per hypostaticam unionem. Sicut ignis in carbone accenso taliter habitat quod veluti unum idemque sunt ignis et carbo, et accensus carbo ignis dicitur, sic Christus homo dicitur Deus per divinam unionem; quia vero *domus Dei* Christus, propterea *porta coeli,* mediator et auctor salutis nostrae. Sanctissima enim Christi anima in templo corporis sui non mansit otiosa, sed Deum semper coluit summa religione, pietate et caritate, Patrem semper adorans *in spiritu et veritate.*[18] Quaelibet autem Christi actio infiniti meriti apud Deum erat, quoniam infinita ex caritate et gratia emanabat.

Non poterat autem sibi mereri gratiam vel gloriam, sed meruit nobis, ideo vere est ostium salutis.

Non poterat autem sibi vel gratiam vel gloriam mereri, neque augmentum gratiae vel gloriae, quoniam a primo instanti conceptionis suae infinita plenus gratia et gloria fuit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*[19] Meruit igitur nobis tum gratiam iustificantem et sanctificantem, tum etiam gloriam beatificantem, et quia gratiam gloriamque nobis acquisivit, propterea dicitur *porta coeli* et *ostium* salutis: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur.* Ingressus autem per fidem est: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[20] Haec est salus: vita aeterna; hoc est: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Per hoc ostium intravit caecus illuminatus: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum,*[20a] sicque factus est ovis Christi pastoris.

His parabolis Christus ostendit se ostium et pastorem;

IV. Sed operae pretium est ut intelligamus duas has Christi parabolas quibus, ut ostendat se verum esse Messiam, demonstrat se ostium esse atque pastorem: *Ego sum ostium; per me si quis introierit,*

15) Dn 7, 10. 16) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso*, etc. 17) Gn 28, 16. 18) Io 4, 23-24. 19) Ibid. 1, 14. 20) Ibid. 3, 15. 20a) Ibid. 9, 38.

salvabitur; Ego sum pastor bonus;[21] *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*

Mundus iste totus contrariis plenus est: luce et tenebris, nocte et die, aestate et hieme, calido et frigido, aqua et igne, terra et coelo, infirmitate et sanitate, vita et morte et, ut uno dicam verbo, bonis et malis. Praeter corporalia autem bona et mala, sunt etiam spiritualia: virtutes et vitia, gratia et peccatum; sunt etiam praeter temporalia, aeterna: gloria et poena, vita perpetua et mors sempiterna.

Venit enim ut nos ab omnibus malis eriperet et omnibus bonis donaret.

Christus venit ut nos ab omnibus eriperet malis omnibusque donaret bonis, propterea dicitur *ostium* ovilis et *pastor ovium;* cum enim intra ovile fuerint oves clauso ostio, a lupis utique securae sunt, luporum non timent truculentam rabiem; a pastore autem optimis pascuis pascuntur, bonis omnibus providentur atque donantur. Adam fuit nobis ostium omnium malorum corporalium et spiritualium, temporalium et aeternorum; Christus autem ostium est nobis omnium bonorum, sed ostium clausum et apertum: clausum, nam ait: *Huic ostiarius aperit,*[22] apertum: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet;*[23] clausum omnibus malis, apertum omnibus bonis; hinc Ioannes ostium vidit in coelo apertum.[24]

Hinc dicitur ostium.

Sic etiam de ostio hoc divino multa alia legimus paradoxa: quod sit magnum et parvum: *Magnus Dominus;*[25] *Parvulus... datus est nobis;*[26] quod sit excelsum et humile: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos;*[27] *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;*[28] quod sit latum et angustum: *Latum mandatum tuum nimis;*[29] *Contendite intrare per angustam portam;*[30] quod sit unum et quod sint plura: *Ego sum ostium; Unus... Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus,* et tamen Ioannes duodecim portas vidit in coelesti Ierusalem.[31]

Variis modis Christus est ostium salutis.

Sed sicut Deus unus et trinus est, ita Christus una porta et plures portae, nam huic quidem porta salutis est per potentiam operando miracula, illi per sapientiam, alteri per bonitatem, his per misericordiam, illis per iustitiam, aliis per caritatem, nonnullis per suam gloriam et maiestatem, his per exercitium pietatis in proximum, illis

21) Ibid. 10, 11. 14. 22) Ibid. vr. 3. 23) Ibid. vr. 9. 24) Cf. Apc 4, 1. 25) Ps 47, 2; 94, 3; 95, 4; 144, 3; 146, 5; Eccli 43, 5. 26) Is 9, 6. 27) Ps 96, 9. 28) Mt 11, 29. 29) Ps 118, 96. 30) Lc 13, 24. 31) Cf. Apc 21, 12.

per exercitium contemplationis divinae, aliis per specialia exercitia aliarum quarumlibet virtutum. Sic una porta Christus et plures portae Christus. Quoad alia vero, sicut Christus spiritualibus divinisque bonis ditissimus fuit, corporalibus vero et mundanis pauperrimus, absque ullis divitiis, honoribus et deliciis, sic spiritui ostium istud magnum, latum et altum est, carni vero parvum, humile et angustum.

Ad ingrediendum hoc ostium opus est paupertate, humilitate et poenitentia.

Ad ingrediendum per hoc ostium paupertate hominibus opus est, nam impossibile est divites intrare in regnum coelorum: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum;* [32] opus est humilitate, nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* [33] *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum;* [34] opus est poenitentia: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis;* [35] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [36]

Datur etiam ostium perditionis; videamus ergo quodnam ostium eligamus.

V. *Ego sum ostium* salutis; *per me si quis introierit, salvabitur.* Datur etiam hominibus ostium perditionis, datur etiam ostium inferni, sicut ostium paradisi et porta coeli. Et ostium quidem hoc magnum est, latum, altum et semper apertum: *Lata... et spatiosa via est quae ducit ad perditionem.* [37] Vide, frater, quodnam ostium eligas: unum Dei est, alterum diaboli; unum Christi, alterum satanae; unum paradisi, alterum inferni; unum perpetuae gloriae, alterum sempiternae poenae et cruciatus. Dives ille epulo elegit ostium magnum, latum et apertum, sed *mortuus est dives et sepultus est in inferno;* [38] beatus autem Lazarus elegit ostium parvum, humile et angustum, sed *factum est... ut moreretur... et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* [39]

Christus neminem cogit, sed qui salutem vult, per hoc ostium ingredi debet.

Dices: angustum valde est hoc ostium. Non nego. Christus ipse id dixit: *Quam... arcta est via quae ducit ad vitam!* [40] Sed non te cogit Christus ut intres; hinc ait: *Per me si quis introierit, salvabitur.* Non te cogit, sed si vis salutem, per hoc ostium ut intres necesse est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur [me],* [41] *et habebit lumen vitae.* [42] Neminem cogit, sed *qui vult,* in-

32) Mt 19, 24; Mc 10, 25; Lc 18, 25. 33) Iac 4, 6. 34) Mt 18, 3. 35) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 36) Mt 3, 2; 4, 17. 37) Ibid. 7, 13. 38) Lc 16, 22. 39) Ibid. 40) Mt 7, 14. Vulg.: *Via est,* etc. 41) Ibid. 16, 24. Vulg.: *Si quis vult post me venire,* etc. Affert ex Breviario Rom. Com. Unius Martyris, antiph. ad *Magnificat* 2 Vesp. 42) Io 8, 12.

quit; sic: *Per me si quis introierit, salvabitur* a morte aeterna, ab omnibus malis, consequetur vitam aeternam: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant*, vitam aeternam cum affluentia omnium bonorum: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

Magna res est salus aeterna et omnia toleranda sunt mala ut eam assequamur.

Considera, frater, quid sit istud *salvabitur* et videbis minime arduum esse per hanc portam intrare. Vide quid agat infirmus cupidus salutis ut sanitatem consequatur, per quam arctum ostium ingreditur, quam patiatur inediam, quot amaras sumit potiones! Pauper mercator cupiens ditari, per quam arctam portam transit a paupertate ad divitias! Miles cupiens magnam aliquam coronam, honorem et gloriam consequi, nec mortis pericula fugit. Nobis autem proponitur vita aeterna cum aeternis divitiis, honoribus et voluptatibus. Si reo mortis in crastinum suspendendo vel decollando, aperiret quis ostiolum angustissimum, adeo ut nonnisi nudus et magna cum difficultate exire posset ex carceribus, dicas: num refugeret ostium illud, cum per illud possit a morte salvari? Sic ait Christus: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur* ab aeterna morte et consequetur sempiternam vitam. Si dives moriens divitiis suis posset redimere vitam mortemque effugere, num divitiis parceret? num non etiam seipsum venderet?

Per ostium Christi intratur fide et caritate.

Magna res vita est, sed vita aeterna res maxima, inaestimabilis, incomprehensibilis est. Christus vere aeternae salutis, vitae et gloriae ostium est. O homo, credis hoc? credis? credis, inquam? Cur ergo refugis per hanc portam intrare? cur angustiam portae huius exhorres? Si clausum videtur tibi hoc ostium ut intrare non possis, adest ostiarius ad aperiendum paratus, adest Spiritus Sanctus. Fores huius ostii sunt fides et caritas, symbolum fidei et decalogum legis caritatis.

Ardua proponunt fides ad credendum et caritas observandum.

Iis qui spiritum Dei non habent, clausum hoc ostium est, clausae hac fores ex nimia difficultate credendi quoad intellectum et operandi quoad voluntatem, nam: *Plenitudo ... legis est dilectio;*[43] in hac *universa lex pendet et Prophetae.*[44] Credere Deum trinum et unum, Christum Deum et hominem esse, summa est difficultas; diligere Deum super omnia et proximum tum amicum tum inimicum sicut seipsum, non minor est difficultas. Sic legimus quod ostium templi Salomonis, tum illud per quod ingrediebatur sacerdos in sancta, tum illud per quod ingrediebatur in sancta sanctorum, duplex erat, idest duas

43) Rom 13, 10. 44) Mt 22, 40.

habebat fores ex lignis opertis auro, in quibus sculpta erant cherubim, palmae et flores:[45] opus est intelligentia cherubica ad intrandum per hoc ostium, opus item palmis victoriarum contra vitia carnis et tentamenta diaboli, opus floribus virtutum.

Sed Spiritus Sanctus aperit has fores tribuens fidem simul et caritatem, cognitionem Dei et amorem, hinc missus in igne est,[46] qui simul lucet et ardet; sic divinus iste ostiarius ostium hoc aperit, ad hoc enim missus de coelo est, eoque aperiente, innumerabilis hominum multitudo ingressa per hoc ostium est, credentes in Christum divinamque eius legem observantes. Ingressi sunt autem per hoc ostium tum pastores tum oves: pastores, ut Apostoli, Pontifices, Episcopi omnesque rectores Sanctae Ecclesiae divina a Christo et Spiritu Sancto potestate et auctoritate donati eamque exercentes ad aedificationem et salutem fidelium, quorum princeps Christus est, qui *princeps pastorum* dicitur;[47] tum etiam oves, omnes animae fideles: *Ego sum ostium ovium.*

sed Spiritus Sancti gratia facilia et levia reddit.

Qui autem Christi fide donatus non est, non ingreditur per hoc ostium, sed quaerens aliunde ascendere et super gregem Christi potestatem exercere, *fur est et latro.*[48] *Fur* est haereticus, *latro* tyrannus persequens Christi Ecclesiam, sicut Pharisaei persecuti fuerunt caecum illuminatum, eicientes eum extra synagogam ob Christi confessionem;[49] illius enim facinoris occasione Christus hanc de ostio parabolam proposuit ostendens se esse ostium verae Ecclesiae eiusque legitimum pastorem: ostium per fidem, per caritatem, per gratiam iustificantem et sanctificantem, quam in Baptismo suscipimus, et pastorem[50] per conservationem gratiae coelestis et specialem providentiam gugernationemque Ecclesiae usque ad futuram paradisi gloriam felicitatemque aeternam. Ostium Christus est in sacramento Baptismi, pastor in Eucharistia, ubi cibo et potu corporis et sanguinis sui pascit oves suas, *ut vitam habeant et abundantius habeant.* O felices, qui per hoc ostium ingrediuntur, ut sic a pastore isto divino pascantur! Felices, quibus ostiarius aperit, qui Spiritu Sancto donantur, ut bene credant et optime vivant! Hi enim procul dubio vitam consequentur aeternam.

Christus unicum ostium Ecclesiae est et unicus pastor.

45) Cf. 3 Rg 6, 31-35. 46) Cf. Act 2, 2-4. 47) 1 Petr 5, 4. 48) Io 10, 1.
49) Cf. Ibid. 9, 30-34. 50) Ms.: *Pastor.*

IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS

Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc. [1]

Agitur hodie de primo mysterio fidei nostrae, ineffabili et incomprensibili et maxime necessario ad credendum.

I. Parva navicula immensum mare oceano infinitis partibus ampius, imo mari illo quod fuit diluvii tempore, nullis litoribus circumdatum, sine fine maius atque profundius nobis hodie navigandum proponitur, quod nec cum arca quidem Noe, [2] vel navi Salomonis [3] sulcari cum salute potest. Celebrat hodie Sancta Mater Ecclesia festum, non alicuius Sancti aut Sanctae vel omnium simul Sanctorum et Angelorum, sed festum Sanctissimae Trinitatis, festum ipsius Dei, qui *Sanctus Sanctorum* est, [4] qui Sanctos omnes sanctificavit, iustificavit, glorificavit, imo vocavit et praedestinavit infinitis saeculis ante creationem mundi. [5] Tractandum loquendumque proponit de Sanctissimae Trinitatis essentia, virtutibus, operibus laudibusque; mysterium linguis etiam angelicis ineffabile cherubicisque et seraphicis mentibus incomprehensibile; mysterium nostrae fidei primum maximumque, quod totius fidei basis et fundamentum est quodque cunctis fidelibus necessario et explicite credendum est, quamvis incomprehensibile et ineffabile sit. Deum Optimum Maximum rogo, ut naviculam hanc nostram in mediis immensi huius pelagi fluctibus hodie regat optimus ipse nauclerus, qui arcam Noe in medio vastissimi illius maris rexit et gubernavit, cum totius universi, maxime vero humani generis salute.

1) Pericope huius diei Mt 28, 18 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 7, 1 sqq. 3) Cf. Prv 30, 19; Sap 5, 10. 4) Dn 9, 24. 5) Cf. Rom 8, 29-30; Eph 1, 45; 2 Tim 1, 9.

Ecclesia Evangelii praedicatione Christum mundo peperit.

II. Est Sancta Ecclesia mirabilis illa mulier, quam Ioannes vidit in coelo, sole amictam stellisque duodecim coronatam, tenentem lunam sub pedibus, quae *clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret,* sed tandem *peperit filium masculum, qui... raptus est... ad Deum et ad thronum ipsius;* [6] mulier sponsa Dei in coelo posita, quoniam *nostra... conversatio in coelis est;* [7] sole iustitiae Christo amicta: *Quicunque... in Christo baptizati estis, Christum induistis.* [8] Duodecim stellae in capite duodecim sunt fidei articuli; sed pariendi difficultas: *Clamabat parturiens et cruciatur ut pariat,* difficultas est praedicandi Evangelium, persuadendi fidem Christi hominibus. Per Evangelii enim praedicationem Ecclesia Christum mundo peperit in spiritu, sicut Sanctissima et Beatissima Virgo Maria peperit carne.

Valde difficile erat mundo persuadere mysteria fidei.

Clamabat parturiens et cruciatur ut pariat. Non enim poterat capere mundus incomprehensibilia fidei christianae mysteria, maxime vero Divinae Trinitatis mysterium, quod Deus unus sit in essentia et trinus in Personis, ex quo pendet divinae incarnationis sacramentum. Laborabat tunc mundus maxima ignorantia divinitatis, erat *Deus* taliter *absconditus* [9] et sic in tenebris posuerat latibulum suum, [10] ut omnes gentes universum per orbem diffusae vel Deum negarent cum insipienti et impio atheista: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus,* [11] sicut Pharao dixit: *Quis est Dominus ut audiam vocem eius?... Dominum nescio et Israel non dimittam,* [12] vel falsos deos daemoniaque colerent impia superstitione execrandaque religione, dediti pessimo cultui idolorum.

Lex Moysi Deum esse constantissime docuit,

III. Sola gens Iudaeorum verum Deum colebat: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius,* [13] quae unum tantum esse Deum coeli et terrae creatorem universique moderatorem confitebatur a legislatore Moyse edocta: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est.* [14] Et quidem lex Moysi de Deo non modicam, sed magnam utique cognitionem attulit mundo, sicut luna plena nocturnis tenebris, sereno coelo, magnum lumen affert. Primo enim Deum esse constantissime docet contra atheistas, qui non credunt nisi quae sensibus

6) Apc 12, 1-5. Vulg.: *Ut pariat... thronum eius,* etc. 7) Phil 3, 20. 8) Gal 3, 27. 9) Is 45, 15. 10) Cf. Ps 17, 12. 11) Ps 13, 1; 52, 1. 12) Ex 5, 2. Vulg.: *Nescio Dominum,* etc. 13) Ps 75, 2. 14) Dt 6, 4. Vulg.: *Dominus unus est.*

percipiunt, similes homini a nativitate caeco qui, quoniam coelum, astra, solem lucemque nunquam vidit, haec penitus neget, quandoquidem potissimis demonstrationibus haec illi probari a quoquam minime possunt.

Lex igitur Moysi contra portentosa haec monstra Deum esse manifestissime et constantissime docet, sicut universa semper cum theologia tum etiam naturalis philosophia docuit docetque, ut sicut in numeris est unitas omnium numerorum principium, ita in entibus primum ens omnium entium causa, et sicut in lucidis datur primum lucidum unde omnis lux, in calidis primum calidum unde omnis calor, sicut in regno rex a quo pendet omnis potestas, in Ecclesia Summus Pontifex unde ecclesiastica omnis auctoritas, [sic] qui universam naturam regat et moderetur primus motor, auctor omnium, principium unde coelum et natura dependet. Si enim Deus non est, a quonam mundana haec fabrica constituta est? a quonam universa natura regitur et gubernatur? a quo moventur coeli? a quo generantur omnia sub coelo? Si invisibilis spiritus non est, animal a quonam movetur? Casu ne omnia facta sunt et fiunt quae imperturbato et imperturbabili ordine ac dispositione incomprehensibili et ineffabili constant? Quis non cachinnis mille derideat dicentem horologium summa arte fabrefactum, casu et fortuito ex sese esse compositum? Summa igitur cum ratione Moyses docuit Deum esse, cui universus sapientum accinit consonantissimus chorus.

cui suffragatur naturalis philosophia,

Docuit etiam Deum unum esse; si enim unus sufficit, ad quid alii? Num dandus est Deus frustra? Omnium astrorum in coelo sol unus est princeps; monarchia optimum est regimen, nec plures reges unum capit regnum; apibus unus est rex, nec plures ullo pacto volunt, et universo exercitui unus imperator praeficitur; unaquaeque respublica unum habet ducem principemque virum. Sic mundi principem rectoremque Divinus Moyses unum esse docuit divina sapientia praeditus divinitusque edoctus. Nam cum grandaevus esset, vir octogenarius [15] et omni sapientia Aegyptiorum instructus, [16] divinum tamen adhuc ignorabat nomen illudque ab ipso petiit Deo, qui sibi in igne flammaque in rubo ardenti apparuit, [17] a quo

quae docuit etiam Deum unum esse.

15) Cf. Ex 7, 7. 16) Cf. Act 7, 22. 17) Cf. Ex 3, 2-13.

et accepit: *Ego sum qui sum,*[18] ens primum, quod est ens unum. Sic deitatis suae naturam Moysi Deus declaravit.

Deus dicitur ens simpliciter,

IV. Dicitur Deus simpliciter e n s, quoniam omnia alia entia respectu illius tanquam nihil sunt, quamvis nobis magna esse videantur. Sicut enim astra coeli, quamvis in nocte splendentia nimis magnoque lumine praedita esse videantur, in die tamen, praesente sole, cuius tamen finita lux est, penitus disparent, quasi nulla omnino in coelo stella sit; eodem modo totius universi entia Dei comparatione nihil sunt, sicut etiam terra coelo comparata vix unius puncti magnitudinem habet. Hinc I s a i a s ait: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.*[19] Sic solus Deus dicitur e n s, sicut solus sol lucidus, solus ignis calidus.

idest ens primum, independens, causa entium omnium,

Quoniam vero creata omnia procul dubio aliquid sunt, ad eorum discrimen Deus dicitur e n s p r i m u m, quod est ens unum; ens primum, quod omnium entium causa et principium est, universalis naturae fons et origo primaeva. Quod si primum ens Deus est, sicut in numeris unitas, necesse est ut sit ens independens, alioquin primum non est si causam et principia habeat unde dependeat. Quare entia omnia dependent ab ipso primo, primum autem ipsum a nullo alio, sicut lumina omnia coeli a sole, solis autem lux a nullo alio luminari; et in regno magistratuum omnium auctoritas a rege, ipsius autem regis auctoritas a nullo alio superiori magistratu; et sicut omnes rivi a fonte, fons autem ab illis minime dependet; et sicut tandiu rivi existunt quandiu a fonte emanant illisque fons aquas communicat, ita tandiu entia sunt quandiu Deus illis communicat esse; sicut etiam accidentia omnia a substantia pendent, ipsa autem substantia a nullis accidentibus. Sic utique Deus ens primum et independens est.

aeternum,

Quod si primum ens est et independens, necesse est ut aeternum sit, quod nunquam coeperit esse; a seipso enim fieri minime potuit, cum nihil possit esse causa sui ipsius; quod enim non est, agere nihil potest, actio enim alicuius entis actio necesse est ut sit; si vero ab alio factum est, non primum et independens erit, nec Deus erit.

Quod si primum, independens et aeternum, necesse est ut sit ens simplicissimum, nulla penitus compositione compositum, alio-

18) Ibid. vr. 14. 19) 40, 17.

quin principia componentia causamque componentem haberet, cum non potuerit seipsum componere. Quod si simplicissimum; necesse est actum esse purissimum, spiritum simplicissimum, adhuc autem summa perfectione praeditum, absque ullo penitus defectu, non compositum ex actu et potentia, privatione et habitu; necesse est ergo infinita perfectione praeditum esse, alioquin perfectius adhuc esse posset. Si autem infinitae perfectionis est, unum necesse est esse, nam si plura dantur infinita, daretur infinito infinitius, quare infinitum minime infinitum esset. Sic summa cum ratione docet Moyses Deum unum esse, impossibile enim est plures esse, Deitatis ratione recte intellecta. Hinc non tantum Moysis theologia, sed universa etiam philosophia docuit Deum primum, independens, aeternum, infinitum unumque ens esse.

simplicissimum, summa perfectione praeditum

et unicum.

V. At de Trinitate Divinarum in uno Deo Personarum neque veterum philosophia neque Moysi theologia aliquid docuit. Non, inquam, philosophia, nam quamvis verum sit Pauli assertum quod *invisibilia* Dei *a creatione mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas,* [20] non tamen ex creaturarum contemplatione Trinitatis mysterium cognosci naturali lumine potest, quoniam unica et indivisa Trinitatis actione creatus est mundus estque id opus essentiae potius quam Personarum speciale. Sicut autem conspecta aliqua pictura vel sculptura summa cum ratione daedalica manu effecta, cognoscimus auctoris artem, iudicium sapientiamque, non autem ipsius auctoris naturam, mores, figuram, genus, fortunam, naturales, inquam, affectiones et passiones, an optimis moribus praeditus fuerit nec ne, an figura formaque decorus vel non, an nobilis an ignobilis, si dives vel pauper et alia id genus, sic ex mundi fabrica cognoscitur Dei potentia, sapientia et bonitas infinita, non autem trinitas Personarum cum unitate essentiae: quod una persona sit Pater ingenitus, altera Filius genitus, a Patre realiter distinctus, tertia Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens tanquam aeternus amor. Quia igitur ex his quae facta sunt Trinitas investigari non potest, hinc nullus philosophorum naturali lumine Trinitatis mysterium attigit.

De Trinitate autem Personarum nec naturalis philosophia aliquid docuit,

20) Rom 1, 20.

nec theologia Moysi, non enim cognoscere poterat.

Nec Moysi, ut dixi, theologia, quae prima tradidit fidei elementa, tanquam paedagogus noster in Christo,[21] de Trinitatis mysterio quicquam aperte docuit, sed tantum a longe insinuavit. Nec enim potuit, quoniam *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris,*[22] ipse enarraturus erat nobis quod optime noverat, nemo enim docere potest quod minime novit. Sicut autem quae sunt in humano corde nemo novit, nisi animus ipse hominis, sic quae in Deo sunt nemo novit, nisi Filius ipse Dei: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*[23]

Sola Sancta Ecclesia a Spiritu Sancto edocta hoc altissimum mysterium constantissime praedicavit

Sancta Ecclesia a Christo et Spiritu Sancto edocta mysterium hoc altissimum, incomprehensibile et ineffabile angelicis etiam mentibus et linguis, mundo constantissime praedicavit et pro veritatis huius constanti praedicatione contra Hebraeos, contra Gentiles, contra haereticos innumerabilia perpessa martyria est et flumina, lacus, maria sanguinis effudit: *Clamabat parturiens et cruciatur ut pariat,* nam: *Mulier cum parit, tristitiam habet... cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundo;*[24] sic Ecclesia nunc laetatur, quoniam peperit filium Christum per fidem in cordibus hominum.

contra Hebraeos et haereticos.

Vicit veritas omnes errores Hebraeorum, Gentilium et haereticorum. Hebraei contendebant unum tantum esse Deum, Trinitatem penitus negantes; Gentiles innumeros deos colebant, haeretici vel unam tantum essentiam unamque Personam statuebant, vel tres Personas et tres essentias. Ecclesia contra Hebraeos praedicavit Trinitatem, contra Gentiles unitatem, contra haereticos unitatem essentiae et Trinitatem Personarum: Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum, verum, summum Deum. Haec est fides catholica: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*[25]

Hoc mysterium incomprehensibile est,

VI. Est quidem mysterium hoc ineffabile et incomprehensibile, sed hoc proprium est naturae divinae, cuius etiam vel minima quaeque opera superant vincuntque imbecillium mentium nostrarum captum et vires. Quis modum capere potest quomodo Deus coelum et terram

21) Cf. Gal 3, 24. 22) Io 1, 18. 23) Mt 11, 27. 24) Io 16, 21. Vulg.: *Homo in mundum.* 25) Mt 28, 19.

cum omnibus quae in ipsis sunt ex nihilo crearit, absque ulla materia, sine loco, sine tempore, absque ullis instrumentis aut ministris, in momento, in ictu oculi? Quis capere potest quomodo ex parva nucula magna formatur arbor? ex gutta seminis magnum animal? Quis capit quomodo apes faciant dulcissimum mel? quomodo bombices sericum? quomodo araneae telas suas? Quis novit formicae naturam, proprietates, vires partesque? ubi sita sit memoria? ubi prudentia? ubi spiritus? ubi in tam modico animalculo talis tantaque virtus?

quia divina natura infinita est et capi nequit a mente humana.

Quod si minima opera Dei non capimus, quid mirum si infinitam Dei essentiam naturamque capere non possumus? Deus non esset Deus, si caperet in angustia mentium nostrarum; infinitum finito loco circumscribi non potest. Oculus noster non fert lucem solis, sic Deus *lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* [26] Sol Deus est infinitae lucis, hinc dictus est *Pater luminum:* [27] כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים. [28]

Figurae Trinitatis sol, ignis, triangulus et praesertim anima nostra.

Sicut autem in sole tria sunt: lux ingenita, radius luminis genitus a luce et calor a luce radioque emanans, sic in Deo tres sunt Personae: Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ob id etiam Deus *ignis* dictus est, [29] et in igne Moysi apparuit. In igne enim similiter tria sunt: lux ingenita, radius luminis et calor emanans; sicut etiam in triangulo una quidem figura tres sunt anguli, quorum quilibet totum continet totius figurae spatium; sicut etiam in anima nostra tres sunt potentiae, quarum unaquaeque totam possidet animae substantiam. Sic utique in Deo. Hinc enim *ad imaginem et similitudinem Dei* factus dicitur homo. [30]

Trinitatis mysterium insinuatur in nominibus quibus Scriptura Deum appellat,

Et insinuatum est in Moysi theologia Divinae Trinitatis mysterium, non eo tantum quo anima hominis imago et similitudo dicta est Dei, sed etiam quam plurimis aliis rationibus. Siquidem Deus saepissime in Divinis Scripturis אֱלֹהִים [31] appellatur, plurium numero, singulare enim eius est אֱלוֹהַּ, *Eloah,* et saepissime dicitur

26) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Lucem inhabitat... nullus hominum,* etc. 27) Cf. Iac 1, 17.
28) Ps 83 (hebr. 84), 12. Ms.: *Chi scemesc umagen Iehovah Elohim,* idest: *Sol et scutum Dominus Deus.* 29) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 30) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
31) אלהים, et infra: אלוה, אלהים, יהוה.

יְהוָֹה אֱלֹהִים, ubi יְהוָֹה quidem, quod nomen divinae essentiae est existensque esse significat, sic singulare est, ut eius plurale nullibi reperiatur; אֱלֹהִים vero plurale est, cuius etiam singulare invenitur. Hac igitur raione Trinitatis mysterium insinuatum est cum unitate essentiae et trinitate Personarum, quarum unaquaeque verus Deus est. Et saepe nomen tetragrammatom apud Hebraeos scribitur cum tribus *iod* et unico *camez* ייָי, quo pulcherrime divinum hoc mysterium signatur. Sicut etiam in prima *Sacrae Geneseos* periodo Trinitas designatur nomine אֱלֹהִים, unitas vero singulari verbo creandi: *In principio Dii* בָּרָא, [32] *creavit*, quae etiam vox tribus elementis constat, quae tres Divinas Personas designant. Nam ex eis componitur אָב, quod est p a t e r., בַּר, quod est f i - l i u s, et remanet ר, *resc*, unde רוּחַ, *ruahh*, s p i r i t u s, de quo M o y s e s : *Spiritus Dei ferebatur super aquas;* [33] sic enim: *Verbo Domini coeli facti sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* [34]

in modo etiam quo Deum loquentem introducit.

Insinuatum etiam id est, quoniam Deus plurium voce aliquando locutus est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* [35] *Descendamus et confundamus... linguam eorum;* [36] sic Deus in trium virorum specie apparuit Abrahamo; [37] hinc illud trisagium apud I s a i a m : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus... exercituum.* [38] Et forte duo Seraphim, in quorum medio Vates Christum vidit, Patrem et Spiritum Sanctum designant. Christus enim media est in Trinitate persona, quas quidem tres personas I s a i a s 48 apertis verbis expressit dicens ex Christi persona: *Accedite ad me et audite hoc: Non a principio in abscondito locutus sum; ex tempore antequam fieret ibi eram; et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius.* [39]

et in visione Isaiae.

VII. Aperte tamen in Veteri Testamento divinissimum hoc mysterium nullibi traditur, nec fides Trinitatis usquam praecipitur; sed Christi haec specialis doctrina est et christianae philosophiae

32) Ms.: בָּרא, et infra: אב, בר, רוח. 33) Gn 1, 2. 34) Ps 32, 6. Vulg.: *Firmati sunt*, etc. 35) Gn 1, 26. 36) Ibid. 11, 7. 37) Cf. ibid. 18, 1-2. 38) 6, 3. 39) Vr. 16.

singulare dogma. Sic Christus hodie docuit: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. In nomine Patris,* qui totius divinitatis fons et origo est, principium sine principio, sol unde emanat radius omnis lucis. *Et Filii,* qui a Ioanne dictus est *Verbum Dei,* coaeternum, coaequale et consubstantiale: *In principio erat Verbum:* ecce aeternitas, *et Verbum erat apud Deum:* ecce aequalitas, *et Deus erat Verbum:* [40] ecce consubstantialitas. Verbum autem dicitur unicum, quo Pater solo universam suam mentem totumque seipsum declarat; hinc infinitum Verbum istud est. A Paulo autem Filius iste dictus est *splendor gloriae et figura,* sive *character substantiae* Dei, [41] idest imago divinae naturae. *Splendor* autem dicitur, quia emanat a Patre sicut radius a sole, ipsum declarans et manifestans Patrem sicut radius solem. *Imago* etiam dicitur formata ab aeterno in speculo divinae essentiae, sicut a sole in nube rorida et speculari formatur parelius, alter sol soli simillimus. Imago tamen haec non inanis aut inanimis est, sed viva et vera, sicut filius patri simillimus patris est viva et vera imago. Tandem: *in nomine Spiritus Sancti,* qui a Patre Filioque procedit, vivus et verus Deus, Patri Filioque consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Deus enim cum sit ens infinitae perfectionis, intellectus et mens infinitae puritatis, necesse est ut infinita sapientia praeditus sit; sapientia autem non aliunde acquisita, sed ab ipsomet divino intellectu genita: hanc dicimus prolem divinam. Quod si perfectissime Deus seipsum cognoscit, infinitum bonum cum sit, necesse est etiam ut seipsum infinito prosequatur amore, ipsa enim bonitas et pulcritudo exigit a voluntate amorem: hunc dicimus Spiritum Sanctum. Cumque in unaquaque natura tria considerentur: essentia, virtus et operatio, sicut in igne substantia tenuis, calor luxque et calefactio ac illuminatio, in sole etiam substantia coelestis, lux candidissima et clarissima illuminatio, Dei essentia spiritus purissimus est, infinitae bonitatis et perfectionis; virtus est intellectus atque voluntas; operatio cognoscere atque diligere, generare Filium et Spiritum Sanctum producere; neque enim Dei sapientia et caritas accidentia possunt esse, cum in Deo nulla penitus compositio sit. Quod si substantia est sapientia a divino emanans

Sed aperte in Novo Testamento tantum docetur.

Tamen aliquo modo a ratione fide illuminata exponitur, cum in Deo cognitio et amor accidentia non sint, sed substantiae.

40) 1, 1. 41) Hebr 1, 3.

intellectu et caritas emanans a divina voluntate, summa cum ratione christiana theologia in uno, vivo et vero Deo tres Personas contemplatur et docet tanquam in una luce tria lumina, in igne uno tres flammas, in uno sole tres radios, in uno fonte tres rivos. Sic Deus in tribus Angelis apparuit Abrahamo; ob id dictus est *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob;* [42] ob id numerus ternarius sacratissimus ac celeberrimus est in Divinis Scripturis.

II. ALIA HOMILIA

Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. [1]

Cognitio Dei fons est totius sapientiae,

I. Magna res est cognoscere Deum et omni thesauro pretiosior; hinc Deus non omnibus utcunque sui copiam facit. Unde apparens Moysi dixit: *Ego sum Deus qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente et nomen meum Iehovah non indicavi eis,* [2] quod quidem ipsi Moysi indicaverat in rubo ardenti dicens: *Ego sum qui sum... hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem.* [3] Haec est sapientia quam Deus contulit ipsi Moysi, Salomoni, Danieli omnibusque Prophetis: cognitio divinae naturae; qui enim Deum cognoscit pro merito, hic vere sapiens est. In rerum enim lucida cognitione scientia sapientiaque consistit; sed Dei cognitio apex est sapientiae, theologia enim domina et regina scientia-

42) Ex 3, 6. 15-16; 4, 5; Mt 22, 32; Mc 12, 26; Act 3, 13; 7, 32.

1) Mt 28, 18-19. 2) Ex 6, 2-3. Vulg.: *Ego Dominus... et nomen meum Adonai*, etc. Textus quidem Hebraicus habet: יְהוָה. 3) Ibid. 3, 14-15. In margine haec adiecta fuerunt: « In principio creationis mundi Deus in tenebris se abscondit et in tenebris mundum creavit: *Et tenebrae erant super faciem abyssi;* sed postea tenebras in lucem convertit: *Dixit... Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona;* sed prius *spiritus Domini ferebatur super aquas.* Lux in Divinis Scripturis sapientiae symbolum et hieroglyphicum est, sicut oculus in corpore, intellectus in anima. Sapientia autem donum est Spiritus Sancti: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus.* Ecclesia post festum Spiritus Sancti celebrat festum Trinitatis, quia sine speciali gratia Spiritus Sancti non potest cognosci mysterium Trinitatis. Cognitio autem mysterii huius non minus utilis et iucunda est piis mentibus quam lux corporea oculis: *Vidit Deus lucem quod esset bona* ».

rum omnium est,[4] lux mentium nostrarum, quae oculi animarum sunt ratione praeditarum.

Sicut autem solem absque ipsomet sole illuminante videre minime possumus, sic nec Deum cognoscere absque speciali gratia ipsius Dei.[5] Et magnum quidem confert nobis beneficium Deus cum seipsum nobis manifestat, ipse enim omnium bonorum infinitus thesaurus est. Qui Deum non cognoscit, thesaurum habet absconditum et ignotum; qui autem Deum agnoscit, thesaurum absconditum invenit: *Haec est... vita aeterna: ut cognoscant te... Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.*[6]

sed Deus cognosci nequit sine speciali auxilio gratiae suae.

Divina autem natura nunquam sic cognita mundo est, sicut per Christi fidem, revelato divinae Trinitatis mysterio. Hinc enim agnoscimus Deum infinitam esse bonitatem ad instar lucis et ignis infinite sese communicantem ac diffundentem. Boni enim natura haec est, ut sese liberaliter diffundat et quo maius bonum est eo sese magis diffundat; hinc a maiori fonte rivulus maior emanat, a maiori luminari maius lumen, a maiori igne maior vis caloris. Quod si Deus infinitus fons est bonitatis, necesse est ut infinitus ab eo fluvius emanet, ab infinito sole infinitus radius, ab infinito igne calor infinitus.

Sola Christi fides veram cognitionem dat divinae naturae, revelato Trinitatis mysterio.

II. Mundus enim hic res utique finita est, finiti autem ad infinitum nulla proportio est.[7] Trinitatis autem mysterium docet Deum ab aeterno infinitam bonitatem suam in omni plenitudine communicasse Filio et Spiritui Sancto. Quare cum Deus suapte natura infinitae perfectionis sit, unaquaeque divinae Trinitatis Persona infinitae similiter perfectionis erit, quoniam unaquaeque vivus ac verus Deus est; unaquaeque igitur infinitae potentiae est, infinitae sapientiae, infinitae bonitatis, infinitae caritatis, infinitae gloriae, infinitae maiestatis, aeternae et infinitae beatitudinis et felicitatis. Si enim felix beatitudo totius bonitatis perfecta possessio et perpetua fruitio est,[8]

Exponuntur rationes huius mysterii.

4) Cf. S. Io. Damascenus *Dialectica*, cp. 2-3 (P. G. 94, 434). 5) In margine haec adiecta fuerunt: « *Vere tu es Deus absconditus.* In sancto sanctorum arca Dei manebat abscondita sub velo, ut a nemine videretur. Erat autem arca symbolum divinae naturae, tria vero quae continebantur in arca, Trinitatem designabant, sicut etiam supra arcam tres subsistentiae, propitiatorium et duo cherubim, omnes ex auro purissimo erantque simul iunctae, et se mutuo respiciebant cherubim. Cum etiam Deus venit ad dandam legem, venit in caligine, sic: *Posuit tenebras latibulum suum* ». 6) Io 17, 3.
7) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 12, a. 1, ad 2.
8) Cf. Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724).

divina ipsa natura thesaurus est infinitae bonitatis omniumque deliciarum, qui totius Trinitatis communis possessio est, absque ulla invidentia, quoniam ibi summa infinitaque caritas est, ubi ratio est omnis amoris. Nam si amoris rationes sunt bonitas, pulcritudo, similitudo, consanguinitas, benevolentia in altera conspecta et tandem beneficentia, in divinis Personis infinita est bonitas, infinita pulcritudo, infinita similitudo, infinita consanguinitas in primo et summo gradu, nam Filius a Patre[8a] et Spiritus Sanctus a Patre simul et Filio procedit; infinitus amor Patris in Filium unigenitum, pulcherrimum, optimum, et infinita beneficentia, cui contulit omnem divinitatis suae plenitudinem; et Spiritui Sancto similiter.

Ratio Trinitatis caritas est.

Cum igitur omnis ibi sit ratio amoris, infinita ibi est caritas; ubi autem caritas summa, ibi nullus invidiae livor; amoris enim proprium est amantes adeo una copulare, ut omnis eorum fortuna communis sit. Amantissimus enim pater filii infelicitatem ut propriam luget et de felicitate filii tanquam de sua gaudet atque laetatur; sic amantissima sponsa pari modo affecta cernitur in utraque fortuna dilectissimi sponsi. Quod autem suapte natura tale est, omnibus tale ut sit necesse est; non enim ignis huic quidem calidus, illi vero frigidus est, nec lux huic splendida, illi vero tenebricosa est.[9]

8a) Ms.: *Pater a Filio*. 9) In margine haec adiecta fuerunt: « Ex revelato Trinitatis mysterio non tantum cognoscimus divinam bonitatem, sed ipsammet divinam naturam, quod spiritus purissimus sit. In corporibus enim impossibile est ut tria corpora sint una numero substantia; in anima autem, quoniam spiritus est, tres potentiae una sunt anima et tres radii distincti per idem transeunt foramen. Praeterea hinc cognoscimus Deum non solum spiritualem, sed etiam intellectualem et liberam esse naturam. Filius enim Dei Verbum et sapientia est; sapientia autem nonnisi ab intellectu oritur in eoque consistit. Spiritus autem Sanctus amor est; at amor nonnisi a voluntate emanat. Deus igitur intellectu et voluntate praeditus est. Filius sapientia est infinita, Spiritus Sanctus infinitus amor Dei; ergo infinitus est intellectus, infinita voluntas. Omnia igitur divinus intellectus videt atque cognoscit, cognitio enim intellectus perfectio est; et divina voluntas omnia diligit bona, odit autem mala. Harum autem rerum cognitio nobis summopere necessaria est. Si enim Deus spiritus est infinitus, ubique est per potentiam, per praesentiam, per essentiam, videt ubique omnia, etiam secreta cordium, delectatur virtutibus et bonis operibus, odit et abominatur vitia et peccata. Ad virtutem igitur sectandam plurimum haec cognitio et consideratio confert. Hinc cognoscimus infinitam Dei erga nos caritatem et liberalitatem, cum dedit nobis Filium suum et misit Spiritum Sanctum. Omnes enim Personae consubstantiales sibi sunt, coaeternae et coaequales. Hinc pendet cognitio omnium fere aliorum articulorum fidei nostrae et cognitio innumerabilium mysteriorum Divinarum Scripturarum. Hinc intelligimus quod Deus ab aeterno vere fuit in seipso beatus. Si enim verum est quod nullius boni sine consortio iucunda potest esse possessio, unde *non est bonum hominem esse solum*, reperimus in divina natura ab aeterno consortium Divinarum Personarum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ».

III. Quod si suapte natura Trinitas infinitae bonitatis et caritatis est, nobis item talis ut sit necesse est; hinc pro nobis mundum creavit creatumque eadem bonitate conservat et tandem: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Est Patris erga Filium infinita caritas, quoniam Filii infinita bonitas, infinita pulcritudo, infinita similitudo Patrisque perfectissima imago est, eadem cum Patre natura, qui Patrem infinito amore prosequitur, a quo infinitum bonum accepit. Et tamen *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [10] Vult Trinitas infinitum thesaurum bonitatis felicitatisque suae nobis omnibus communicare, hinc Christo homini omnem dinivitatis suae plenitudinem communicavit, unde ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Data,* inquit, utique a Trinitate; quapropter Trinitas infinitae potestatis necesse est ut sit, si Christo homini omnem potestatem dedit. *Data est,* non mutuata, non commutata; *data,* infinitum donum; ergo Trinitas infinitae est bonitatis et liberalitatis. *Data est mihi* homini crucifixo, mortuo et sepulto pro humani generis redemptione et salute; *omnis potestas* quae in Deo est, omnis potestas omneque dominium super universam mundi machinam, super universam Ecclesiam, super universum paradisum; *omnis potestas* creandi, iustificandi, glorificandi; *omnis potestas* naturae, gratiae et gloriae.

Hanc caritatem nobis Trinitas demonstravit mundum creando,

Christum nobis mittendo,

cui communicavit omnem plenitudinem potestatis,

Nec tantum omnis potestas, sed etiam omnis scientia et sapientia Dei: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. [11] Sic enim Apostolos, rudes piscatores, divina sua virtute sapientissimos theologos mundique magistros constituit, infusa coelitus sapientia, sicut Salomoni, Danieli aliisque Prophetis; hinc ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* nam: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* [12] accepto in Baptismate Spiritu Sancto. Quare in his Christi verbis elucent divinae Trinitatis tria attributa: potentia, sapientia et bonitas. Potentia quidem: *Data est mihi omnis potestas,* data utique a Patre, cui tribuitur potentia; sapientia autem: *Docete omnes gentes; Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis;* [13] hic Christi sapientia elucet,

omnem scientiam et sapientiam.

10) Io 3, 16. 11) Col 2, 3. 12) Mc 16, 16. 13) Mt 28, 20.

Filio enim sapientia tribuitur, hinc Patris *virtus et sapientia* dicitur;[14] tandem bonitas: *Baptizantes eos*, in Baptismo autem ex mera bonitate Dei datur gratia Spiritus Sancti cum ipso Spiritu Sancto, quae hominem iustificat bonumque in oculis Dei constituit et dignum salutis aeternae: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

His verbis Christus significat sibi collatum fuisse dominium universi.

IV. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Creavit Deus primum hominem ut dominaretur super universam terram: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;*[15] sed secundus homo formatus est ut dominaretur etiam supra universum coelum. Hoc est quod Regius Vates ait: *Constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius:* omnia *opera manuum tuarum*, quia *minuisti eum*[16] מְעַט·מֵאֱלֹהִים;[17] sic: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra:* Pharao dedit Ioseph potestatem super universum regnum suum,[18] David constituit Salomonem regem super universum regnum Israelis.[19] *Data est mihi omnis potestas:* sic Christus visus fuit Iacob innixus supra scalam coeli[20] et Ezechieli sedens super coelestem hierarchiam in solio gloriae suae.[21]

alludit autem ad vaticinium Danielis, in quo Trinitatis mysterium adumbratur.

Alludit Dominus his verbis ad vaticinium Danielis: *Ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit et in conspectu eius obtulerunt eum; et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient. Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.*[22] Eo etiam loco vidit Daniel divinae Trinitatis mysterium, nam vidit Antiquum dierum in igneo throno, qui divinam designat naturam, *Deus* enim *noster ignis consumens est,*[23] rotae vero currus divinas perfectiones designant. Iuxta Antiquum dierum vidit Christum, vidit et fluvium igneum procedentem a facie Dei ac postea innumeram Angelorum multitudinem Deo assistentem et ministrantem.[24] Antiquus dierum prima est in Trinitate Persona, Christus se-

14) Cf. 1 Cor 1, 24. 15) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 16) Ps 8, 6-8. Ordine inverso affert hos vrr. 17) Ms.: *Mehath meelohim.* 18) Cf. Gn 41, 41. 19) Cf. Rg 1, 30. 20) Cf. Gn 28, 13. 21) Cf. Ez 1, 25 sqq. 22) 7, 13-14. Vulg.: *Ecce cum nubibus*, etc. 23) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 24) Cf. Dn 7, 9-10.

cunda, fluvius igneus tertia, Spiritus Sanctus, qui in igneis linguis super Apostolos descendit.[25] Erat mysterium istud in Divinis Scripturis Veteris Testamenti velatum, sicut arca Dei sub velo in sancta sanctorum;[26] at Christus hodie nobis revelavit librumque septem sigillis signatum aperuit.[27]

In Novo Testamento bis revelatum fuit hoc mysterium.

In Novo Testamento bis revelatum est Trinitatis mysterium: primo quidem, in baptismo Christi,[28] et postea in gloriosa transfiguratione,[29] quia divinum istud mysterium cognosci potest in via per fidem, quae in Baptismi sacramento infunditur, et in patria per claram visionem; sed prius revelatum fuit in baptismo, postea in transfiguratione, quia fides praecedit visionem et via est atque scala ad visionem. Vult autem Christus ut omnes cognoscant mysterium istud per fidem, ut omnes postmodum cognoscere possint per visionem beatam in paradiso, hinc ait: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

25) Cf. Act 2, 2-4. 26) Cf. Ex 40, 19. 27) Cf. Apc 5, 1-8. 28) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 10-11; Lc 3, 21-22. 29) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 34-35.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

Erant appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores ut audirent eum. Et murmurabant Pharisaei, etc. [1]

Deus ardentissime cupit salutem peccatorum.

I. Non sic clementissimus Pater perditissimorum etiam filiorum salutem cupit, cum paterna praecordia visceraque plena sint caritate, sicut Deus omnium peccatorum salutem cupit: *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* [2] Diligunt parentes filios nedum sanos, sed etiam infirmos, morbosos, incurabilibus malis affectos; sic Deus non tantum iustos, verum etiam peccatores diligit salutemque eorum desiderat, quoniam *Pater misericordiarum* est *et Deus totius consolationis.* [3]

Deus infinita iustitia est,

II. Veniens Deus ad dandam legem, in igne descendit, quoniam ignis Deus ipse est; ignis autem nullius rei consortium patitur, ideo praecepit ne quis ad eum accederet et ne montem quidem tangeret. [4] Hinc cum primo apparuit Moysi in flamma ignis ardentis in rubo, dixit ei: *Ne appropies... huc, locus enim, in quo stas, terra sancta est; solve calceamenta de pedibus tuis;* [5] nec quemquam voluit in sancta sanctorum intrare, nisi summum sacerdotem et semel in anno; [6] nec arcam Dei quempiam videre voluit aut tangere, nam ob

1) Pericope huius diei Lc 15, 1-10. Cf. Missale Rom. 2) Ps 102, 13-14. 3) 2 Cor 1, 3. 4) Cf. Ex 19, 10-22. 5) Ibid. 3, 5. Vulg.: *Salve calceamentum*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 6) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 2; Hebr 9, 7.

id percussus fuit Oza, quoniam arcam Domini tetigit,[7] quoniam ignis est ardentissimus, *Deus zelotes*,[8] infinitae iustitiae.

Sed infinitae etiam misericordiae et caritatis ignis Deus est. Hinc si in Veteri Testamento ostendere voluit iustitiam suam, in Novo voluit notas facere divitias thesaurosque infinitae misericordiae suae; quapropter hodie ad Iesum, vivum verumque Deum, *erant appropinquantes publicani et peccatores*. Hinc duabus parabolis Christus hodie divinam suam misericordiam et caritatem, imo tribus, ostendit erga peccatores. Prima est pastoris habentis centum oves summoque studio quaerentis unam quae perierat; altera est mulieris habentis decem drachmas, decem denarios, quaerentisque summa cum diligentia drachmam perditam; tertia est parabola filii prodigi, quem domum reversum amantissimus pater summo cum gaudio suscipit.[9] Sic Christus ostendit se Deum esse, Patrem infinitae pietatis et caritatis erga peccatores. Pastor est Christus, peccator ovis quae periit; mulier habens decem drachmas Christi caritas, drachma perdita anima peccatrix; pater clementissimus Christus, filius prodigus peccator.

sed etiam infinita caritas, quod Christus ostendit hisce parabolis.

Sic cupit Christus salutem cuiusvis peccatoris sicut pastor cupit invenire ovem quae periit, mulier drachmam deperditam, pater filium mortuum vellet vivificare perditumque invenire. *Vult Deus omnes homines salvos fieri*[10] et neminem vult perire,[11] ideo singulariter loquitur Christus de una ove, una drachma, uno filio; Christus enim sic pro omnibus passus est, quod etiam pro singulis, nec minus pro singulis in particulari, quam pro omnibus in universali: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me.*[12]

Christus salutem cupit cuiusvis peccatoris;

Sed, quaeso, videamus cur Christus dicatur pastor habens tantum centum oves, mulier habens tantum decem drachmas et pater habens tantum duos filios, et cur peccator dicitur ovis perdita, drachma amissa et filius a patre separatus in extremamque miseriam redactus. Christus quidem pastor, mulier et pater dicitur, quoniam omnia haec omnia nomina sunt pietatis et caritatis; habens vero paucas oves, paucas drachmas, duos tantum filios, ad designandam vehementiam caritatis et pietatis, nam pastor habens innumerabilem ovium multi-

ideo dicitur pastor quaerens unam ovem, mulier unam drachmam et pater unum filium.

7) Cf. 2 Rg 6, 6-7; 1 Par 13, 9-10. 8) Cf. Ex 20, 5; 34, 14. 9) Cf. Lc 15, 3 sqq.
10) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 11) Cf. 2 Petr 3, 9.
12) Gal 2, 20. Vulg.: *Semetipsum pro me.*

tudinem, non curat valde si una earum pereat, at si paucas habeat, curat admodum; et ditissima mulier innumeras habens drachmas, nil curat si unam deperdat, at si paucissimas habeat, maxime curat; et pater multos habens filios non tanti facit singulos, at si duos tantum habeat, ambos maximi facit; sic enim amor multo collectior et vehementior est.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

Cum turbae irruerent ut audirent verbum Dei, et ipse Iesus stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas, etc. [1]

I. Piscatur Petrus tota nocte et nec unum quidem piscem suo rete conclusit, quoniam Christus absens erat; praesente autem Christo, piscatur non quidem nocturno, sed diurno tempore, et capit in momento temporis innumerabilem piscium multitudinem, [2] quoniam Christus auctor est omnium bonorum: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [3] Fuit autem hodiernum miraculum signum et praesagium futurae Gentium conversionis: *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens,* [4] cum in verbo meo laxaveris in mare huius mundi rete evangelicae praedicationis. Convertere enim animas humanaque corda hominesque sanctificare solius divinae est potestatis; divina autem hac potestate Petrus a Christo donatus est, sicut luna solis lumine donata nocturnas tenebras pellit. Sic Petrum Ecclesiae principem instituit.

Hodiernum miraculum praesagium fuit futurae Gentium conversionis.

II. Venit hodie Christus ad mare Galilaeae, quod stagnum etiam Genesareth dicitur, et invenit duas naves secus stagnum; ascendit autem in unam, quae erat Simonis Petri. Mare istud mundi huius hieroglyphicum est, nam mare congregatio aquarum est, aquae autem multae populi multi. [5] Venit Iesus in mundum hunc et invenit duas

Mare hoc mundum figurabat, duae naves synagogam et Ecclesiam designabant,

1) Pericope huius diei Lc 5, 1-11. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Lc 5, 5-7. 3) Iac 1, 17. 4) Lc 5, 10. Vulg.: *Ex hoc iam homines eris capiens.* 5) Proverbium deductum ab Apc 17, 15. Cf. S. Bernardinus Senensis *Quadragesimale*, t. 1, sermo 51, cp. 3, pag. 263. SS. Patres *aquas* in Scripturis communiter interpretantur p o p u l o s. Cf. S. Augustinus *In Apocalypsim*, hom. 13, (P. L. 35, 2441); *In Psalmos*, ps. 17, ibid. 36, 150; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 17, cp. 21, ibid. 76, 25.

quae in unum sociandae erant.

naves: synagogam Iudaeorum et Ecclesiam Gentium, de qua fuit Sanctus Iob.[6] Gentiles enim non tenebantur servare legem Moysi, sed viventes secundum legem naturae, uti ante legem Moysi vixerunt omnes sancti Patriarchae, salvabantur. Sic erant quodammodo duae Ecclesiae, sicut Abraham duas uxores habuit.[7] Hoc insinuavit Christus cum dixit: *Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.*[8] Duae enim hae naves sociandae in unam erant, ut ex duobus populis fieret una Ecclesia. Sic enim templum Domini non, sicut tabernaculum,[9] a solis Hebraeis constructum fuit, sed ab Hebraeis et Gentilibus simul,[10] sicut hodie Petrus cum iis qui erant in sua navi vocaverunt socios, qui erant in alia navi.[11]

Hac occasione Petrus Ecclesiae hierarcha constituitur.

Christus autem ascendit in navim *quae erat Simonis:* voluit esse iudaeus ex semine Abraham secundum carnem; ascendens autem *rogavit... reducere a terra pusillum, et sedens docebat de navicula turbas.*[12] Prius rogat Christus, deinde docet et tertio praecipit: *Duc in altum et laxate retia vestra in capturam* piscium.[13] Promitttebat lex vetus tantum temporalem felicitatem terrenaque bona, hinc *rogavit... reducere a terra pusillum.* Viam perfectionis Dominus non praecipit, sed consulit: *Si vis perfectus esse, vade, vende* universa *quae habes;*[14] tunc Petro regimen Ecclesiae commisit: *Duc in altum... ex hoc... eris homines capiens; Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;*[15] Petrus enim de seipso in Ierosolymitano concilio dixit: *Ab antiquis diebus Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.*[16] Sic ipse factus est petra et fundamentum totius Ecclesiae, cui traditae sunt claves regni coelorum, regimen universalis Ecclesiae. Hinc ipse navim a terra reducit ducitque in altum, ipseque in Christi verbo laxat rete in capturam piscium, et ipsius est navis, ipsi a Christo data est: introivit *in unam navem quae erat Simonis.*

Promovetur autem Petrus ad primatum summumque Ecclesiae pontificatum merito fidei, obedientiae et humilitatis suae: fidei qui-

6) Cf. Iob 1, 1. 7) Cf. Gn 16, 1-3. 8) Io 10, 16. 9) Cf. Ex 35, 1 sqq. 10) Cf. 3 Rg 5, 1 sqq. 11) Cf. Lc 5, 7. 12) Ibid. vr. 3. Vulg.: *A terra reducere pusillum,* etc. 13) Ibid. vr. 4. 14) Mt 10, 21. 15) Ibid. 16, 18. 16) Act 15, 7. Vulg.: *In nobis elegit,* etc.

dem et obedientiae, nam: *In verbo*, inquit, *tuo laxabo rete;*[17] humilitatis autem, quoniam, viso miraculo, *procidit* stupore plenus *ad genua Iesu dicens : Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.*[18] Quoniam vero apud Deum *qui se humiliaverit exaltabitur,*[19] ideo a Christo exaltatur Petrus: *Noli timere, ex hoc... eris homines capiens,* ζωγρῶν,[20] *vivos capiens*, non ad mortem sicut venator feras et hostis inimicos suos, sed sicut princeps redimens captivos de manu hostium ac tyrannorum, quibus tanquam mancipia serviunt, eris capiens homines, eripiens eos de manu diaboli, eruens de regno tenebrarum. Sicut Moyses Hebraeos ex Aegypto eduxit, factus ex pastore ovium pastor hominum,[21] sic Petrus ex piscatore piscium factus est piscator hominum: *Ex hoc... eris homines capiens* rete praedicationis evangelicae, cum navim in altum duxeris, cum indutus fueris virtute ex alto;[22] plenus enim Spiritu Sancto Petrus coepit fidem et Evangelium Christi praedicare, docere et baptizare.

merito fidei, obedientiae et humilitatis suae.

Non duxit autem navim in altum, nisi postquam rogatus reduxit pusillum a terra; reducere autem a terra est separari ab affectionibus terrenis: *Relictis omnibus, secuti sunt eum.*[23] Cupit primo Christus purgare affectus nostros, deinde illuminat mentes nostras dum sedens docet, tertio perficit altitudine divinae contemplationis et magnitudine divinae caritatis: *Duc in altum et laxate retia vestra in capturam* piscium; sic ceperunt in momento *multitudinem piscium copiosam.*[24] Cum Petrus Spiritu Sancto plenus praedicare coepit, prima sua concione convertit ad Christum tria millia hominum,[25] altera vero quinque millia;[26] sic cepit *multitudinem piscium copiosam,* quoniam cum duxisset in altum, laxavit rete praedicationis in verbo et virtute Christi.

Reducere navim a terra est separare animam ab affectionibus terrenis.

III. Ascendit Christus in navim Simonis Petri. Sit anima nostra navis Simonis Petri et ascendet in eam Christus. Si navis Ecclesiam Dei significat, Ecclesia in caritate consistit *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.*[27] Sit anima nostra navis deorsum clausa et sursum aperta ne ingrediatur aqua peccati ad eam demergendam; aquae

Christus ascendit in navim Simonis:

17) Lc 5, 5. 18) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Peccator sum, Domine.* 19) Mt 23, 12. 20) Ms.: *Zogron.* 21) Cf. Ex 3, 1 sqq. 22) Cf. Lc 24, 49. 23) Ibid. 5, 11. 24) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Piscium multitudinem copiosam.* 25) Cf. Act 2, 41. 26) Cf. ibid. 4, 4. 27) 1 Tim 1, 5.

haec navis debet esse anima nostra, fide, spe et caritate praedita, ut in eam Christus ascendat.

sunt vitia huius mundi, *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae,*[28] *quae mergunt hominem in interitum;*[29] sit cor nostrum clausum ne diligat mundum et quae in mundo sunt, sed apertum ut diligat Deum et coelestia bona, coelestes delicias, coelestes divitias, coelestes honores gloriamque divinam. Sit navis haec Simonis, sit spiritus noster in omnibus obediens Deo,[30] ut non suam, sed Dei voluntatem et beneplacitum in omnibus prompto animo faciat; sit Petrus, petra firma et stabilis in fide, spe et caritate, ut firmissima animi voluntate in Deum semper credat et speret, Deum semper super omnia diligat. Tunc enim in hanc navim Christus ascendet facietque ut non tantum per viam divinorum mandatorum incedamus solum faciendo ea quae sunt de necessitate salutis, sed etiam ut incipiamus iter facere per viam perfectionis.

Purgandus prius est animus ab amore mundi, ut cognoscat sempiterna bona et ad culmen perfectionis perveniat.

Rogavit a terra reducere pusillum: hoc primum quaerit, ut purgetur animus et affectus cordis nostri ab amore mundi; deinde sedens docebit illuminando mentem ut cognoscat coelestia veraque et sempiterna bona; tunc imperabit: *Duc in altum,* ascende ad culmen perfectionis divinae: *Estote... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*[31] Ubi enim anima purgatam habet et illuminatam mentem, currit suapte natura ad summum bonum summis viribus diligendum atque quaerendum, ut ostendit Salomon, qui cum in libro *Proverbiorum* purgasset mentem et in libro *Ecclesiastis* eam illuminasset in cognitione verae felicitatis, tunc in *Canticis* ostendit studia animae purgatae et illuminatae: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.*[32]

Magna est felicitas animae in hoc statu.

In hoc statu anima magna felicitate fruitur et potitur. Si piscatoris felicitas in eo consistit ut multos capiat pisces iuxta cordis sui desiderium, ecce Petrus, cum duxisset navim in altum mare, comprehendit innumerabilem piscium multitudinem, ad designandum quali quantaque felicitate fruantur qui perfectionis culmen adepti iam sunt, Christo duce manusque adiutrices porrigente.

IV. Positus autem in alto mari Petrus non se exaltat, sed humiliat, cognita magno experimento divina Christi virtute: *Procidit ad*

28) 1 Io 2, 16. 29) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Homines in interitum.* 30) *Simon* enim latine obediens interpretatur. 31) Mt 5, 48. 32) 1, 1-2.

genua Iesu dicens : Exi a me quia homo peccator sum, Domine; stupor enim circumdederat eum. [33] Sic vir perfectus quo magis exaltatur a Deo, eo magis magisque humiliat seipsum, ut magis magisque exaltetur a Deo, qui *humilibus . . . dat gratiam :* [34] *Noli timere, ex hoc . . . eris homines capiens.*

Vir perfectus humilis est

Est item vir perfectus Deo obedientissimus: *In verbo . . . tuo laxabo rete,* hinc magna felicitate supra naturae cursum donatur. Aptius tempus est ad piscandum accipiendumque pisces nocturnum quam diurnum, et tamen Petrus per totam noctem laborans nihil capit, sed diurno tempore, ad Christi verbum laxato rete in mare, cepit copiosissimam piscium multitudinem. Videtur humana felicitas consistere in voluptatibus mundi, sed in his vere nulla felicitas reperitur, quoniam *vanitas vanitatum et omnia vanitas ;* [35] sed in alto mari reperitur, ubi ex alto omnis voluptas carnis contemnitur et renuitur: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum.* [36] Sic Petrus in alto mari, a litore longissime semotus, cepit copiosam piscium multitudinem, ubi piscatoris consistit felicitas.

et Deo obedientissimus.

O felices, qui sic incipiunt per viam perfectionis incedere purgando affectus: *Rogavit . . . a terra reducere pusillum ;* illuminando mentem: *Sedens docebat de navicula turbas ;* contendendo culmen perfectionis divinae: *Duc in altum,* in altum divinae contemplationis, divinae fruitionis, divinae dulcedinis. Ducit Christus in altum, quoniam ipse virtus est et sapientia Dei, [37] sapientia perficiens intellectum perfectione divinae cognitionis et virtus perficiens voluntatem perfectione divinae caritatis, ut homo Deum vere super omnia, ex toto corde, anima et viribus diligat. Ad hoc semper contendendum est, ad perfectionem divinae cognitionis divinaeque caritatis, quae vinculum perfectionis est. [38]

Haec est via perfectionis: affectus, purgare, mentem illuminare et culmen divinae contemplationis attingere.

33) Lc 5, 8-9. 34) Iac 4, 6. 35) Eccle 1, 2; 12, 8. 36) Ps 76, 3-4.
37) Cf. 1 Cor 1, 24. 38) Cf. Col 3, 14.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

Admirabantur dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire et mutos loqui. [1]

Deus nonnisi quod bonum est facere potest.

I. Sicut divina lex enarrans opera mundanae creationis ait: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* [2] *Vidit... lucem quod esset bona,* [3] distinctionem elementorum quod esset bona, generationem plantarum quod esset bona, creationem coelestium luminarium quod esset bona, productionem animalium volatilium, aquatilium et terrestrium quod essent bona [4] et sic omnia opera Dei: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona,* sic Evangelium enarrans opera redemptionis et recreationis ait: *Bene omnia fecit;* [5] nam *arbor bona fructus bonos facit,* et *non potest arbor bona fructus malos facere.* [6] Sicut enim ignis a se nonnisi calorem potest emittere, ut autem emittat frigus impossibile est, et sicut sol nonnisi lucem emittit, tenebras autem emittere non potest, ita Deus nonnisi bonum facere potest, quoniam ipsamet bonitas infinita est, ipsamet lux, sol infinitae lucis, ignis infiniti caloris: *Bene omnia fecit.*

Qualis est uniuscuisque rei essentia, talis est potentia et operatio;

II. Docet recta philosophia quod uniuscuiusque rei essentia, potentia, sive virtus et operatio ita sese consequuntur, ut qualis est uniuscuiusque rei essentia, talis sit potentia, talis et operatio; nam operatio emanat a potentia, potentia autem ab essentia rei, sicut calefactio a calore ignis, calor autem ab ignis substantia et forma, illuminatio a lumine et radio solis, lumen autem et radius ab ipsa solis

1) Pericope huius diei Mc 7, 31 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Gn 1, 31. 3) Ibid. vr. 4. 4) Cf. ibid. vrr. 7-21. 5) Mc 7, 37. 6) Mt 7, 17-18. Vulg.: *Malos fructus facere.*

substantia. Videmus autem quod nobiliora luminaria in coelo maiori luce et vi illuminandi praedita sunt clariusque illuminant: sol astrorum omnium nobilissimum maxima praeditus luce est mundumque clarissime illuminat tenebrasque potentissime fugat; et in universum semper meliores et nobiliores substantiae nobilioribus ac praestantioribus viribus ac operationibus praeditae sunt; sic melior terra meliores procreat segetes, nobiliores arbores producunt meliores fructus, nobiliora animalia habent nobiliores potentias et operationes; homo animal nobilissimum nobilissimas habet potentias et operationes intellectuales et rationales. Deus autem suapte natura nobilissima supremaque omnium substantiarum est.

Deus autem nobilissima et suprema substantia est,

Videmus etiam enim in mundi huius constitutione quod quo superiores substantiae sunt, eo sunt nobiliores: aqua suapte natura nobilior terra, aer aqua, ignis aere, coelum igne, Angeli coelo, Deus Angelis, sicut plantae lapidibus, animalia plantis, homines animalibus superiores sunt.

infinitae magnitudinis;

Videmus item quod superiores substantiae sicut nobiliores sunt ita etiam multo maiores: coelum hoc visibile incomparabiliter maius est terra, cum terra eius comparatione vix punctum sit minimum; empyreum autem coelum invisibile simili proportione maius est visibili hoc coelo. Deus autem infinitis partibus maior est toto mundo, finiti enim ad infinitum nulla est proportio.[7] Qualis et quanta ergo Dei essentia est, talis et tanta eius virtus et potentia: infinitae magnitudinis essentia, infinitae magnitudinis potentia, infiniti ignis infinitus calor, infiniti solis infinita lux; optima et infinitae bonitatis Dei essentia, ergo et operatio. Hinc *vidit . . . Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona..* . . . . . .

talis est ergo etiam eius potentia et operatio.

III. Haec sunt quae universa theologia tractat de Deo: essentia: *Ego sum qui sum,*[8] hinc specialia nomina Dei sunt יָהּ, quod est e n s, et יְהוָֹה,[9] quod est e x i s t e n s, sive subsistens simpliciter et absolute per seipsum; virtus et potentia, dum dicitur *Deus omnipotens:* אֵל שַׁדַּי, D e u s q u i e s t s u f f i c i e n s, simpliciter suffi-

Tria de Deo theologia tractat: essentiam, potentiam et operationem;

7) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 12, a. 1, ad 2.
8) Ex 3, 14. 9) Ms.: יהוה, et infra: אל שדי.

ciens, quia nulla omnino deest ei virtus, nulla potentia; operatio autem multiplex, aeterna internaque in productione Personarum, aeviterna autem et externa in creatione mundi, in redemptione, in glorificatione: *Vidit... cuncta quae fecerat et erant valde bona.* Si sol videre posset omnia astra, videret utique omnia valde illuminata, quoniam ipse qui illuminat lucidissimus est; sic Deus *vidit* cuncta opera sua *et erant valde bona,* quoniam ipse optimus et infinitae bonitatis est.

tria haec etiam de Christo Evangelium tractat, quia Christus Deus est,

At si omnia opera Dei valde bona sunt, ergo et Christi, quoniam Christus verus Deus est: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.*[10] Quo loco Ioannes tria haec de Christo docet: essentiam, virtutem et operationem: essentiam: *Deus erat Verbum;* operationem: *Omnia per ipsum facta sunt;*[11] virtutem: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum.*[12] *Vita* et *lux* hoc loco dicitur Christus virtualiter et causaliter, sicut alibi ait: *Ego sum resurrectio et vita,*[13] sicut sol dicitur lux mundi, quia vim habet illuminandi mundum.

et tradit Divina Scriptura, in Isaia,

Haec tria nanque tradit Divina Scriptura de Christo. Ad designandam nanque divinam eius personam Isaias vocat eum *Emmanuel: Vocabitur nomen eius Emmanuel:* haec est persona; *butyrum et mel comedet,* beatam ducet vitam ab infantia: haec est operatio; *ut sciat reprobare malum et eligere bonum:*[14] haec virtus. Alibi vero seriosius idem Isaias: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis:* haec est persona in divina humanaque natura consistens; *et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis:* haec Christi virtus et potentia; *ad multiplicandum imperium... super solium David et super regnum eius... ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia:*[15] haec operatio. Sic Malachias: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis:* haec persona; *ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum:* haec virtus Christi sanctificatoria et divina; *et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi:*[16] haec Christi operatio. Sic Paulus de Christo haec docet scribens *ad Hebraeos:* Deus *locutus est nobis in Filio,*

Malachia

et in Paulo.

10) Io 1, 1. 11) Ibid. vr. 3. 12) Ibid. vr. 4. 13) Ibid. 11, 25.
14) 7, 14-15. 15) 9, 6-7. Ex hebraico. 16) 3, 1-3.

quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius: haec Christi persona; *portans omnia verbo virtutis suae:* haec Christi potentia; *purgationem peccatorum faciens:* [17] haec ipsius operatio. Si igitur divina est Christi natura, divina virtus et potentia, ergo et operatio. Optime igitur ait sacrum Evangelium: *Bene omnia fecit,* quoniam Deus est et divina praeditus virtute ac potestate.

Ergo operatio Christi divina et optima est.

Duo sunt autem quae turbae admirantur et praedicant: opera et potestatem: *Bene omnia fecit:* haec sunt opera, bona omnia, quoniam *Dei perfecta sunt opera;* [18] *surdos fecit,* sive, ut graece est, *facit audire et mutos loqui,* hoc est potestatem habet dandi surdis auditum et mutis loquelam. Alludunt autem turbae a Spiritu Sancto afflatae ad illud Isaiae: *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.* [19] Propterea quasi olfacientes Christi divinitatem dicunt: *Bene omnia fecit*, solus enim Deus est qui omnia opera sua bene facit: *Opera Domini universa bona valde,* ait *Ecclesiasticus.* [20]

Duo sunt quae turbae admirantur: opera et potestatem.

IV. Dicet autem quis: Quomodo omnia opera Dei bona sunt, cum etiam malorum auctor sit Deus? Ait enim per Isaiam: *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia haec;* [21] Amos item propheta ait: *Si est malum in civitate quod non fecerit Dominus;* [22] Michaeas etiam: *Quia descendit malum a Domino in portam Ierusalem.* [23] Sed haec profecto intelliguntur de malis poenae, qualia sunt bella, fames, pestis et alia id genus, quibus utitur Deus tanquam amaris potionibus ad curandos peccatorum morbos.

Deus dicitur auctor malorum quoad mala poenae,

At etiam mali culpae aliquando videtur auctor, nam legitur quod *induravit cor Pharaonis;* [24] Regius Vates etiam ait quod *convertit cor* Aegyptiorum *ut odirent populum eius et dolum facerent in servos eius.* [25] Ait item Divina Scriptura quod excaecavit oculos Iudaeorum ne in Christum crederent, [26] et Divus Paulus ait

non quoad mala culpae, quae tantum permissive Deo tribuenda sunt.

17) 1, 2-3. 18) Dt 32, 4. 19) 35, 4-6. Vulg.: *Salvabit vos.* 20) 39, 21. 39.
21) 45, 6-7. 22) 3, 6. Vulg.: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*
23) 1, 12. 24) Ex 10, 20-27; 11, 10; 14, 8. 25) Ps 104, 25. 26) Cf. Is 6, 9; Mt 13, 14-15; Mc 4, 12; Lc 8, 10; Io 12, 40; Act 28, 26-27; Rom 11, 8.

quod *tradidit* Gentiles *in reprobum sensum, ut facerent... quae non conveniunt,*[27] et quod *tradidit illos... in passiones ignominiae.*[28] Haec autem permissive et occasionaliter intelligenda sunt, non efficienter, veluti si infirmus moritur, potest esse causa mortis triplex: prima, quia non vocatus fuit optimus et excellentissimus medicus ad eum curandum, nam medicus non tenetur ire ad visitandum et curandum infirmum nisi vocetur, maxime vero si infirmus sit eius inimicus et graviter eum offenderit iniuriisque affecerit, sic dicimus quod medici absentia in causa sit mortis; secunda causa potest esse medicina data a medico, quae quidem bona est, sed ex aliquo accidenti et prava stomachi dispositione, vel quia non tempore et modo debito sumpta est, nocet infirmo et in letale venenum convertitur, quare sic etiam medicus occasionaliter occidisse dicetur infirmum, quamvis bono animo dederit ei medicinam; tertia causa potest esse si medicus vere odio habens infirmum det ei venenatam potionem, ut letifero veneno eum occidat et de medio tollat.

Dicitur autem causa peccati vel quia non largitur speciale gratiae auxilium,

Cum autem peccatum mors animae sit, Deus primo et secundo modo dici potest causa peccati, quia permittit non largiendo speciale et efficax auxilium contra peccatum, maxime cum homo tentatur, et etiam quia aliquando iratus ob iniquitatem, in poenam eiusdem iniquitatis permittit magnas occasiones et vehementes tentationes ad peccandum; sic *2 Regum* legimus quod *addidit furor Domini irasci contra Israelem commovitque David* ad numerandum populum contra legis praescriptum.[29] Quomodo autem commoverit David ad hoc legimus *1 Paralipomenon: Consurrexit autem satan contra Israel et incitavit David ut numeraret Israel.*[30] Sic sol causa dicitur noctis per absentiam suam a nostro hemisphaerio, causa frigoris in hieme propter distantiam; sic causa multarum aegritudinum in aestate propter excessivum calorem, cum tamen causa propria infirmitatum sit mala dispositio corporum et abundantia putredinis humorumque peccantium et corruptorum; sic Deus dicitur causa malorum.

vel quia in poenam iniquitatis permittit occasiones ad peccandum;

sed causa efficiens peccati sola voluntas hominis est.

Si quis moveat aquam clari et puri fontis, non turbatur aqua; at si moveatur aqua fontis coenosi et impuri, statim conturbatur. Causa igitur turbationis coenum est, commotio autem occasio est.

27) Rom 1, 28. Vulg.: *Ut faciant,* etc. 28) Ibid. vr. 26. 29) 24, 1. Vulg.: *Contra Israel,* etc. 30) 21, 1. Vulg.: *Concitavit David,* etc.

Flante eodem vento, haec domus corruit, illa vero minime, quoniam haec bene fundata est, illa autem male. Eodem radio solis liquescit cera et induratur lutum; eadem lux delectabilis est sanis oculis, laesos autem offendit. Delectatur oculus aquilae aspectu solis, non autem oculus vespertilionis.

Deus omnibus beneficus est, sed iusti bene utuntur beneficiis Dei, reprobi autem abutuntur.

Facit Deus oriri solem suum super bonos et malos pluitque super iustos et iniustos;[31] beneficus est providentia sua electis et reprobis: alii bene utuntur beneficiis Dei pie, iuste et sancte viventes in operibus bonis, reprobi autem abutuntur secundum carnem viventes. Idem aurum huic est salutis occasio ob eleemosynam et alia opera misericordiae, illi autem occasio perditionis est, cum illud male expendat Immittit Deus tribulationes iustis et iniustis; sed iustis tribulatio proficit, sicut ignis auro quod igne perficitur, iniustis officit, sicut ignis ligno quod igne comburitur. Sic quia abutuntur reprobi operibus divinae vel misericordiae vel iustitiae, sunt eis vel beneficia vel tribulationes multorum malorum occasio, et Deus quodammodo malorum causa et occasio dicitur, cum tamen Deus mediis hisce utatur cum eis tanquam medicus cum aegrotis: nunc bonis utitur cibis, nunc amaris potionibus, abstinentia delectabilium cibum prohibendo et potum, quandoque etiam somnum, et nonnunquam etiam igne et ferro utitur, semper in salutem infirmi; sed si infirmus male utatur medicinalibus remediis, fiunt ei in perniciem. Nullum igitur malum Deus operatur, sed *bene omnia fecit.*

Etiam viri sancti de operibus divinae providentiae scandalizari videntur;

V. Mirum tamen est quod non solum mundani homines videntur scandalizari de operibus divinae providentiae, quoniam in mundo[32] persaepe malis bene est, bonis autem male, ut in Evangelio legimus de epulone et Lazaro mendico,[33] sed etiam viri sancti in hoc nonnullum scandalum passi leguntur. I o b ait: *Quare... impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis?... Domus eorum pacatae sunt et securae et non est virga Dei super eos;*[34] I e r e m i a s: *Iustus quidem es tu, Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui... inique agunt? Plantasti eos et radicem miserunt, proficiunt et faciunt fructum.*[35]

31) Cf. Mt 5, 45. 32) Ms.: *Mundi.* 33) Cf. Lc 16, 19 sqq. 34) 21, 7-9. Vulg.: *Securae sunt et pacatae... super illos.* 35) 12, 1-2. Vulg.: *Tu es, Domine.*

Haec etiam est querela Habacuc initio vaticinii sui;[36] sic et Regius Vates *Psalmo 72: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis.*[37]

hoc mysterium autem declarat Regius Vates;

Sed respondens Regius Vates huic dubitationi ait: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei et intelligam in novissimis eorum.*[37a] Si, inquit, non esset alia vita nisi praesens, nec alia bona nisi coporalia haec visibilia, mundana et temporalia, difficillimum esset cognoscere mysterium hoc divinae providentiae, cur det in mundo hoc malis bona et bonis mala; at quia praeter corporalia bona sunt etiam spiritualia et praeter temporalia in praesenti vita sunt etiam aeterna in futura vita, quae nunquam habitura est finem, sic clare cognosci potest mysterium istud. *Animalis autem homo non percipit... quae sunt spiritus Dei,*[38] non cibatur manna in deserto cum filiis Israel qui carnes Aegypti manducat.[39] Sunt autem spirituales consolationes tale ac tantum bonum, ut Divus Paulus de his loquens dicat: *Nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se;*[40] et Regius Vates: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[41]

iusti enim laetificantur expectatione beatitudinis, reprobi vero cruciantur expectatione poenae.

Quamvis autem nullis consolationibus iusti in hoc saeculo fruerentur, expectatio tamen aeternae beatitudinis miro modo eos laetificat, sicut, e contra, reprobos cruciat metus mortis et expectatio infernalis poenae, quae eos post hanc vitam manet. Hoc est quod ait: *Intelligam in novissimis eorum*, videam fines et terminos vitae praesentis, quos Dominus declaravit in morte epulonis et Lazari mendici.

Hanc eandem solutionem dat Iob: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt;*[42] sic et Ieremias: *Congrega eos quasi gregem ad victimam et sanctifica*, idest *praepara eos in diem occisionis.*[43] Non est iniustitia quod Deus in hoc mundo malos bonis[44]

36) Cf. 1, 13. 37) Vrr. 11-14. 37a) Ibid. vr. 16. 38) 1 Cor 2, 14. 39) Cf. Ex 16, 14 sqq. 40) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Oculus non vidit... ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* 41) Ps 30, 20. 42) 21, 13. 43) 12, 3. Ex hebraico. 44) Ms.: *Bonos.*

afficiat et bonos malis, sed summa iustitia. Nemo enim est tam malus qui non aliquod vel minimum faciat bonum, nec quis tam bonus et iustus qui non aliquod malum committat: *Septies* in die *cadit iustus ;* [45] *Non est... homo... qui faciat bonum et non peccet,* ait S a l o m o n. [46] Deus autem vult ut nullum bonum sit irremuneratum et nullum malum impunitum; hinc quia malorum bona remunerare non potest in aeterna vita, remunerat in hac praesenti, et quia peccata bonorum punire non vult in futura vita, punit in hoc saeculo. Summa igitur iustitia est et magnum est salutis signum si homo iustus in hac vita malis afficitur, signum est enim quod mercedem bonorum operum Deus servat ei in coelo. Hinc ait D i v u s I a c o b u s: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis,* [47] nam tribulationes praesentis vitae multo feliciores et beatiores constituunt homines in futura vita multoque gloriosiores faciunt.

Deus non vult aliquod vel minimum irremuneratum bonum, nec aliquod vel minimum impunitum malum.

VI. Et tamen cum ita sit, [47a] multi nihilominus Deum in operibus providentiae suae blasphemant, sicut ipse per M a l a c h i a m conqueritur dicens: *Laborare* me *fecistis in sermonibus vestris,* in eo quod dicitis: *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini et tales ei placent, aut certe ubi est Deus iudicii?* [48] et iterum: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus... Dixistis: Vanus est qui servit Domino, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem aedificati sunt facientes impietatem et tentaverunt Deum et salvi facti sunt.* [49]

Iniuste ergo multi de divina providentia conqueruntur.

Sed respondet Dominus amaris hisce querelis dicens: *Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium et parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi ; et convertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies venit succensa quasi clibanus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in pennis eius... et salietis sicut vituli de armento et calcabitis impios,*

In die iudicii videbimus quomodo Deus bene omnia fecerit.

45) Prv 24, 16. Vulg.: *Cadet. In die* lect. cod. 46) Eccle 7, 21. 47) 1, 2.
47a) Ms.: *Sint.* 48) 2, 17. 49) Ibid. 3, 13-15. Vulg.: *Qui servit Deo,* etc.

cum fuerunt cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. [50] Sic in die iudicii vel maxime videbimus omnes mysteria haec divinae providentiae, quomodo semper Deus *bene omnia fecit.*

Homo conditus non fuit ad naturalem tantum perfectionem, sed etiam ad supernaturalem,

VII. At quidnam est quod in omnibus sex dierum operibus, post unumquodque dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum,* [51] praeter quam de homine? Siquidem, facto homine, nequaquam legimus: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Hoc autem profecto non sine causa factum censendum est, sed quia bonum simpliciter non dicitur, nisi quod perfectum est. Omnia autem quae sex diebus creata enarrantur, acceperunt utique naturalem perfectionem, ad quam condita sunt, nec altiorem expectabant perfectionem, hinc: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona;* [52] hinc: *Perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum.* [53] At homo non fuit conditus ad naturalem tantummodo perfectionem, sed etiam ad supernaturalem gratiae et gloriae; supernaturali autem perfectione praeditus minime fuit. Nam etsi supernaturalem gratiam accepit, non tamen ultimam gratiae perfectionem, ita ut confirmatus in gratia peccare minime posset; propterea igitur non dicitur: *Et vidit Deus quod bonum esset,* quia non ultimam perfectionem, ad quam conditus est, accepit.

quam accepturus est in patria.

Si statuam videamus fictilem aut lapideam [54] vel marmoream, ab egregio artifice confictam atque completam mirabili artificio, miramur et perfectam dicimus; at si aeream quae sit deargentanda, vel argenteam quae sit deauranda, vel auream quae sit lapidibus pretiosissimis ornanda, quamvis multo praestantioris multoque nobilioris et melioris materiae sit et regem vel imperatorem repraesentet, non privatam personam sicut prior illa, perfectam tamen minime dicimus, nisi cum ultimam manum artifex ei imposuerit omnibusque numeris absolutam reddiderit. Ultimam autem perfectionem homo accepturus erat in patria, in coelesti paradiso; in terrestri autem perfectus omnino non fuit, quoniam peccare potuit, sicut et peccavit, serpentis opera ad peccatum perductus. [55]

50) Ibid. vrr. 17-4, 1-3. Vulg.: *Dies veniet... quasi caminus... fuerint,* etc. 51) Gn 1, 4. 10. 12. 18. 21. 25. 52) Ibid. vr. 31. 53) Ibid. 2, 1. 54) Ms.: *Lapidem.* 55) Cf. Gn 3, 1-6.

VIII. Aiunt autem multi: Cur Deus hominem perfectum adeo non creavit, ut peccare minime posset? Aut si peccaturum cognovit, cur tentari permisit? Et cur Luciferum cacodaemonum principem creavit, quem sciebat malorum omnium auctorem futurum? Sed hominem esse absque peccandi potentia bifariam intelligi potest: vel per naturam, vel per gratiam. Per naturam solus Deus est sine peccato, homo autem Deus esse non potest; quod si hominem Deus fecisset ut peccare natura non posset, utique irrationale animal, quod sine libero arbitrio est, condidisset. Sic ait Basilius homilia: *Quod Deus non sit auctor malorum*, huic obiectioni respondens, cur Deus non fecit hominem, ut peccare non posset? « Qui, inquit, opificem reprehendit quod nos non naturaliter construxit ut non peccaremus, is nihil aliud facit quam quod irrationalem naturam rationali praefert ». Nam virtus, inquit, ex voluntate est et libero arbitrio, non ex necessitate, nec laude dignus est servus qui tanquam mancipium ex necessitate domino servit, sed qui libera et spontanea voluntate, ex benevolentia et caritate. [56] Sic etiam Divus Augustinus ait libro 83 *Quaestionum*, quaestione 2: « Melior est homo qui voluntate quam qui necessitate bonus est ». [57] Per gratiam vero impeccabilem, ut ita dicam, facere minime voluit, ne donum gratiae Dei virtuti tribueretur naturali.

Deus noluit hominem impeccabilem creare, ut non necessitate, sed voluntate bonus esset;

Tentari autem et peccare permisit, ut sicut in creatione maioris mundi ostendit infinitos thesauros potentiae, sapientiae et bonitatis suae, ita in constructione minoris mundi ostenderet thesauros misericordiae, iustitiae et caritatis suae, uti in opere redemptionis luce clarius cernimus. Et haec est causa propter quam Luciferum et angelos eius, quos malos praescivit, creare tamen voluit et creatos culpaque ipsorum malos factos non in nihilum redegit, sed perpetuo conservat, ut ipsius malitia usus ad suam gloriam prosit electis suis, sicut optimus et sapientissimus medicus venenatis utitur viperis pro antidotis contra venena. Cum enim non coronetur *nisi* qui *legitime certaverit* [58] hostemque devicerit, voluit Deus ut electi haberent contra quos pugnarent, ut ex multis certaminibus multis reportatis victoriis, multo gloriosiores essent in coelo, multis coronis honorificentissime donati. Sic ait Divus Augustinus *Dialogo ad Orosium* [59] et

eum autem tentari et peccare permisit ad ostendendam potentiam, sapientiam et bonitatem suam.

56) P. G. 31, 346. 57) P. L. 40, 11. 58) 1 Tim 2, 5. 59) Quaest. 17, (P. L. 40, 738-739).

libro *De Genesi*, capite 22, quod creavit Deus Angelos quos malos fore praenovit, ut ipsorum malitia electis prodesset.[60] Nam tentationes prosunt sanctis: *Virtus* enim *in infirmitate*, idest tentationibus *perficitur,*[61] modo adsit gratia Christi.

Bene omnia fecit! Certe Spiritu Sancto afflata turba hodie sic locuta est.

IX. Dicendum igitur simpliciter est hodie cum sancta hac turba: *Bene omnia fecit... surdos fecit audire et mutos loqui.* Et quidem mirandum est quomodo turba haec, uno tantum hodie viso Christi miraculo, dicat: *Bene omnia fecit... surdos facit audire et mutos loqui,*[62] cum uni tantum surdo Christus hodie auditum dederit eidemque muto loquelam praestiterit. Sed profecto turba haec ex afflatu Spiritus Sancti locuta est, veluti asina Balaam;[63] Spiritus enim Sanctus est qui per os turbae loquitur: *Bene omnia fecit,* idest: hic est verus Deus, qui omnia bene operatur, quoniam *surdos facit audire et mutos loqui,* quod solius divinae est potestatis. Fit autem transitus ab uno opere ad omnia, veluti si quis diceret in philosophia: sol est qui illuminat lunam, ergo ipse illuminat omnes stellas; et in theologia: Deus creavit animam primi hominis, ergo animas omnium hominum; creavit unum Angelum, ergo omnes Angelos; creavit solem, ergo omnia astra; creavit coelum, ergo totum universum. Sic hodie turba Spiritu Sancto afflata philosophatur: hic operatus est miraculum quod solus Deus operari potest, ergo hic est Deus qui omnia bene operatus est: *Bene omnia fecit,* quoniam *surdos facit audire et mutos loqui,* idest divina virtute et potestate praeditus est.

Deus omnia opera sua bona et bene facit.

Bene omnia fecit. Lex ait quod Deus fecit omnia *bona,* Evangelium autem quod fecit omnia *bene,* neque enim simpliciter idem est bona facere et bene facere. Multi enim bona faciunt, sed non bene, ut sunt opera hypocritarum, bona quidem, sed malo animo pravaque et non recta intentione facta. Deus autem omnia opera sua et bona et bene facit: *Iustus Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis;*[64] *Omnia in sapientia fecisti,*[65] idest sapientissime et optime; sic aiunt: *Bene omnia fecit.* Quare sapientissime turba haec hodie philosophatur de Christi operibus, non sine miraculo. Nam si

60) Ibid. 34, 440. 61) 2 Cor 12, 9. 62) Mc 7, 35. Ex graeco. Cf. supra, pag. 127.
63) Cf. Nm 22, 21-30. 64) Ps 144, 17. 65) Ps 103, 24.

miraculum fuit ut asina Balaam Angelum Domini videret, quem Balaam non videbat, et ut rationabiliter ac sapienter loqueretur, multo maius miraculum est ut simplex turba Christum verum Deum agnosceret, quem sapientes Iudaeorum non agnoverunt, et ut tam sapienter de ipsius operibus philosopharetur.

X. Multi insipientes et impii insipienter et impie opera Dei blasphemant, opera praedestinationis et praescientiae: cur Iacob dilexit, Esau autem odio habuit, antequam nati essent et boni aliquid egissent aut mali.[66] Sed contra hos ait turba: *Bene omnia fecit,* quia potest figulus de eadem massa facere hoc quidem vas in honorem et illud in contumeliam,[67] nec facit dives pauperi iniuriam faciendo alteri pauperi ampliorem eleemosynam, quia licet ei quod vult facere, nec ei ratione iustitiae quicquam tenetur, sed si quid dat, ex caritate et misericordia dat.

Sic turba respondet blasphemantibus opera praedestinationis,

Blasphemant alii opera creationis: cur creavit Luciferum cum angelis suis, quos malos praenovit, et cur hominem condidit ut peccare posset? Respondet turba: *Bene omnia fecit,* ad ostendendos thesauros bonitatis et sapientiae suae, qua scit etiam malis bene uti, ex tenebris lucem educere, ex venenis theriacam contra venena conficere, atque ad ostendendos thesauros caritatis suae erga universum genus humanum, misericordiam suam et iustitiam suam in vasa misericordiae et vasa irae.

creationis,

Alii blasphemant opera divinae providentiae: cur dat malis in hac vita bona mundi huius et bonis mala ? cur permittit malos vivere, mala fieri? cur non exterminat omnes impios, cum facillime possit? Sed ait turba: *Bene omnia fecit:* servat malos puniendos et bonos praemiandos in aeterna vita; permittit malos vivere vel ut corrigantur vel ut per illos boni exerceantur[68] et proficiant in virtute.

divinae providentiae

Blasphemant alii opera divinae iustitiae dicentes: *Non est aequa via Domini.*[69] Quare *patres manducaverunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt?*[70] Iusti saepe pro peccatoribus puniuntur. At vero sancta turba ait: *Bene omnia fecit; Iustus Dominus in omnibus*

et divinae iustitiae.

66) Cf. Rom 9, 11-13. 67) Cf. ibid. vr. 21. 68) Cf. S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos*, ps. 54, (P. L. 36, 630). 69) Ez 18, 25. 29. 70) Ier 31, 29. Vulg.: *Comederunt... obstupuerunt.*

viis suis et sanctus in omnibus operibus suis ; Omnes viae Domini misericordia et veritas;[71] *Anima quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris nec pater portabit iniquitatem filii.*[72] Licet nonnunquam quoad temporales poenas in odium et execrationem peccati puniat Deus iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem,[73] ut homines fugiant peccata tanquam venenatos serpentes abstineantque ab eis tanquam a venenis letiferis et mortalissimis. *Bene* igitur *omnia fecit,* quia omnia propter hominem fecit, hominem vero propter Deum.[74]

Hoc etiam homo satagere debet, ut omnia opera sua bona et bene faciat;

XI. Cum autem humani animi, qui *ad imaginem et similitudinem [Dei]*[75] conditus est, obiectum sit ipsum bonum, non desiderat homo nisi bonum, vel quod ei videtur bonum; propterea igitur Deus fecit omnia bona; nec tantum bona, sed etiam bene. Cur igitur homo, qui *ad imaginem et similitudinem Dei* creatus est, non satagit ut omnia opera sua bona et bene faciat? Multa facimus mala animo, dictis, factis, corde, lingua, manibus; adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia, blasphemiae, irae, invidiae et his similia, quae omnia mala sunt et diaboli opera. Quod si qua bona opera facimus, male, non bene facimus: eleemosynas ob vanam gloriam et mundanos respectus, ieiunia sine caritate, orationes absque devotione et attentione; unde quamvis bona opera sint, nihil tamen apud Deum valent, nullius sunt meriti, quoniam non bene sed male facta sunt, non ex caritate sed aliquando etiam ex mala cupiditate. Et tamen si salvari volumus, necesse est ut bona opera et bene faciamus, recta et bona intentione, ex caritate propter Deum, ut sic Christo Deoque similes simus, sicut luna soli. Et si Deus omnia opera sua bona et bene fecit propter nos, sciens quod animus noster bonis delectatur, cur, quaeso, nos non satagimus ut omnia opera nostra bona et bene faciamus, scientes quod talibus operibus delectatur Deus?

omnes autem omnia sua

Bone Deus, nos omnes ex naturali animi nostri propensione omnia bona volumus, praeter opera nostra, quae ad salutem aeternam necessaria sunt. Imo omnia bona praeter animum mentemque et con-

71) Ps 24, 10. Vulg.: *Universae viae,* etc. 72) Ez 18, 20. Vulg.: *Et pater non portabit,* etc. 73) Cf. Ex 20, 5; Nm 14, 18; Dt 5, 9. 74) Cf. Lactantius *Divinae Institut.,* lib. 7, cp. 5, (P. L. 6, 749). 75) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

scientiam nostram. Si quis quadrantem det nobis, non recipimus nisi bonus sit. Quid ergo volumus habere bonum quadrantem in marsupio et malam animam in corde? quadrantem meliorem volumus quam conscientiam, quam animam? Si quadrans tibi decidat in terram e manu, inclinas te et tollis illum; et non inclinas te ad tollendam animam tuam, quae per peccatum decidit de manu tua in terram? *Anima mea in manibus meis semper.*[76] Quid respondebis Deo cum improperabit tibi quod pluris feceris quadrantem quam animam tuam? quam salutem animae tuae?

bona volunt, praeter opera, animum et conscientiam.

Non miremur si Deus aliquando non bene, sed male nobis facit imittendo bella, famem, pestem et noxias infirmitates multisque nos tribulationibus premit, quoniam multo peius meremur. Incumbamus operibus bonis et Deus nos beneficiis multis afficiet; sic enim per Malachiam ait: *Inferte omnem decimam in horreum* meum *et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas coeli et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam ... et beatos vos dicent omnes gentes; eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.*[77] Utinam sic faciamus!

Incumbamus ergo bonis operibus,

XII. Quod si dicatis: Quid est quod agere debemus ut divinis beneficiis perpetuo frui mereamur? Uno dicam verbo: quod agit sponsa bonaque uxor erga virum suum, nam propterea Ecclesia dicitur *sponsa Christi* et *Dei*,[78] ac tunc Deus se nobiscum geret sicut bonus sponsus erga sponsam quam apprime diligit. Hoc est quod per Oseam Dominus dicit: *Sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et ... miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus. Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam coelos et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum ... vinum et oleum, et haec exaudient Iezrahel.*[79] Quid est *exaudiam coelos?* Adhibet inanimis corporibus prosopopoeiam, ac si animata essent et a Deo petere possent quod naturaliter cupiunt: ditabo coelum optimis influxibus imbribusque et vivificis maximeque beneficis luminibus et caloribus; sic coelum fecundabit ditabitque terram suis virtutibus suisque divitiis, terra fructus optimos proferet in maxima copia et abundantia

ut beneficiis, non poenis a Deo afficiamur,

76) Ps 118, 109. 77) 3, 10-12. 78) Cf. Eph 5, 23-32; Apc 19, 7; 21, 9. 79) 2, 19-22.

iuxta hominum desideria et voluntates. Loquitur eo modo Deus quo nos dicimus videntes coelum nubibus obductum, quod vult pluere, quod terra arida desiderat aquam, quod segetes, vineae et arbores vellent pluviam vel solem, quod tales segetes vel arbores desiderant pinguem humum, tales vero paulo steriliorem, tales desiderant colles apricos et tales planos campos, humidas et umbrosas valles. Sensus autem totius sententiae est: cum vos desponsavero in iustitia et fide, ut vos sitis mihi tanquam fidelis et bona uxor, faciam vos abundare pro libito omnibus bonis. Sic enim decet ut vir uxori optimae in licitis omnibus satisfaciat et morem gerat in iis quae pro muliebri ingenio concupiscit.

et sic etiam in hac vita felices erimus.

Sic, fratres, etiam in praesenti vita felices erimus, erit nobis mundus hic terrestris paradisus, pascemur cum Hebraeis coelesti manna in deserto vitae huius, [80] si ad Christi exemplum pro nostra virili omnia opera nostra bene fecerimus, ut de quolibet nostro dici possit: *Bene omnia fecit.* Pudeat nos, fratres, quod cum natura boni simus, ad Dei similitudinem conditi, operibus tamen mali sumus; natura similes Deo, operibus malis similes diabolo.

. ALIA HOMILIA

Exiens Iesus de finibus Tyri et Sidonis, venit ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, etc. [1]

Per hunc surdum et mutum hebraicus populus designatur,

I. Cum Dominus in partibus Tyri et Sidonis liberasset filiam mulieris chananitidis, quae male a daemonio vexabatur, [2] reversus iterum est in terram Israel, ubi allegoriae mysterium designatur, quod P a u l u s *ad Romanos* expressit: *Caecitas ex parte contingit in Israel, ut plenitudo gentium intraret,* et tunc, idest cum plenitudo gentium intraverit, *omnis Israel salvus* fiet. [3] Sic Christus post curationem

80) Cf. Ex 16, 15 sqq.

1) Mc 7, 31-32. 2) Cf. ibid. vrr. 24-30. 3) 11, 25-26. Vulg.: *Contigit in Israel, donec plenitudo,* etc.

gentilis mulieris, sanat hebraeum hominem, propterea lingua hebraica, hoc est qua tunc Hebraei utebantur, in curatione huius hominis usus est: *Ephphetha, quod est adaperire.*[4] Et hoc etiam illud mysterium est quod, cum Dominus curasset mulierem, quae sanguinis fluxum passa erat annis duodecim,[5] suscitavit filiam archisynagogi similiter loquendo lingua hebraica: *Talitha cumi . . . puella . . . surge.*[6] Per hunc igitur surdum et mutum allegorice hebraicus populus designatur, qui ob infidelitatem et perfidiam a daemonio obsessus, caecus, surdus et mutus factus est spiritu et mente, sicut per Isaiam dictum est: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur et sanem eum.*[7]

qui ob infidelitatem mutus et surdus factus est,

Sed non in aeternum irascetur Dominus neque extendet iram suam a generatione in generationem.[8] Hinc Vates ait, sciens ceritissime quod ita eventurum erat: *Usquequo, Domine? Et dixit: Usquequo desolentur civitates absque habitatore et domus sine homine et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines et multiplicabitur quae derelicta fuerat,* sive *derelictio in medio terrae; et adhuc in ea decimatio, et revertetur et erit in ostensionem,* sive *combustionem, sicut terebinthus et sicut quercus quae extendit ramos suos; semen sanctum erit id quod steterit in ea.*[9] Hoc est usque ad fines saeculorum derelicta erit synagoga, destructa Ierosolyma et universa Iudaeorum respublica per Titum et postea per Hadrianum,[10] hoc est enim: *Et adhuc in ea decimatio, et revertetur et erit in combustionem,* hoc est iterum destruetur. Quare comparat eam arbori in hieme, cum defluxerint folia et rami etiam praecisi fuerint, quare tanquam statua quaedam apparet; sed cum transierit hiems, in vere incipit germinare ramosque et folia emittit; sic ait: *Semen sanctum erit... quod steterit in ea:* reliquit, inquit, veluti truncum gentis Iudaeorum propter electos, qui in fine mundi ad Christum conversi salvandi sunt.

sed in fine temporum a Deo tandem curandus et salvandus erit.

Hoc est quod alibi Isaias ait: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha simi-*

4) Mc 7, 34. 5) Cf. Mt 9, 20-22; Mc 5, 25-34; Lc 8, 43-48. 6) Mc 5, 41. 7) 6, 10. 8) Cf. Ps 84, 6. 9) Is 6, 11 sqq. Vulg.: *Donec desolentur... et convertetur... expandit ramos*, etc. 10) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Isaiam*, lib. 3, (P. L. 24, 100-101.

Hoc idem significatum fuit ab Isaia et Osea.

les essemus, [11] hoc est penitus sicut Pentapolis [12] periissemus; sed propter semen sanctum, idest filios sanctos, qui in fine mundi ex gente hac orituri sunt, servatur gens ista in mundo deformis et absque ullo honore, sicut truncus arboris. Hoc est quod Oseas ait: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege... sine principe... sine sacrificio... sine altari... sine ephod... sine theraphim... Post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum... in novissimo dierum.* [13]

Multa etiam mysteria innuunt circumstantiae curationis huius surdi.

Quod autem surdum hunc et mutum Christus non simplici verbo sanaverit, sed multis adhibitis caeremoniis, nam subduxit eum a turba, misit digitos suos in ipsius auriculas, tetigit linguam ipsius ac sputo suo linivit, suspexit in coelum et ingemuit ac tandem dixit: *Ephphetha, quod est adaperire,* [14] significat quod nec in fine quidem mundi facilis erit Iudaeorum conversio; quod autem ad mare Galilaeae, quod fit ex aquis Iordanis, salutem homini huic contulerit, designat quod per Baptismum iustificatur homo et datur salus, hoc enim est sacramentum fidei et *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [15]

Non facile curatur qui voluntate surdus et mutus est.

II. Sed quod spectat ad moralem tractationem, in eo quod non simplici verbo Dominus hunc curavit, insinuatur quod non facile qui voluntate surdus et mutus est curatur a Domino, quod etiam in Lazari suscitatione Dominus insinuavit, [16] sed multa opus est misericordia Domini, opus multis inspirationibus et valde potentibus, nam per digitos Divini Spiritus opera designantur: *Digitus Dei est hic;* [17] *Si in digito Dei eicio daemonia;* [18] *Si ... in spiritu Dei eicio daemonia;* [19] opus est immissione gustus spiritualis ex divina virtute, quod est tangere linguam et Christi sputo linire; et multa gratia Dei opus est, quod significat suspectio Christi in coelum facta cum gemitu. Sed ante omnia subducendus est a turba, ducendus in solitudinem, ubi Deus ad cor ipsius loquatur, [20] hoc enim salutis initium est.

Conversio magni peccatoris

Conversio autem magni alicuius peccatoris multae solet esse admirationis causa in populo, multae aedificationis magnaeque gloriae Dei; hoc est quod, curato hoc homine, populus admiratus in lau-

11) Is 1, 9. 12) Cf. Gn 19, 24-29. 13) 3, 4 sq. 14) Mc 7, 33-34.
15) Tit 3, 5. 16) Cf. Io 11, 33-44. 17) Ex 8, 19. 18) Lc 11, 20.
19) Mt 12, 28. Vulg.: *Daemones.* 20) Cf. Os 2, 14.

dem Christi prorupit dicens: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui.* Sic Lazari suscitatio magna fuit gloria Christi,[21] sicut curatio incurabilis morbi magna est gloria medico qui morbum curavit. causa est magnae laetitiae in populo et magnae gloriae Dei.

Sciendum est autem, fratres, quod omnis homo in spiritu vel in priori statu hominis istius est vel in posteriori, vel surdus et mutus vel per Christi gratiam auditu et loquela praeditus. Examinemus igitur nos ipsos et videamus in quonam statu sumus. Et quidem utinam surdi et muti essemus, sicut Regius Vates, qui aiebat: *Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum,*[22] surdi et muti in his quae carnis et mundi sunt! Hoc enim bonum est, optimum est, sicut malum et pessimum est surdos et mutos esse in his quae Dei sunt et quae ad spiritum spectant. Omnis homo in alterutro statu huius surdi invenitur.

21) Cf. Io 11, 45; 12, 17-18. 22) Ps 37, 14.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex totis viribus tuis et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. [1]

Inter omnia praecepta haec duo caritatis potissimum locum tenent in corde nostro.

I. Sicut inter astra innumera posuit Deus in coelo duo luminaria magna, solem et lunam, [2] sic in coelesti et divina lege inter multa praecepta posuit duo magna caritatis mandata: primum, quod luminare maius est, ut diligamus Deum super omnia, et secundum, quod est luminare minus, ut diligamus proximos nostros sicut nos ipsos: *Diliges... proximum tuum sicut teipsum.* Hac ratione Deus non in una tantum tabula scripsit legis praecepta, sed in duabus, propter duo haec mandata caritatis; nam in prima tabula dedit praecepta quae spectant ad dilectionem Dei, in secunda vero quae spectant ad dilectionem proximi. [3] Sicut autem utranque tabulam iussit Deus reponi intra foederis arcam in sancto sanctorum, [4] sic utranque hanc dilectionem vult nos habere in corde.

Arca foederis figura cordis humani.

II. Arca illa dicta fuit *arca foederis*, אֲרוֹן בְּרִית, [5] quoniam ad hoc facta fuit, ut in ea asservarentur perpetuo tabulae divinae legis, quae dicta est in Divinis Scripturis *testamentum*, [6] *foedus* [7] et *pactum Dei;* [8] sic ad hoc fecit Deus cor nostrum, ut esset scrinium et archivium cari-

1) Pericope huius diei Lc 10, 23-37. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Ex omnibus viribus*, etc. 2) Cf. Gn 1, 16-18. 3) Iuxta communem Doctorum Ecclesiae opinionem. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 183, not. 69. 4) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 5) Cf. Dt 10, 8; 31, 9. 25-26; Ios 3, 3. 11. 77; Idc 20, 27; 1 Rg 4, 3-6. 6) Cf. Ps 43, 18; 49, 16; 77, 10; 110, 18; 131, 12. 7) Cf. Ex 24, 7; 34, 8; Dt 9, 11; 29, 1. 21; 31, 16; 4 Rg 23, 2. 8) Cf. Ex 19, 5; 31, 46; Lv 26, 15. 44; Dt 4, 13. 23; 9, 9; 17, 2; 29, 9. 25.

tatis sanctique amoris. Est enim homo ad instar divini illius tabernaculi, quod in habitaculum Dei constructum fuit, triplici parte distinctum: infima, media et suprema, atrio, sancto et sancto sanctorum; pars infima, in qua erat altare holocaustorum et vas aquarum ad sordes abluendas, communis erat hominibus et animalibus, sub divo, nullo tecto cooperta, omnibus aeris iniuriis exposita; pars media, in qua aureum candelabrum, mensa panum et altare incensi, solis sacerdotibus patebat; pars vero suprema, in qua arca in medio cherubim aureorum sub divino propitiatorio,[9] soli summo sacerdoti pervia esse poterat et semel tantum in anno,[10] locus enim sacrosanctissimus erat. Sic homo triplici parte constat, sicut et triplici anima praeditus est: vegetali, sensili et rationali. quod scrinium esse debet caritatis.

Anima hominis hebraice in Divinis Scripturis tripliciter appellatur; dicitur enim נֶפֶשׁ,[11] sicut etiam appellantur brutorum animae, dicitur רוּחַ,[12] idest spiritus, et dicitur נְשָׁמָה,[13] idest mens; homo nanque unica praeditus anima, instructus tamen est animali sensu, rationali spiritu et angelica divinaque mente. Infima pars est sensus carnis, qui homini communis cum animalibus est; mortificare autem potest homo sensum carnis quod animal non potest: hoc est altare sacrificiorum, ut puram honestamque vitam ducat, et tergere sordes carnis: hoc est vas aquarum purificatoriarum. Altera pars est ratio, ubi intellectus est luminibus humanarum naturaliumque scientiarum splendens, voluntas honestis virtutum cardinalium sanctis desideriis flagrans et memoria, quae rerum rationabilium thesaurus est et veluti mensa intellectui parata. Tertia pars et altissima est mens ad Deum cognitione et amore conversa, ad Dei imaginem et similitudinem facta, supernaturalibus scientiis et virtutibus instructa; hac Dei memores sumus, Deum contemplamur, cognoscimus diligimusque; hic est arca voluntatis et duo cherubim, intellectus et memoria divinae contemplationi vacantes.

Anima hominis tripliciter hebraice appellatur, ad significandam vitam sensus, rationis et supernaturalis contemplationis.

III. Fuit arca illa, ut in *Exodo*, capite 25 legimus, ad hoc constructa, ut in ea perpetuo asservarentur duae tabulae legis;[14] sic ad

9) Cf. Ex 26, 1-27, 1 sqq.; 10, 15-31; Hebr 9, 2-5. 10) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 2; Hebr 9, 7. 11) Cf. Gn 1, 20. Ms.: *Nephesc.* 12) Cf. Iob 27, 3. Ms.: *Ruah.* 13) Cf. Gn 2, 7. Ms.: *Nessamah.* 14) Cf. vrr. 10-16.

Deus voluntatem humanam condidit ut Deum et proximum diligeret;

hoc Deus humanam condidit voluntatem, ut Deum et divinam imaginem, ut par est, diligeret. Ad hoc autem conditam esse humanam voluntatem a Deo inde patet; nam praeter geminum hunc caritatis amorem, in ea vel ingratus Deo est vel nihili carus. Sicut in qualibet Ecclesia super altari maiori, in tabernaculo Sanctissimi Sacramenti nihil aliud asservabitur, nec asservari quidem decet, etiam si sint sacrae Sanctorum Reliquiae, quoniam ad hoc solum factum est tabernaculum illud, ut in eo Eucharistiae sacramentum repositum conservetur, hinc omne aliud quod in eo reponitur, vel male, vel indecenter reponitur; sic in arca cordis nostri, quod locus est divinae habitationis, thronus divini honoris et lectulus divinae quietis in nobis, nonnisi divinum amorem licet asservari.

ad hoc autem facile et delectabiliter faciendum supernaturalem virtutem ipse tribuit.

Sicut autem postquam tabulae legis repositae fuerunt in arca, iussit Deus ut in ea reponeretur etiam virga divinae virtutis, quae per manum Moysi et Aaron mirabilia operabatur, [15] et adhuc ut in ea quoque asservaretur vas plenum coelesti manna, [16] sic Deus non tantum praecipit ut ipsum super omnia et proximos nostros sicut nos ipsos diligamus, sed ad faciendum hoc dat supernaturalem virtutem, ut facillime id agere possimus, et praeterea dat ut non tantum faciliter, sed etiam magna cum animi delectatione et voluptate hoc faciamus. Ecce vas plenum manna in arca: *Pax multa diligentibus legem tuam et non est illis scandalum;* [17] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [18] Quod si timentibus, quid erit diligentibus? Nam timor sanctus initium est caritatis: *Initium sapientiae timor Domini.* [19]

Datur in hodierno Evangelio ratio huius praecepti: caritas est via salutis,

IV. Ad persuadendam autem nobis divinam hanc caritatem efficacissima ratio adhibetur in hodierno Evangelio, dum ostenditur quod haec via salutis est, scala coeli et porta paradisi. Sicut enim vice quadam interrogatus Dominus a quodam: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* [20] respondit: *Mandata nosti;* [21] *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata,* [22] sic etiam hodie interrogatus ab hoc legisperito: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* respondit: *In lege quid*

15) Cf. Nm 17, 10. 16) Cf. Ex 16, 33-34. 17) Ps 118, 165. 18) Ps 30, 20.
19) Ps 110, 10. 20) Lc 18, 18. Vulg.: *Quid faciens*, etc. 21) Ibid. vr. 20.
22) Mt 19, 17.

scriptum est? Quomodo legis? Cumque ille dixisset: *Diliges Dominum Deum tuum... et proximum tuum sicut teipsum,* ait: *Hoc fac et vives,* [23] quasi diceret: haec via salutis est, ambulate in ea. Nec immerito in hodierno Evangelio, post verba facta de aeterna beatitudine: *Beati oculi qui vident quae vos videtis,* [24] sequitur sermo de servanda caritate, [25] quoniam si beatitudo coelestis est paradisus, caritas scala coeli est.

sicut docet etiam Paulus,

Divus Paulus *ad Corinthios* scribens ostendit caritatem viam esse salutis, viam autem excellentissimam et viam unicam et solam; ait enim: *Aemulamini... charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum,* in praedicatione Evangelii, ita ut mea eloquentia totum ad Christum mundum converterem, *caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem,* idest perfectissimam supra modum, *ita ut montes transferam,* maxima faciendo miracula et maiora quam Christus, *caritatem autem non habeam, nihil sum* apud Deum. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam,* acerbissimum martyrium sustinendo, *caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* [26] ad vitam aeternam consequendam.

et via quidem tutissima

Sola igitur caritas via salutis est, via autem tutissima et optima, quoniam caritas excludit omne vitium et omnem includit virtutem: *Caritas patiens est, benigna est, caritas non aemulatur,* idest non invidet, *non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, non quaerit quae sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati,* idest bonitati; *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; caritas nunquam excidit...* [27] *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec, maior autem horum est caritas.* [28]

et unica.

Haec igitur ratio est urgentissima ad persuadendam caritatem, quod sine ea non potest homo consequi vitam aeternam, quod ipsa sit unica via salutis et scala coeli, haec scala per quam vidit Iacob Angelos in coelum ascendentes. [29]

23) Lc 10, 26-28. 24) Ibid. vr. 23. 25) Cf. ibid. vrr. 30-37. 26) 1 Cor 12, 31-13, 1-3. Vulg.: *Caritatem... non habuero,* etc. 27) Ibid. vrr. 4-8. Vulg.: *Non quaerit quae sua sunt, non irritatur,* etc. 28) Ibid. vr. 13. 29) Cf. Gn 28, 12.

Hanc ergo viam arripere debemus, si salvari volumus.

Ad fugiendam autem mortem quid est quod non faceret homo ex desiderio vitae? Quid non faceret reus detentus in carcere, expectans mortis sententiam, si qua esset spes salutis et aliquis pateret aditus ad effugiendam mortem et salvandam vitam? Infirmus ex desiderio et spe salutis expendit omnes facultates suas in medicos et medicamenta. *Diliges Dominum Deum tuum ... hoc fac et vives.*

Deus perquam sollicite hoc praeceptum nobis edicit,

V. In lege, cum mandatum hoc traditum fuit, simpliciter traditum videtur, nulla reddita ratione vel causa cur sic diligendus sit Deus. Ait enim: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba ... quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo et narrabis ea filiis tuis et meditaberis ... sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua eruntque et movebuntur inter oulos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuae.* [30]

quia amoris nostri cupidissimus est.

Bone Deus, quam sollicite et quam impense exigit divinus legislator censum et tributum divini amoris, diligentissime monens ne reddere quoquo modo obliviscamur! Amoris avidissimum, cupidissimum, sitientissimum se ostendit, tanquam homo qui supra modum auri sacra fame [31] laboret, sollicitissimus et diligentissimus est ad exigendas suis temporibus a debitoribus suis quas credidit pecunias cum usuris. Novit enim divinus legislator quod sicut non facile adducitur homo ad solvenda creditoribus debita principibusque tributa, sic non facile adducitur ad diligendum Deum, et quod sicut in dilectione mundi freno et habenis opus habet, ita in dilectione Dei acutis calcaribus ratione vitiatae corruptaeque naturae ob Adae peccatum.

Praeceptum hoc homini datum non fuit antequam peccaret,

Non legimus datum primo homini mandatum de diligendo Deo, quoniam sicut non praecipit lex ut parentes ament filios suos, neque ut homo seipsum diligat et bona sua, quoniam ipsamet natura sua sponte in haec libentissime impendit amorem, ita tunc homo suapte natura Deum, ut par est, dilexisset tanquam optimus filius optimum et amantissimum parentem. Cum enim obiectum voluntatis nostrae sit ipsum bonum, suapte natura homo diligit et desiderat bonum quod

30) Dt 6, 4-9. Vulg.: *Dominus unus est*, etc.

31) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57.

novit. Si rex aliquem ex servis suis humillimo loco natum ad primos regni honores sublimasset, sicut Pharao Iosephum,[32] Nabuchodonosor Danielem[33] et Assuerus Mardochaeum,[34] superflua res videretur et indigna si illi diceret: Fac ut me ames tanquam dominum tuum, faceret enim ei quodammodo iniuriam et quasi ingratitudinis notaret. Sic Deus creatum hominem cum mox in paradisum adduxisset mundique principem constituisset, ne faceret ei iniuriam, minime dedit mandatum hoc divinae dilectionis.

Homo hebraice duobus praecipue nominibus dicitur: אָדָם, quod est terra, sive terrenus, et אִישׁ,[35] quod est ignis, sive igneus; non sine mysterio, sed quoniam terra et ignis constant contrariis qualitatibus: terra gravissima, ignis levissimus; terra crassissima, ignis subtilissimus; terra obscura, ignis lucidus; terra frigida, ignis calidus; terra immobilis, ignis mobilissimus; terra natura infimum elementorum, ignis natura supremum; sic homo contrariis veluti naturis compositus est: corpore et anima, sensu et ratione, carne et spiritu. Habet autem caro appetitus suos carnales et terrenos, similiter et spiritus suos, sed spirituales, coelestes et divinos, sicut in qualibet avi duos veluti contrarios, ambos tamen naturales cernimus appetitus: alterum volandi per aera sursum versus coelum ad fruendum purissimi aeris amoenitate, alterum vero descendendi deorsum ad capessendum cibum a terra pro sustentanda vita.

quia nullo tunc terreno appetitu perturbabatur

At in statu illo erat homo sicut aquila quae libentissime in altissimis coeli partibus spatiatur, nec nisi necessitate coacta in terram descendit, avis est enim minime carnosa; nunc autem factus est veluti gallina aut quaevis alia carnosa avis, quae semper degit in terra et vix novit volare magnoque cum labore ad volandum se levat. Erat tunc homo sicut flamma ignis, quae facillime secum trahit sursum terreas favillas, et sicut in aeneis fistulis bellicisque tormentis ignis impetus et vis facillime sursum fert sphaerulam plumbeam aut ferream, quamvis ferrum et plumbum suapte natura gravissimum sit, ita tunc impetus spiritus secum trahebat in coelum appetitum carnis. Nunc autem homo est sicut pruna aut carbo semiextinctus qui, quam-

et facile in Deum ferebatur;

32) Cf. Gn 41, 40-44. 33) Cf. Dn 2, 49. 34) Cf. Est 8, 1 sqq. 35) Ms.: *Adam* et: *Isc.*

nunc autem difficillime ad Deum diligendum adducitur,

vis ignitus sit ignisque natura praeditus, tamen, quia terra superat ignem, gravis est, nec sursum sed deorsum, sicut lapis vel ferrum ignitum, tendit; et sicut avis praecipuis destituta pennis in alis vel visco agglutinatis volare non facile potest, sic nec homo per peccatum divina caritate destitutus et visco carnalis concupiscentiae infectus difficillime sursum tendit ad coelestia desideria divinosque amores aspirando.

hinc multis praeceptis et monitionibus opus est.

Hinc praeceptis et monitionibus multis opus est ut Deum diligat; et quoniam divinorum gustu destitutus homo, etiam ipsius Dei facile obliviscitur, carnalibus desideriis occupatus et mundanis curis distractus, ad iuvandam memoriam inquit: Ligabis verba mandati huius quasi signum in manu tua et sint quasi ocularia inter oculos tuos, scribesque ea in muris domus tuae, ut perpetua memoria teneas divinum hoc praeceptum.

Huius mandati non videtur ulla causa assignari, nisi quia possibile et facile est,

VI. Huius autem talis ac tanti mandati nulla assignatur causa, nisi quod idem M o y s e s eodem libro, capite 30, ostendit mandatum hoc minime impossibile aut difficile esse, sed possibile et facile dicens: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est aut procul positum, nec in coelo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad coelum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus ? Neque trans mare positum, ut causeris et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod praeceptum est ? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum. Considera quod proposuerim hodie in conspectu tuo vitam et bonum et e contrario mortem et malum: ut diligas Dominum Deum tuum... et vivas.* [36]

amor enim, quem solum a nobis Deus exigit, appetitus naturalis est cordis nostri;

Et quidem satis efficax ratio est ad persuadendum facilitas rei, quod modico labore quam facile possit quis magnum praemium consequi. Facillimum est quod a nobis requirit Deus, ut det nobis vitam et gloriam sempiternam, cum non requirat nisi amorem. Si requisisset magnam nobilitatem, multas divitias, magnam sapientiam, iudicium et eloquentiam, quae principes mundi quaerunt acceptaturi aliquos ad magnos gradus honoris in suis regnis, multi causari potuis-

36) Vrr. 11-16. Vulg.: *Neque procul positum..., et audiamus... quod hodie proposuerim,* etc.

sent impotentiam; si magnas eleemosynas et multa opera bona, multa ieiunia vitamque asperrimam, perpetuas orationes et vigilias, multi adhuc dicere possent non valere se haec vel propter paupertatem, vel propter infirmitatem, vel propter familiares occupationes quae victui et vestitui necessariae sunt. Sed quis poterit vere dicere se non posse amare, cum cor nostrum fons perennis amoris sit, sicut sol luminis et ignis caloris? cum facilius sit dari vacuum in natura quam reperire cor sine amore? Facilius mare siccatur aquis quam cor amore et desideriis boni. Haec, inquam, valde efficax ratio est.

attamen in ipsius mandati verbis multae causae insinuantur.

At quamvis in ipso mandato nulla videatur ratio assignari manifeste – quoniam Deus per seipsum diligendus est, quoniam suapte natura infinita bonitate praeditus est, sol infinitae lucis; et si per impossibile sicut in Deo plures sunt divinae Personae realiter distinctae, ita essent plures dii essentialiter separati, et ab uno tantum innumera omniaque beneficia acceperimus, ab aliis vero nullum, sicut per Christi passionem et mortem redempti sumus, non autem per Patris aut Spiritus Sancti, tamen nil minus aliis Diis quam summo illi benefactori [37] deberemus amoris et honoris, sicut nunc nil minus tenemur Patri et Spiritui Sancto quam Filio, quoniam ipsamet Deitas suapte natura ob summam et infinitam bonitatem digna est infinito amore; propterea igitur nulla assignatur ratio manifesta in ipso mandato, – attamen [37a] si mandatum ipsum oculate consideremus, inveniemus quod singula verba ipsius efficacia sunt tanquam urgentissimae rationes ad movendum animum nostrum ad dilectionem divinam.

a) *Deus unus est:* est ideo unicum et primum ens, causa omnium entium.

VII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* hebraice est: וְאָהַבְתָּ, [38] *et diliges Dominum Deum tuum,* coniungitur enim praecedenti sententiae: *Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges*; quare illud *et* [39] stat pro ergo, quasi dicat: *Quia Dominus Deus noster Deus unus est, diliges ergo Dominum Deum tuum.* Sciendum item quod *Deus unus* hebraice est יְהוָה אֶחָד; [40] significat etiam יְהוָה existens, subsistens; ens autem et bonum metaphysicis convertun-

37) Ms.: *Benefactoris.* 37a) Ms.: *Et tamen.* 38) Ms.: *Veahabtha.* 39) Ms.: *Est.*
40) Ms.: *Ieohovah ehad,* et infra.

tur;[41] deinde אֶחָד Hebraeis non solum unum significat, sed etiam primum, unde: *Factum est... vespere et mane dies unus,*[42] idest dies primus. Quare quod ait יְהוָה אֶחָד, est ens unum, ens primum, unicum bonum, primum bonum, quod est principium et origo omnium bonorum, sicut unitas principium, origo et causa est omnium numerorum et sicut unus sol causa est omnium luminum quae in mundo sunt. Deus igitur proponitur diligendus tanquam ipsum primum bonum, quod est perennis fons omnis bonitatis rerumque omnium.

maximum et unicum bonum;

Merito igitur cum dixisset: *Deus unus*, qui ait: *Ego sum qui sum,*[43] *Deus unus*, ens unum, ens primum, bonum unum, bonum primum, unica causa totius bonitatis et entitatis, subiunxit: *Diliges ergo Dominum Deum tuum;* veluti si quis diceret: Papa Christi Vicarius est unus; honoret igitur omnis christianus et verus catholicus Papam eique obediat et subditus sit. Sic vult ut cognitionem summae bonitatis sequatur amor, quoniam potentia suapte natura suum sequitur obiectum, voluntatis autem et amoris obiectum bonum est; ergo quod magis bonum, magis est diligibile; maximum bonum, maxime diligibile; Deus est unicum et maximum bonum, omnis boni unica causa; unice ergo diligibile. Sic igitur ait: *Deus unus est*, summum et infinitum bonum, unicum amoris obiectum; *Diliges ergo Dominum Deum tuum.*

b) *Diliges Dominum* : Deus supremus Dominus et conservator omnium rerum est;

VIII. Sicut autem mensa laute splendideque instructa esurientem ad manducandum invitat et sitientem ad bibendum vinum optimum, pulcherrimum spectaculum trahit ad se oculos, musica suavissima aures, sic divina bonitas ad se trahit amorem. Hoc est: *Diliges ergo Dominum Deum tuum.* Ponitur itaque in hac periodo actus, potentia et obiectum: actus est amor, potentia cor voluntatem animumque significans, obiectum vero Deus: *Dominum Deum tuum.* יְהוָה אֱלֹהֶיךָ[44] non est hebraice proprie Dominus, nam hebraice dominus dicitur אָדוֹן, quod est graece κύριος et latine dominus, sed est יְהוָה,

41) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 5, a. 1. 3; q. 17, a. 4, ad 2; q. 4, a. 1. 42) Gn 1, 5. 43) Ex 3, 14. 44) Ms.: *Iehovah elohecha*, et infra: *Adon, chirios.*

nomen proprium Dei, sicut apud Gentiles erat Iupiter sive Iovis, a iuvando,[45] quod Deus omnes iuvet; Hebraeis autem יְהוָה est ab הָיָה, sive הָוָה,[46] quod est e s s e, quod Deus sit primum ens, quod dat omnibus esse; nam, ut P a u l u s ait: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia;*[47] *In ipso... vivimus... movemur et sumus.*[48] Semper autem quod est Hebraeis יְהוָה S e p t u a g i n t a I n t e r p r e t e s graece κύριος interpretati sunt, quod est latine d o m i n u s, ut sciamus quod propterea Deus absolute dicitur *Dominus omnium* quae coeli ambitu totoque universo continentur,[49] quoniam omnibus est causa essendi, sicut figulus dominus est vasorum quae ipse fecit, et propterea natura Dominus est rerum omnium sicut pater filiorum, sicut pastor ovium, cum ipsius propriae sunt.

Nunc rationem perpendamus quae in verbo hoc continetur: *Diliges Dominum.* An non tenetur populus optimum diligere principem, a quo optime gubernatur, defenditur, protegitur et in pace conservatur? An non tenentur servi diligere dominum, a quo habent victum, vestitum et omnia quaecunque possident bona et a quo tanquam filii tractantur et amantur? An non tenentur filii amare parentem optimum et amantissimum, a quo habent ipsum esse et conservationem ipsius summa cum caritate? Oves diligunt pastorem et canes dominum suum, a quo beneficiis afficiuntur; sic ait: *Diliges Dominum,* cuius tu ipse opus es[50] et cuius sunt omnia quae habes. *Quid enim habes quod non accepisti?*[51] Quis dedit tibi vitam? corpus? animam? sensus? vires? bona omnia quae possides? Si caecus natus esses aut surdus vel mutus, et aliquis divina virtute praeditus visum, auditum et loquelam tibi daret misericordia motus infelicitatis et miseriae tuae, sicut Christus faciebat, dic, quaeso, nonne obligatissimus et devinctissimus tu cum tuis omnibus esses magno illi benefactori? Quid si nihil aliud a te exposceret nisi amorem et benevolentiam? Cur ergo non diligis a quo omnia habes? *Diliges Dominum* qui Dominus et causa est omnium rerum.

sicut ergo filii diligere tenentur amantissimum patrem et subditi optimum principem,

sic nos debemus Deum diligere, a quo omnia bona habemus.

45) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 8, cp. 11, (P. L. 82, 318); Cicero *De Natura Deorum*, lib. 2, vol. 4, col. 209; Varro *De Lingua Latina*, lib. 5, pag. 21; Aulus Gellius *Noctes Atticae*, lib. 5, cp. 12, pag. 154. 46) Ms.: *Haiah, havah*, et infra: *Chirios.* 47) Rom 11, 36. 48) Act 17, 27. 49) Est 13, 11. 50) Ms.: *Est.* 51) 1 Cor 4, 7.

c) *Diliges:* Deus requirit amorem nostrum.

IX. Alia adhuc ratio continetur in nomine Dei: *Diliges Dominum Deum tuum.* Deus hebraice dicitur אלוה et אלהים, ab אל [52] quod est potens, potestate praeditus. Hinc in Divinis Scripturis principes et iudices dicuntur אלהים, *dii potentes,* [53] quoniam vitae et mortis potestatem habent, occidendi et vivificandi, humiliandi et exaltandi, depauperandi et ditandi et quodammodo infelicitatem extremam vel felicitatem mundanam afferendi. Omnis autem homo ex naturali impulsu affectat amicitiam principum et potentum, a quibus multa potest [54] vel sperare bona, vel timere mala. Deus autem quis est nisi princeps infinitae aeternaeque potestatis, a quo expectanda necessario est vel vita felicitasque aeterna, vel perpetua mors et infelicitas? Et nos ab ipsomet Deo requisiti non acceptabimus ipsius amicitiam? Dei amicitiam refutabimus? contemnemus? nihili pendemus?

d) *Deum tuum:* Deus noster est, qui seipsum nobis dono dedit

X. Tandem non solum dicitur: *Diliges Dominum Deum,* sed *Dominum Deum tuum.* Naturale est homini ut diligat bona sua; quo autem maiora sunt bona, magis diligit: plus diligit homo filium quam servum, bovem quam ovem, equum quam canem, mille aureos quam decem argenteos, possessionem centum camporum quam decem, mille agrorum quam centum. Deus autem quid est nisi infinitus thesaurus omnium desiderabilium bonorum? *Ego ostendam tibi omne bonum.* [55] Deus autem iste ex infinita caritate sua erga nos – *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* tui, [56] – seipsum totum dono dare nobis voluit: *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [57] *Si scires donum Dei!* [58] Et in supersanctissimo Eucharistiae sacramento an non totus ipse Deus est? Noster totus est Deus, quoniam pro nobis facit quaecunque facit, tanquam pater pro filiis; totus noster est ex amore, qui cogit eum ut faciat quaecunque volumus, modo amici ipsius simus: *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet.* [59] Sic populus hebraeus in deserto, quoniam Deum secum habebat in sui medio commorantem, bonis omnibus uberrime affluebat; sic Moyses aiebat: *Deus noster adest*

in incarnatione et in Eucharistia,

52) Ms.: *Eloah, Elohim, El,* et infra. 53) Cf. Ex 22, 28; Ps 82 (hebr. 83), 1.
54) Ms.: *Possunt.* 55) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 56) Ier 31, 3.
57) Io 3, 16. 58) Ibid. 4, 10. 59) Ps 144, 19.

nobis in *cunctis obsecrationibus nostris,*[60] idest ut satisfaciat cunctis necessitatibus et desideriis nostris.

vere thesaurus omnium bonorum.

Regius Vates aiebat: *Beatum [dixerunt] populum cui haec sunt,* divitiae, voluptates, honores, sed: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius,*[61] quoniam Deus fons est perennis et infinitus thesaurus omnium bonorum. Hinc Deus infinitis pene nominibus in Sacra Scriptura appellatur. Dicitur enim *rex,*[62] *iudex*[63], *Dominus,*[64] *pater,*[65], *sponsus,*[66] *amicus,*[67] *pastor,*[68] *protector,*[69] *magister,*[70] *dux,*[71] *gubernator;*[72] dicitur *coelum,*[73] *sol,*[74] *lux,*[75] *ignis,*[76] *spiritus,*[77] *fons aquae vivae,*[78] *panis vitae,*[79] *paradisus deliciarum,*[80] *thesaurus omnium bonorum,*[81] ut sic sciamus quod quisquis Deum possidet, omnium bonorum possessor felicissimus et beatissimus est. Si igitur Deus thesaurus noster est, thesaurus autem infinitus et aeternus, cur non diligendus nobis est ex toto cordis affectu?

Deum diligere ex toto corde impossibile non est,

XI. *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ne dicas esse impossibile ut quis Deum ex toto corde diligat, ut totum amorem suum in Deum impendat, quoniam necesse est alia etiam nostra bona diligere, nam impossibile esse non potest hominibus quod factum ab eis legimus. De Iosia rege refert Divina Scriptura *4 Regum* 23 quod *in toto corde suo* reversus est ad Dominum *et in tota anima sua et in universa virtute sua;*[82] et *2 Paralipomenon* 15 legimus quod rex Asa cum universo populo *in toto ... corde suo iuraverunt et in tota voluntate sua quaesierunt* Dominum *et invenerunt.*[83] Deus ipse *3 Regum* 14 de David loquens ad Ieroboam dixit: *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea et secutus est me in toto corde suo, faciens*

sic enim multi in Veteri Testamento Deum dilexerunt.

60) Dt 4, 7. 61) Ps 143, 15. 62) Cf. Ps 46, 8; 73, 12; Is 33, 22; 44, 6; Ier 10, 10; 1 Tim 1, 17; 6, 15. 63) Cf. Gn 18, 25; 1 Rg 24, 16; Ps 7, 12; 49, 6; Eccli 35, 15; Is 33, 22; Ier 29, 23; Hebr 12, 23; Iac 4, 12. 64) In infinitis prope locis.
65) Cf. Eccli 23, 1. 4; 63, 16; 64, 8; Ier 3, 19; Mal 1, 6; Mt 5, 48; 6, 1. 4. 14. 18. 26. 32.
66) Cf. Is 61, 10; 62, 5; Mt 25, 6. 10; Apc 21, 9. 67) Cf. Ct 5, 16; Is 41, 8; Iac 2, 23. 68) Cf. Ps 78, 13; 79, 2; 94, 7; Ez 34, 11-19; Mich 7, 14. 69) Cf. Gn 15, 1; Ps 17, 3. 19. 31; 26, 1; 30, 5; 83, 10; Eccli 52, 2. 70) Cf. Dt 32, 10; Ps 17, 35; 24, 9; 93, 10; Sap 12, 19; Is 48, 17; 54, 13; 55, 4. 71) Cf. Ex 15, 13; Dt 1, 30; 8, 15; 31, 6; 32, 12; Is 55, 4. 72) Cf. Sap 14, 3; Is 48, 17. 73) Cf. Dt 30, 19; 31, 28; 32, 1; 1 Mach 3, 50; 4, 10. 40; 9, 46; Lc 15, 18. 21. 74) Cf. Mal 4, 2.
75) Cf. Io 1, 4; 1 Io 1, 5. 76) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 77) Cf. Io 4, 24.
78) Cf. Ier 2, 13; Bar 3, 12; Apc 21, 6. 79) Cf, Io 6, 35. 48. 51-52. 80) Cf. Ps 35, 9; Ez 28, 13. 81) Cf. Ex 33, 19; 1 Par 29, 12; Ps 111, 3; Prv 3, 16; 8, 18.
82) Vr. 25. Vulg.: *In omni corde suo*, etc. 83) Vr. 15. Vulg.: *In omni... corde*, etc.

quod placitum esset in conspectu meo. [84] Ezechias, ut legimus *4 Regum* 20 [85] et Isaia 38, [86] cum nuncium mortis accepisset: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives, oravit ad Dominum dicens: Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod placitum est coram te fecerim,* exauditaque fuit ipsius oratio. [87] Et de eodem legimus *2 Paralipomenon* 31: *Operatusque est bonum et rectum et verum coram Domino Deo suo... iuxta legem et caeremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo; fecitque et prosperatus est.* [88] De Iosaphat etiam rege *2 Paralipomenon* 22 legimus quod quaesivit *Dominum in toto corde suo.* [89] Quod igitur a multis nostri similibus factum est, impossibile esse non potest.

Deum diligere ex toto corde significat diligere ex animo, vere et ardenter,

XII. Quamvis autem per cor intelligere possimus voluntatem animumque cum omnibus passionibus et affectionibus suis, quae sunt spes, timor, gaudium, dolor; per mentem vero tres superiores animae nostrae potentias: intellectum, memoriam et voluntatem; per animam tres animae vires: rationalem, concupiscibilem et irascibilem, et per vires omnes potentias sensiles omnesque facultates nostras, quibus potentes ad operandum sumus; sive per cor animum et voluntatem, cuius proprium est diligere et est in anima, sicut cor in corpore, principium omnium motuum, per mentem vero intellectum et rationem, per animam sensum et vitam et per vires cetera quaeque quae nostra sunt; est tamen Scripturae phrasis diligere vel aliquid facere ex toto corde, quod idem est ac ex animo, non ficte, non simulate, non tepide et negligenter, sed vere, fervide, ardenter, magnopere diligere vel aliquid agere. Sic legimus *2 Regum* 15: *Toto corde universus Israel sequitur Absalom;* [90] sic dixit Philippus eunucho Candacis reginae Aethiopum petenti baptizari: *Si credis ex toto corde, licet.* [91] Sensus igitur est: *Diliges Dominum... ex toto corde,* perfecto corde, ex animo, vere, amore vero et vehementi. Sic Iosue concionem habens ad populum ait: *Timete Dominum et servite ei perfecto corde atque verissimo et auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Aegypto;* [92] hebraice est: *Servite Domino in simplicitate et in veritate.*

non ficte, tepide et negligenter.

84) Vr. 8. 85) Vrr. 1-3. 86) Vrr. 1-3. 87) Cf. 4 Rg 20, 5; Is 38, 5. 88) Vrr. 20 sq. 89) Vr. 9. 90) Vr. 13. 91) Act 8, 37. 92) 24, 14.

Non prohibet igitur quin alia quoque diligere possimus; sed sicut fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis, cum totum simul unitum irrigasset paradisum, inde egrediebatur et in quattuor divibedatur amnes, [93] sic amor noster, qui tanquam perennis fluvius a fonte cordis nostri emanat, cum totus in Deum relatus directusque fuerit, hinc ad alia dimanari poterit, ut diligamus etiam et desideremus nobis bona gloriae, bona gratiae, bona naturae et bona etiam quae dicuntur fortunae. Et sicut anima nostra, quamvis tota sit in capite totaque in corde, tamen adhuc ceteris partibus corporis dat vitam et sensum, sic Deum principaliter et postmodum alia quaeque bona diligere possumus. Sicut etiam coelum principaliter illuminatur a sole, secundario autem terra, sic nobis primo diligendus est Deus, postea vero etiam mundus propter Deum. Iubemur diligere Deum *ex toto corde*, hoc est principaliter, super omnia, sicut dicimus aliquem totum studiis deditum esse vel ludis aut pecuniis cumulandis, totum deditum esse negotiis, quales sunt mercatores; sic autem vulgari modo loquimur, non quod qui toto animo studiis vel negotiis addictus est, penitus nihil aliud agat, sed quod ea sit eius praecipua occupatio et cogitatio, cetera vero frigide et quasi obiter agit. Sic igitur ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Non prohibet Deus quin et alia diligere possimus, sed vult ut primo, principaliter et super omnia eum diligamus.

XIII. Ut autem sciamus quomodo ad divini huius praecepti observantiam obligamur, advertendus est animus quod non requirit a nobis Deus sensilem amorem, sed spiritalem. Nam sicut Deum, qui spiritus est, secundum carnem cognoscere minime possumus, ita nec diligere, cum nonnisi cognita possimus diligere. Amorem igitur requirit a nobis rationalem et spiritalem. Hunc autem amorem non necessario tenerum dulcemque et ferventem requirit, sed firmum, constantem et validum, veluti est patris amor erga filios; quamvis dulcior sit matris amor, patris tamen firmior est constantiorque ad perferendos labores pro filiis; et si pater duos habeat filios, alterum quidem iuvenili, alterum vero infantili aetate, hunc dulcius teneriusque diliget, amore enim cogitur ad eum amplexandum et osculandum; sed priorem firmiori diligit amore, nam si alterutrum amittere

Non requirit a nobis Deus amorem sensilem, sed spiritalem, firmum et constantem,

93) Cf. Gn 2, 10.

cogeretur, infantem potius vellet amittere quam illum qui iam ad perfectam devenit aetatem.

Dulcis est amor erga delectabilia, firmus autem et constans erga bona utilia et honorabilia, firmissimo enim amore diligit homo honorem suum et facultates quas possidet. Hunc amorem a nobis requirit Deus, qui dicitur amor aestimationis et pretii, quo meliora et pretiosiora pluris facimus. Hoc est quod requirit Deus a nobis, ut eum maximi super omnia quae in mundo sunt faciamus, ut diligamus eum supra nos ipsos et supra bona omnia totius universi, ita ut nihil contra Dei voluntatem diligamus, nihil pluris quam Deum faciamus, nihil tanti quanti Deum aestimemus. Hoc est quod iussit Deus pontifici antiquae legis ut supra caput deferret auream laminam, in qua divinum nomen insculptum erat,[94] quoniam Deus super omnia mundi bona aestimandus est et maximi faciendus, sicut plurimi facimus caput quam omnia alia corporis membra. Et sicut si daretur optio a Deo hominibus quidnam potius vellent: ut periret unus tantum sol in coelo, an omnes simul stellae, excepto sole, insipiens et stultus esset qui solem potius perire vellet quam stellas, cum pluris valeat sol quam omnes stellae, etiam si millies milliesque plures essent, et sicut sapiens prudensque mercator potius vellet amittere mille aeris minuta quam unum aureum, quoniam multo pluris valet, sic super omnia maximi faciendus est Deus; sicut in regno fideles vassalli super omnia bona sua maximi faciunt regem et principem suum, ita ut pro rege quisque paratus sit bona sua, proprios filios, quibus nihil in vita est carius, vitamque propriam exponere periculo. In mundo etiam infamis censetur qui non pluris facit honorem quam vitam et alia quaevis mundi bona; et quilibet homo, si vir honoris sit, ab uxore sua hoc ante omnia requirit, ut ab ea super omnes alios homines mundi diligatur suumque honorem omnibus mundi bonis longissime praeferat, quamvis ipse nec valde dives, potens, pulcher, aut bonus sit et amans uxoris; quid mirum si Deus optimus et pulcherrimus amantissimusque animarum nostrarum sponsus, requirit ut eum super omnia diligamus?

Si rex pulcram aliquam adulescentulam humillimo loco natam,

idest ut eum diligamus supra nos ipsos

et supra omnia bona universi.

94) Cf. Ex 28, 36.

illius amore captus ducat in uxorem reginamque constituat, sicut Assuerus Esther, [95] an non merito requirere potest ab ea ut ipsum quam maxima diligat super omnes alios, quamvis inclitissimos principes? Anima autem nostra in Baptismo desponsata est Deo: *Desponsavi te mihi in fide;* [96] *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* tui, hinc tanquam sponsus dilectissimae sponsae ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quid mereretur mulier illa, si privatae humilisque personae amore capta fidem regi frangeret ab ipsoque divortium faciens, ad amasium adulterum se reciperet, ut cum ipso semper maneret?

Hoc autem requirit amor ipse quem Deus erga nos ostendit,

Si item rex puerum aliquem aut adolescentem minus honesto loco natum adoptaret in filium principemque et heredem bonorum suorum institueret, nihil aliud petens ab eo nisi ut in ipsius memoriam iugiter deferret collo appensum ad pectus aureum numisma, in quo ex altera parte depicta esset regis imago, ex altera vero regalia stemmata gentilitiaque insignia, quid, quaeso, mereretur bonus ille vir si, deleta regis imagine, alterius cuiusvis rei, quam impense supra regem diligeret, in eo insculperet? Nos autem a summo Deo in Baptismo filii adoptati sumus; hinc Deum *Patrem* orantes appellamus, [97] nec aliud magis praedicat Evangelium quam quod Dei filii constituti sumus et regni coelestis heredes.

qui sponsus et pater noster fieri voluit, tantum ut eum amemus;

Ob tale autem tantumque beneficium, quo maius excogitari non potest – quid enim amplius a rege expectari potest? – Deus a nobis nihil aliud requirit nisi ut diligamus eum, ut in corde nostro divinam caritatem teneamus, quae ipsius Dei imago est stemmataque ipsius: et hoc Deo negabimus? Imo negamus! sed deleta Dei imagine a corde nostro per oblivionem etiam divinorum beneficiorum, nonnisi terrenarum rerum vilissimarum imagines in corde habere volumus!

et tamen Deum non diligimus!

Si rex ille videns se ab ingrato illo contemptum, non statim illum domo eiceret et omnibus bonis privaret, sed moneret ut, deletis imaginibus illis, iterum regiam imaginem in numismate depingeret, diceremus maxima erga illum pietatem usum; et si nec monitus id agere vellet, nonne merito exheredandus domoque pellendus in malam

Deus autem, etsi contemptus, adhuc tolerat et monet uti resipiscamus.

95) Cf. Est 2, 1-16. 96) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 97) Cf. Mt 6, 9; Lc 11, 2.

crucem [97a] iudicabitur? Monet autem Deus, etsi contemptus: *Auferte deos alienos de medio vestri . . . et praeparate corda vestra Domino et servite illi soli.* [98] Quid igitur nos merebimur si divinas monitiones contemnemus? Videte, fratres, iam lata sententia est: *Hoc fac et vives;* [99] si non feceris, morieris, damnaberis. Hoc est enim funiculus coccineus Rahab in Iericho; exploratores nanque Israel dixerunt ei ut, si a destructione civitatis salvare vellet domum et familiam suam, funiculum coccineum in fenestra domus suae appenderet, et quoniam funiculum appendit, salvata fuit sola ipsius domus ex universa civitate Iericho. [100] Quod signum est quod ob defectum caritatis divinique amoris paucissimi sunt qui salvantur: *Si . . . vis ad vitam ingredi, serva mandata . . . Hoc fac et vives.*

Proponitur mandatum et modus diligendi proximum.

XIV. *Diliges proximum tuum sicut teipsum . . . Recte respondisti, hoc fac et vives. Ille autem . . . dixit . . . Quis est meus proximus?* etc. [101] Sicut non tantum regi, sed etiam ipsius imagini exhibetur honor et laesae maiestatis reus habetur qui data opera principis statuam laesit, ita vult Deus ut non tantum ipsum diligamus, sed etiam hominem, qui ad divinam imaginem et similitudinem creatus ab ipso est. [102] Sicut autem in caritate erga Deum non tantum amor praecipitur, sed etiam modus amoris et dilectionis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* ita in caritate erga proximum datur praeceptum de dilectione et modus [103] dilectionis dum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* hoc est: sicut te ipsum vere diligis bonaque tua et ipsa natura ductus vis tibi bonum, non autem malum, vis alios tibi benefacere et bene velle, non autem male, sic tu quoque proximum diligas. Sic enim Dominus Matthaeo 7 divinum hoc praeceptum explicavit: *Omnia . . . quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, haec est enim lex et Prophetae;* [104] sic et Paulus *Romanis* ait: *Qui . . . diligit proximum legem implevit* [105] *Plenitudo . . . legis est dilectio.* [106] Sic vult ut proximum diligamus sicut nos ipsos naturaliter, vere ex animo diligimus.

97a) Modus execrationis ex Plauto *Capt.*, act. 3, sc. 1, vr. 9; *Asin.*, act. 5, sc. 2, vr. 91; *Rud.*, act. 1, sc. 2, vr. 86. 98) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Ei soli.* 99) Lc 10, 28. 100) Cf. Ios 2, 18; 6, 23. 101) Lc 10, 27-29. 102) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 103) Ms.: *Modo.* 104) Vr. 12. 105) 13, 8. 106) Ibid. vr. 10.

Quis sit autem proximus declarat Dominus proposita parabola hominis descendentis ab Ierusalem in Iericho, ubi ostendit quod homo alienigena, samaritanus genere, proximus fuerit iudaeo a latronibus sauciato ac semimortuo relicto.[107] Qua quidem parabola Dominus mirabili divinoque artificio declarat praeceptum hoc de proximi dilectione tum quoad obiectum, tum quoad actum et quoad modum.

Declarat Dominus obiectum, actum et modum huius mandati.

Quoad obiectum, quis sit proximus: quod omnis homo ratione naturae est proximus, nam inter iudaeum et samaritanum nulla alia intercedit ratio et causa ob quam samaritanus iudaeo, infidelis fideli proximus dicatur; nam homo iste incognitus illi erat, non consanguineus, non affinis, non amicus, non concivis, non eiusdem gentis, non eiusdem fidei aut religionis, sed tantum eiusdem naturae, nulla alia ratione motus fuit ad subveniendum ei nisi quia homo erat, particeps eiusdem naturae. Omnis igitur homo proximus est et tum maxime cum in necessitate positus est nostraque opera indiget.

Obiectum: proximus est omnis homo

Nec sine causa Dominus alienigenam hominem solius humanitatis intuitu proximum esse dicit, sed ad confutandum Iudaeorum errorem, qui solos Iudaeos proximos existimabant, unde divino huic praecepto: *Diliges proximum tuum* impiam δευτέρωσιν[108] addiderant: *Et odio habebis inimicum tuum.*[109] Dominus autem ut ostenderet quod omnis homo, cuiuscunque sit generis vel etiam religionis, proximus est, ait scribae: *Vade et tu fac similiter,*[110] idest sicut fecit samaritanus, qui etiam alienigenam hominem et gentis suae inimicum – *nam non coutuntur Iudaei Samaritanis,*[111] – proximum suum esse naturali lege cognovit. Sic Christus declarat obiectum dilectionis huius omnem hominem esse, maxime in necessitate positum nostraque ope indigentem.

in necessitate positus nostraque ope indigens;

Quoad actum vero declarat dilectionem esse oportere non tantum affectus sed etiam effectus, non solum animi sed etiam manus et operis, dnm docet quod samaritanus non solum animo misertus est miseri hominis saucii et semimortui, sed quod operibus eum sublevavit, siquidem vino et oleo prout potuit nixus fuit curare illius vulnera eaque alligavit infirmumque imposuit in iumentum suum et duxit in stabulum, idest diversorium et meritorium hospitium,

actus: dilectio oportet esse non tantum affectus et animi,

107) Cf. Lc 10, 30-37. 108) Ms.: *Deutherosim.* 109) Mt 5, 43.
110) Lc 10, 37. 111) Io 4, 9. Vulg.: *Non enim coutuntur,* etc.

curamque illius egit, advocato chirurgo pro opportuna cura. Sic talem dilectionem docet Christus, quae sit tanquam arbor bona quae fructus bonos facit in tempore suo.

sed etiam effectus et operis.

Praefert autem Dominus samaritanum sacerdoti et levitae, qui forte ob templi ministeria misero homini non subvenere, ut ostendat id quod Dominus per O s e a m ait: *Misericordiam volo et non sacrificium;* [112] quare ob defectum caritatis notat Dominus sacerdotum et levitarum praeposteram religionem animumque immisericordem.

cum proximus in necessitate positus est et nos ei subvenire possumus

Docet etiam hac parabola tunc dilectionem affectus iungendam esse effectui, cum viderimus fratrem nostrum in necessitate positum et nos possumus ei subvenire, nam alioqui, ut I o a n n e s ait: *Si quis... viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* [113]

modus: facere debemus pro salute proximi quaecunque possumus.

Sic etiam ostendit Dominus modum quo diligendus nobis est proximus, maxime cum in necessitate positus est, quod pro salute ipsius facere debemus quaecunque possumus, sicut nos positi in necessitate vellemus nobis fieri; sic enim samaritanus pro salute iudaei fecit quaecunque potuit, sola naturali pietate motus.

Qui caritatem erga proximum non habet, nec erga Deum habere potest.

XIV. Sciendum est autem quod qui caritatem erga proximum non habet, erga Deum habere non potest. Sic enim I o a n n e s ait: *Qui... non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* [114] nam obiectum praesens magis movet. Cum igitur, o fratres, caritas, ut diximus, unica sit via salutis, examinemus nosmetipsos et videamus an caritate praediti simus, saltem quantum possumus, nam certo scire non possumus; ex fructibus tamen cognoscitur arbor. [115]

Caritas supramodum necessaria est ad salutem.

Caritas supra modum necessaria est ad salutem: *Hoc fac et vives;* videamus igitur an haec faciamus. Scimus autem quod caritas cum nullo vitio nulloque peccato mortali stare potest, sicut nec lux cum tenebris, nec ignis cum aqua, nec vita cum morte. Quod si totus mundus positus est in maligno, [116] et *omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae,* [117] ubi,

112) 6, 6. Affert ex Mt 9, 13; 12, 7. 113) 1 Io 3, 17. Vulg.: *Qui... viderit... in eo?*
114) Ibid. 4, 20. 115) Cf. Mt 12, 33; Lc 6, 44. 116) Cf. 1 Io 5, 19.
117) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est,* etc.

quaeso, est caritas? Christus ait: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* [118] Nunc autem diluvium iniquitatis videmus: ubi est arca Noe, quae nonnisi caritas esse potest, in qua salvantur paucissimi illi qui salvandi sunt? [119] Si caritas, fratres, unica est salutis via et nemo nisi per hanc salvari potest, timeo quod nostrum quam paucissimi salvabuntur. Nam si duae sint viae, altera ad orientem pergens et altera ad occidentem, omnes autem per eam ambulent quae pergit versus occidentem, quisnam erit qui ad orientalem plagam perveniet? Qui per orientalem viam pergit.

118) Mt 24, 12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Abundavit.*
119) Cf. Gn 7, 1 sqq.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, etc. [1]

Hoc miraculo Christus verum Deum se ostendit.

I. Habemus in hodierno Evangelio decem leprosos magno miraculo mundatos a Christo multoque maiori quam Naaman syrus mundatus fuit ab Eliseo propheta, abluendo se septies in aquis Iordanis. [2] Ostendit se Christus hodie tanto maiorem Eliseo quanto Deus maior est homine et quod revera erat Eliseus, idest p o t e n s s a l v a t o r, d i v i n u s s a l v a t o r, D e u s s a l v a t o r, [3] nam decem simul leprosos absens corpore, solo voluntatis nutu, a lepra curavit, incurabili morbo, quod solius divinae est potestatis in ictu oculi, solo voluntatis nutu ab incurabili morbo curare et sanitatem perfectam corpori et animae conferre.

Decem mysteria consideranda nobis proponuntur in hoc Evangelio.

Multa autem sunt quae in sacrosancto hoc Evangelio consideranda nobis se offerunt. Primum est Christi peregrinatio: *Cum iret in Ierusalem*, quae coelestem patriam anagogice significat: *Illa autem quae sursum est Ierusalem, quae est mater nostra, libera est.* [4] Secundum est lepra peccati, lepra enim peccatum significat: hinc leprosos mittit Christus non ad medicos, sed ad sacerdotes, [5] ubi significatur omnes homines lepra hac esse infectos, ut P a u l u s ait: *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei;* [6] et iterum: *Concludit . . . omnia*, idest omnes homines, *sub peccato.* [7] Sic sunt decem leprosi, numerus enim denarius, qui sphaera numerorum est, universitatem significat. Tertium

1) Pericope huius diei Lc 17, 11-19. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 3) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 4) Gal 4, 26. Vulg.: *Libera est quae est mater nostra.* 5) Cf. Lc 17, 14. 6) Rom 3, 23. 7) Gal 3, 22. Vulg.: *Conclusit.*

est virtus et efficacia orationis humilis et fidelis: *Iesu praeceptor, miserere nostri.* [8] Statim enim a Christo fonte misericordiae meruit gratiosissime exaudiri. Quartum est dignitas et potestas sacerdotalis ad curandam lepram peccati: *Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.* [9] Quintum est mysterium iustificationis et sanctificationis: *Et factum est dum irent, mundati sunt.* [10] Sextum est gratiarum actio pro accepto beneficio: *Unus autem ex eis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* [11] Septimum est quod propter ingratitudinem, quae exiccat fontem divinae misericordiae, multi damnantur et paucissimi sunt qui salvantur: *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* [12] Octavum est quod semper quaerenda nobis est gloria Dei: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena;* [13] non enim Christus gloriam suam, sed Dei Patris quaesivit ex opere talis tantique miraculi. Nonum, consideratio divinae tum misericordiae cum iustitiae erga hos decem, quia eos Christus misericordissime sanavit, sed postea ob ingratitudinem iustissime damnavit. Et tandem decimum, quod fides viva et vera causa est salutis perpetuae: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.* [14]

Haec consideratio deservit ad purificandam conscientiam, illuminandam mentem et pascendum animum.

Resplendent in hoc sacro Evangelio decem ista mysteria, sicut in templo Salomonis decem aurea candelabra, et sunt veluti decem aureae mensae in eodem templo ac decem luteres sive decem conchae aeneae ad fundendas aquas pro lavandis hostiis. [15] Consideratio enim uniuscuiusque horum mysteriorum ad tria deservit: ad purificandam conscientiam: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis;* [16] ad illuminandam mentem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis,* [17] et ad cibandum animum *pane vitae et intellectus.* [18]

Ostendit hodiernum Evangelium principium, media et finem salutis.

Possemus verba facere de gratia praeveniente, nam praevenit Christus hos leprosos: *Cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei;* sic divina misericordia semper nos praevenit: *Quoniam ipse prior dilexit nos.* [19] Possemus etiam tractare de mysterio praedestinationis et praescientiae, cum hic videamus novem iudaeos

8) Lc 17, 13. 9) Ibid. vr. 14. 10) Ibid. 11) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Ex illis*, etc.
12) Ibid. vr. 17. 13) Ibid. vr. 18. 14) Ibid. vr. 19. 15) Cf. 2 Par 4, 6-20.
16) Is 1, 16. 17) Ps 118, 105. 18) Eccli 15, 3. 19) 1 Io 4, 10.

praescitos, unum autem samaritanum praedestinatum; tractare de mediis et finibus praedestinationis et praescientiae, quae sunt gratia et gloria, peccatum et poena: *Fides tua te salvum fecit.* Sic agere possemus de principio, medio et fine salutis nostrae. Sed immensum mare infinitumque oceanum sulcandum sumeremus.

sed nunc tantum de mediis agetur.

Operae pretium duximus ut tractemus solum de mediis, quae necessaria sunt ad aeternam salutem consequendam, nam si quis salvatur, propterea salvatur quia per viam salutis incessit, et si quis damnatur, ideo damnatur quia incessit per viam perditionis. Hic enim videtur principalis scopus hodierni Evangelii, ostendere quod paucissimi sunt qui salvantur quodque maxima hominum pars sua culpa damnatur: *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Quibus verbis ostenditur quod voluisset quidem Christus salvare omnes una cum samaritano, sed quod maxima pars sua culpa periere.

Causa damnationis non est voluntas Dei, sed peccatum,

II. Ne putetis Deum esse causam damnationis nostrae damnarique hominem quoniam Deus voluit eum damnare. Haec enim impiissima blasphemia esset, nam Deus ait per Ezechielem: *Nunquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus... et non* magis *ut convertatur... et vivat?* [20] *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus... revertimini et vivite.* [21] Non igitur Dei voluntas, sed peccatum et iniquitas causa damnationis est. Si princeps optimus reum aliquem ob scelera damnat ad ultimum supplicium, causa damnationis huius non est mala principis voluntas, quae esset si ex odio et inimicitia illum occideret; sed est delictum morte dignum secundum leges.

sicut declaratur per Ieremiam, Ezechielem

Hoc est quod Deus per Ieremiam ait: *Repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et... regno, ut aedificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei.* [22] Hoc item quod ait per Ezechielem: *Si dixero iusto quod vita vivat,*

20) 18, 23. 21) Ibid. vr. 32. 22) 18, 7-10.

et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, ut facere solent qui apud principes magnam gratiam invenere, confisi enim in principum favore multa mala faciunt, *omnes iustitiae eius oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo feceritque iudicium et iustitiam... vita vivet et non morietur.* [23]

et Regium Vatem,

Hoc est quod Regius Vates ait: *Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris... cum electo electus eris et cum perverso perverteris; quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis,* [24] hoc est gerit se nobiscum Deus sicut rex optimus cum fidelibus servis bene se gerit, sed cum rebellibus et proditoribus non ita illis bene, his male agit: *Reddes unicuique secundum opera sua.* [25] Sic ostendit quod sola iniquitas sine poenitentia causa est perditionis nostrae, sicut si quis ob debita mittitur in carcerem principis aut iudicis sententia ad instantiam creditoris, causa carceris non est voluntas principis, sed debitum; si enim solvisset, nequaquam ivisset in carcerem, etiamsi a iudice lata esset carcerationis sententia quoadusque solveret debitum universum. Si igitur quisquis damnatur, propterea damnatur quia per viam perditionis incessit, non per viam salutis, quia sprevit media ad salutem necessaria.

quisque enim damnatur quia sprevit media ad salutem necessaria.

Multa assignantur media salutis in S. Scriptura,

III. Multa autem sunt quae in Divinis Scripturis assignantur media salutis. Primo quidem divina praecepta: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [26] praecipue vero duo caritatis praecepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... et proximum tuum sicut teipsum... Hoc fac et vives,* [27] et vitam aeternam possidebis. Hinc Paulus caritatem dixit viam excellentiorem: *Aemulamini... charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* [28] Media sunt dona Spiritus Sancti: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini;* [29] Paulus autem ait: *Si... spiritu facta carnis mortificaveritis, vi-*

23) 33, 13-15. 24) Ps 17, 26-28. 25) Ps 61, 13. Vulg.: *Iuxta opera sua.*
26) Mt 19, 17. 27) Lc 10, 27-28. 28) 1 Cor 12, 31. 29) Is 11, 2-3.

vetis.[30] Media sunt beatitudines evangelicae: *Beati pauperes spiritu... beati mites... beati misericordes... beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.... beati qui lugent... beati mundo corde... beati pacifici.... beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[31] Tandem virtutes omnes salutis media sunt. Sed Christus hodie ad unum omnia reducit dicens: *Fides tua te salvum fecit.*

sed Christus hodie ad unum omnia reducit.

In Lege Moysi data fuerunt sexcenta et tredecim praecepta,[32] magna profecto et gravis admodum sarcina; sed David Divino Spiritu afflatus reduxit omnia ad undecim *Psalmo 14* dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo* et *non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. Qui iurat proximo suo et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit. Qui facit haec non commovebitur in aeternum.*[33] Isaias capite 33 reduxit omnia ad sex dicens: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis et loquitur veritatem; qui proicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis* eius *datus est ei, aquae eius fideles sunt; regem in decore suo videbunt oculi eius.*[34] Regius Vates rursus ad quattuor reduxit *Psalmo 23: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo; hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.*[35] Michaeas reduxit omnia ad tria dicens: *Indicabo tibi, o homo, quid bonum sit et quid Dominus requirat a te; utique facere iudicium*

Multa praecepta data fuerunt in Lege Moysi et in Prophetis;

30) Rom 8, 13. 31) Mt 5, 3-10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 32) *Talmud Babyl.*, *Makkoth*, f. 23ᵇ; Moses ben Maimon *Liber Praeceptorum*, apud Blas. Ugolinum *Thesaurum Antiquitatum Sacrarum*, t. 8, col. 695-696; Io. Buxtorfius *De Synagoga Iudaica*, cp. 3, ibid. t. 4, col. 771-773. 33) Vrr. 1 sqq. Vulg.: *Non movebitur*, etc. 34) Vrr. 14-17. Vulg.: *Ei datus est.* 35) Vrr. 3-5.

et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.[36] Isaias rursus capite 56 reduxit omnia ad duo dicens: *Custodite iudicium et facite iustitiam, quia prope est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur. Beatus homo qui facit hoc et filius hominis qui apprehendet istud.*[37]

At vero Dominus ad unum reducit omnia dicens: *Fides tua te salvum fecit;* sic et Habacuc propheta ait: *Iustus ex fide vivit.*[38] Nec semel tantum Dominus docuit fidem esse unicam viam salutis, sed saepe. Si enim Bartimeum caecum in Iericho illuminavit: *Fides,* inquit, *te salvum fecit;*[39] si mulierem a fluxu sanguinis sanavit, similiter ait: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit;*[40] si Magdalenam sanctificavit: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*[41] Fidem centurionis commendavit,[42] fidem chananitidis;[43] fidei semper omnia accepto tulit. Sic saepe alias clarissimis et apertissimis verbis fidem statuit causam aeternae salutis: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;*[44] *Qui credit in ipsum non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus est;*[45] *Beati qui non viderunt et crediderunt.*[46]

at Dominus docet fidem unicam esse viam salutis.

Et Divinae quidem Scripturae fidei tribuunt omnia bona. Iustificationem: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam;*[47] hinc Divus Paulus *ad Romanos*[48] et *ad Galatas*[49] probat quod ex fide iustificatur homo; sic Divus Petrus *Actis* 15: *Fide purificans corda eorum.*[50] Fidei victoriam tentationum: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;*[51] *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam;*[52] *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.*[53] Fidei praedicationem Evangelii, operationem miraculorum et omnia bona; hinc Paulus ait quod fides est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium,*[54] idest fundamentum omnium bonorum. Sic tandem Chri-

Et quidem Scriptura fidei tribuit omnia bona.

36) 6, 8. Vulg.: *Quid sit bonum,* etc. 37) Vrr. 1-2. Vulg.: *Iuxta est salus... Beatus vir... apprehendet illud.* 38) 2, 4. Refert ex Gal 3, 11. 39) Mc 10, 52.
40) Mt 9, 22; Lc 8, 48. 41) Lc 7, 50. 42) Cf. Mt 8, 10-13. 43) Cf. ibid. 15, 28.
44) Io 3, 15-16. 45) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Qui credit in eum,* etc. 46) Ibid. 20, 29.
47) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6. 48) Cf. 3, 28; 4, 1 sqq. 49) Cf. 2, 16; 3, 2-12.
50) Vr. 9. 51) Eph 6, 16. 52) 1 Tim 6, 12. 53) 2 Tim 4, 7-8.
54) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc.

stus in die ascensionis suae in coelum dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* [55] Hoc est igitur: *Fides tua te salvum fecit : fides tua* te mundavit a lepra, quod est iustificationis mysterium; *fides tua* dignam fecit orationem tuam ut a me exaudiretur; *fides tua* te Deo gratum reddidit, ut, accepto beneficio salutis, redires gratias agens, magnificans et glorificans Deum: *Fides tua te salvum fecit.*

Hodiernum Evangelium bonum et laetissimum nuncium est, hinc enim fideles omnes et catholici magnam concipiunt spem salutis, quoniam omnes fidem per gratiam Dei habemus, omnes in Christum credimus.

Ex decem leprosis unus tantum salvatur, ad innuendum mysterium.

IV. Sed quidnam, quaeso, est, fratres, quod hodie ex decem fidelibus novem perierunt et unus tantum salvatus est? Omnes isti decem leprosi crediderunt in Christum, nisi enim credidissent, non clamassent ad eum: *Iesu praeceptor, miserere nostri,* non obedissent ei cum misit eos ad sacerdotes: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,* nec mundati essent a lepra, et tamen *factum est dum irent, mundati sunt.* Imo non vulgaris, sed magna cernitur horum fides, quod constat ex ipsorum sollicitudine, ex oratione, ex obedientia. Ex sollicitudine quidem, nam mox ut, deferente fama, audierunt Christi transitum – *fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi,* [56] – non dixerunt: Scimus quod magna caritate infinitaque misericordia praeditus est, nec eum nostra latet infirmitas; veniet igitur ipse ad curandum nos; sed sollicite surrexerunt ut obviarent Christo salutisque occasionem nacti, prudenter optimeque ea usi sunt, nam

Omnes isti fidem habebant veram, vivam et magnam.

« Fronte capilluto, post haec occasio calva ». [57]

Dum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei ; [58] si minimum quid tardassent, opportunam hanc salutis occasionem amisissent. Si enim Christus castellum ingressus fuisset, occasionem utique amisissent, nam non poterant ipsi, [59] lege divina vetiti, castellum ingredi ut ad Christum venirent; leprosi enim tunc arcebantur ab hominum conversatione ne alios leprae contagio inficerent, [60] sicut nunc ar-

55) Mc 16, 16. 56) Rom 10, 17. 57) Cato Dionysius *Carmen De Moribus,* vr. 142: « Fronte capillata, post est occasio calva ». 58) Lc 17, 12. Vulg.: *Dum ingrederetur.* 59) Ms.: *Ipse.* - 60) Cf. Nm 5, 2-3.

centur peste infecti. Fides igitur eos sollicitos, vigiles prudentesque effecit ad procurandam propriam salutem a Christo

Erat ergo fides vera, viva, efficax et magna valde, quod oratio multo magis manifestat. Fuit enim oratio efficacissima ad movendam Christi misericordiam et ad convertendos ad se oculos divinae pietatis: *Iesu praeceptor, miserere nostri;* fuit oratio humilis, quia ob reverentiam steterunt a longe; fuit fervida, quia ob ardens salutis desiderium levaverunt vocem dicentes: *Iesu praeceptor, miserere nostri;* fuit plena magna fiducia, non enim oraverunt sicut alius ille leprosus, qui procidens ad pedes Christi dixit: *Domine, si vis, potes me mundare,* [61] ubi nonnihil dubitare visus est de Christi voluntate, bonitate et caritate, etsi nihil de potentia dubitaret; isti vero minime aut de potentia aut de voluntate dubitant, sed confidenter dicunt: *Iesu praeceptor, miserere nostri;* nonnisi misericordiam petunt, certissime credentes quod sola animi miseratione et voluntatis nutu posset eos omnes curare.

sicut cernitur ex eorum oratione humili, fervida et plena magna fiducia,

Vocant autem praeceptorem, idest Messiam, nam hoc speciali nomine Messias in Divinis Litteris appellatur. Sic enim Isaias 30 ait: *Non faciet avolare a te ... doctorem tuum et oculi tui erunt videntes praeceptorem tuum;* [62] et capite 55: *Ecce testem ... dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* [63] Vel praeceptor dicitur a praecipiendo et imperando, Christus enim non solum ventis et mari praecipiebat, sed etiam daemonibus, morbis et morti: *Ventis et mari imperat;* [64] *Imperavit febri;* [65] *Puella, surge;* [66] *Adolescens, tibi dico, surge;* [67] *Lazare, veni foras.* [68]

Tandem fidei magnitudinem ostendit obedientia prompta: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent.* Non enim vulgaris haec obedientia fuit. Nam duplici ex causa leprosi tenebantur adire sacerdotes: prima est ut illi iudicarent de lepra, an vere lepra esset necne, an esset curata vere necne; altera ut, curationis beneficio accepto, sacrificia Deo offerrent et hominem declararent vere mundatum, ut sic conversari liceret et cum aliis in civitate vivere. Isti autem antequam curarentur missi sunt ad sacerdotes, sicut

et ex eorum prompta obedientia,

61) Mt 8, 2; Mc 1, 40; Lc 5, 12. 62) Vr. 20. Vulg.: *Et erunt oculi tui,* etc.
63) Vr. 4. 64) Lc 8, 25. 65) Ibid. 4, 39. 66) Mc 5, 41; Lc 8, 54.
67) Lc 7, 14. 68) Io 11, 43.

Naaman syrus ab Eliseo missus fuit ad Iordanem; quam quidem missionem indigne tulit Naaman iratusque *recedebat dicens: Putabam quod egrederetur ad me et stans invocaret nomen Domini Dei sui et tangeret manu sua locum leprae et curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder?* [69] Leprosi autem hodierni non sic, sed prompte et simpliciter parent. Non dicunt: Ad quid ire ad sacerdotes? Si ut iudicent de lepra, iam iudicati sumus ab eis leprosi; si autem ut offerant pro emundatione nostra sacrificia, nos adhuc leprosi sumus sicut prius. Nihil autem horum dicunt, sed captivantes *intellectum in obsequium Christi,* [70] prompto animo obtemperant, sicque credentes et obedientes Christo, *dum irent mundati sunt.* Quare prompta haec et simplex obedientia ex animo ostendit magnitudinem fidei non vulgarem. Fuerunt igitur omnes decem magna fide in Christum credentes et ob fidei magnitudinem a lepra miraculo mundati.

simpliciter enim paruerunt praecepto eundi ad sacerdotes;

Et tamen ex decem hisce, non infidelibus sed fidelibus, unus tantum salvatus est, novem autem perierunt damnatique sunt. Non ergo omnis fides sufficiens est et efficax ad salutem conferendam, sed fides samaritani: *Surge, vade, fides tua te salvum fecit.* Ad salutem igitur requiritur fides, at non qualiscunque, sed viva, non mortua, non ficta. Cum enim dicitur quod homo factus est *ad imaginem et similitudinem Dei,* [71] quod est animal rationale, quod est μικρόκοσμος, compendium et ἀνακεφαλαίωσις [72] totius universi, intelligitur utique homo vivus, non mortuus, aut pictus vel fictus. In Divinis autem Litteris reperimus fidem vivam, fidem mortuam et fidem fictam. Fidem vivam docet Apostolus *ad Galatas: In Christo* enim *Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur:* [73] Quae ergo per caritatem non operatur, nihil valet, sicut nec circumcisio, quoniam mortua est. Homo autem mortuus quid valet? *Sicut ... corpus sine spiritu mortuum est, ita ... fides sine operibus mortua est,* inquit Divus Iacobus frater Domini. [74] Legimus autem etiam fictam fidem, nam ait idem apostolus Paulus: *Caritas est de corde puro et conscientia bona et*

et tamen ex decem unus salvatur, quia non quaelibet fides sufficit ad salutem, sed fides viva et vera,

quae per caritatem operatur.

69) 4 Rg 5, 11-12. 70) 2 Cor 10, 5. 71) Gn 1, 26-27. 72) Ms.: *Microcosmos* et: *Anachephaleosis.* 73) 5, 6. 74) 2, 26.

fide non ficta,[75] qualis erat fides pseudoapostolorum et pseudoprophetarum, qualis nunc est haereticorum, qui sub ovili pelle *sunt lupi rapaces.*[76] Ficta autem fides aut mortua neminem potest salvare, sed tantum viva, qualis fuit fides huius samaritani.

Quoniam igitur haec fides est unica via salutis, scala coeli et porta paradisi, hanc, quaeso, contemplemur paulo oculatius.

Haec est unica via salutis.

V. Primo, haec fides coniuncta fuit cum vero et efficaci salutis sanitatisque desiderio, cupiens enim mundari a lepra venit ad Christum, hoc enim salutis initium est, efficax desiderium; secundo, coniuncta cum magna prudentia et sollicitudine, venit enim ad Christum opportuno loco et tempore: *Cum ingrederetur . . . castellum;* tertio, cum ferventi oratione: *Iesu praeceptor, miserere nostri;* quarto, cum obedientia: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent,* sicut cum nauclerus ministro navis aliquid mandat, respondet ille statim: factum est, sic prompte hic Christo obedivit; quinto, cum magna animi gratitudine, cum cognitione accepti beneficii et benefactoris recognitione: Cum *vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem* suam *ante pedes eius gratias agens;*[77] sexto, magna cum pietate et devotione erga Deum: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo;*[78] septimo tandem, cum finali perseverantia: *Fides tua te salvum fecit,* quia perseverasti in fide viva. Alii vero ob defectum perseverantiae minime salvi facti sunt: *Qui . . . perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*[79]

Dantur signa huius fidei.

Cum igitur ait: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace,*[80] intelligendum est de perfecta fide, vera et viva, sicut cum dicitur quod aurum est metallum summi valoris, intelligitur de auro vero, bono, naturali, non de ficto et adulterino. Ob huius fidei defectum multi fidelium pereunt et paucissimi sunt qui salvantur, ex decem vix salvatur unus.

Ob defectum fidei vivae et verae paucissimi salvantur.

VI. Petierunt vice quadam a Christo Apostoli dicentes: *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Quibus Dominus ait: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non*

75) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *Est caritas,* etc. 76) Mt 7, 15. 77) Lc 17, 15-16.
78) Ibid. vr. 18. 79) Mt 10, 22; 24, 13. 80) Lc 7, 50; 8, 48.

Hoc Dominus ipse pluries docuit in Evangelio.

poterunt, Luca 13;[81] sic etiam Matthaeo 7 ait: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam et pauci sunt qui inveniunt eam!*[82] Vult quidem Deus, ut Paulus ait, *omnes homines... salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire*,[83] et cupiens Deus salvare omnes neminemque perire volens, creavit paradisum in supremo maximo coelo, infinitae prope magnitudinis, infernum vero in centro terrae angusto loco posuit;[84] multo tamen maior[85] erit numerus damnatorum quam salvatorum, multo plura vasa irae quam vasa misericordiae[86] et gratiae. Magnus quidem erit numerus electorum, propterea stellis coeli innumerabilibus comparantur, et Ioannes in *Apocalypsi* ait, post enumeratos centum quadraginta quattuor [millia] electos signatosque ex duodecim tribubus Israel:[87] *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis;*[88] at vero in comparatione damnatorum paucissimi erunt electi, sicut pauci sunt lapides pretiosi in comparatione lapidum vilium et communium; hinc Christus ait quod *multi... sunt vocati, pauci vero electi.*[89] Sic igitur Christus quaestioni illi respondit, quod *pauci sunt qui salvantur.*

Isaias quoque appositis similitudinibus

Sic etiam Isaias 17 ait: *Et erit sicut congregans in messe quod restiterit et brachium eius spicas leget; et erit sicut spicas legens in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio oleae duarum aut trium olivarum in summitate rami, sive quattuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel. In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum et oculi eius ad sanctum Israel respicient;*[90] et capite 24 idem Vates: *Erunt in medio terrae, in medio populorum quomodo si paucae olivae quae remanserunt excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus.*[91] Sic Vates iste sanctissimus, Divino Spiritu afflatus, docet appositissimis similitudinibus spicarum post messem, race-

81) Vrr. 23-24. 82) Vrr. 13-14. 83) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Veritatis venire.*
84) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum*, pag. 277, not. 49. 85) Ms.: *Minor loco: Maior.* 86) Cf. Rom 9, 22-23. 87) Cf. 7, 4. 88) Ibid. vr. 9.
89) Mt 20, 16; 22, 14. 90) Vrr. 5-7. Vulg.: *Quarens spicas in valle*, etc.
91) Vrr. 13-14.

morum post vindemiam et olivarum post excussionem oleae, quod paucissimi salvabuntur.

Quod quidem idem Vates capite 10 apertis verbis docet: *Si . . . fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo,* [92] hoc est, ut interpretatur Apostolus *Romanis, reliquiae salvae fient.* [93]

et apertis verbis;

Hoc ipsum docet Ieremias: *Assumam vos unum de civitate et duos de cognatione et introducam vos in Sion.* [94] Idipsum per Ezechielem capite 5 Dominus ostendit; Vati enim ait: *Fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos et assumes eum et duces per caput tuum et per barbam tuam; et assumes tibi stateram ponderis et divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis iuxta completionem dierum obsidionis; et assumes tertiam partem et concides gladio in circuitu eius, tertiam vero partem disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. Et sumes. . . parvum numerum* ex eis *et ligabis eos in summitate pallii tui, et ex eis rursum tolles et proicies eos in medio ignis et combures eos igni.* [95] Declarat autem postea quod tertia pars populi peritura erat fame et peste, tertia igne et tertia gladio, ita ut paucissimi salvi fiant. [96]

ita Ieremias, Ezechiel

Et per Amos hoc ipsum appositissima similitudine Deus docet: *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculae, sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria.* [97] Quid enim est hoc nisi quod paucissimi salvandi sunt de ore diaboli, qui tanquam *leo rugiens circuit quaerens quem devoret?* [98] Salvanda autem dicit crura et aures, hoc est *qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* [99]

et Amos.

. . .

Sic in diebus Noe a diluvio ex universo mundo octo tantum homines salvati fuerunt, [100] et ab incendio universae Pentapolis tres tantum, Loth cum duabus filiis; [101] ex sexcentis millibus Hebraeorum, qui egressi sunt de Aegypto, vocante et operante Deo, [102] tantum duo viri, Iosue et Caleb, ingressi sunt terram promissionis; [103] ex civitate Iericho una tantum domus Rahab salvata fuit. [104] *Haec autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem* propter nos,

Sic multi damnantur quia pauci sunt qui salvari volunt.

92) Vr. 22. 93) 9, 27. 94) 3, 14. 95) Vrr. 1-4. Vulg.: *Tertiam vere aliam disperges*, etc. 96) Cf. ibid. vr. 12. 97) 3, 12. 98) 1 Petr 5, 8. 99) Lc 11, 28. 100) Cf. Gn 7, 1 sqq.; 1 Petr 3, 20. 101) Cf. Gn 19, 15-30. 102) Cf. Ex 12, 37. 103) Cf. Nm 14, 21-38; Dt 1, 29-38. 104) Cf. Ios 6, 23.

in quos fines saeculorum devenerunt.[105] Sic multi pereunt non Dei voluntate, sed sua culpa: *Perditio tua, Israel, tantum in me auxilium tuum.*[106] Sic novem isti leprosi non Christi voluntate, sed sua periere culpa.

Samaritanus iste exemplar est omnium qui salutem consequi volunt.

Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.[107] Conqueritur Dominus de illorum ingratitudine ac proptera periisse ostendit. Quaerit autem: *Et novem ubi sunt?* quoniam, ut hoc loco Beda[108] et Haymo[109] dicunt, cognoscere Dei eligere est; hinc Moysi ait: *Novi te ex nomine;*[110] non cognoscere autem reprobare, propterea in die iudicii multis dicet: *Amen dico vobis, nescio vos.*[111] Samaritanus autem bene cognitus Christo fuit: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Hic veluti figura et exemplar est omnium qui salutem sunt consecuturi, necesse est enim ut quisquis salvari vult, sit cum homine isto mundatus a lepra, sit fidelis, sit obediens Christo, sit samaritanus, quod est custos sive observator,[112] ut divinam legem servet, sit Deo[113] gratus, verus Dei cultor *in spiritu et veritate.*[114]

Significatur in hodierno Evangelio conversio futura multorum ad fidem, sed salus paucorum,

VII. Est autem sciendum quod hodiernum hoc Christi iter, quo in Ierusalem perrexit, ultimum fuit iter a Galilaea in Iudaeam, iter quo Christus perrexit ad passionem et mortem pro salute humani generis sustinendam. In hodierno autem Evangelio ostenditur fructus passionis et mortis ipsius, quod multi infideles et peccatores per praedicationem Evangelii ad fidem conversi, venturi erant ad eum, pauci tamen salvandi erant: *Multi . . . sunt vocati, pauci vero electi,* quamvis Christi meritum infinitum sit. Hoc enim est iter facere in Ierusalem, in civitatem gloriae, ad visionem pacis[115] per Samariam et Galilaeam; Samaria enim observantia interpretatur, Galilaea autem circulatio, circulus autem et sphaera perfectissimae sunt omnium figurarum. Designatur ergo per Samariam et Galilaeam perfectissima observantia mandatorum Dei.

105) 1 Cor 10, 11. 106) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me*, etc. 107) Lc 17, 17-18. 108) *Expositio in Evang. Lucae*, lib. 5, (P. L. 92, 544). 109) Hom. 126, ibid. 118, 679. 110) Ex 33, 12. 111) Mt 25, 12. 112) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 113) Ms.: *Deus*. 114) Io 4, 23. 115) Sic *Ierusalem* interpretatur.

Hinc in *Canticis* legimus: *Manus eius tornatiles aureae, plenae hyacinthis.* [116] Quidnam est: *Manus eius tornatiles*, idest circulares, sphaericae? Hoc est: opera eius perfectissima summique valoris, propterea aureae et plenae lapidibus pretiosis, *Dei* nanque *perfecta sunt opera et omnes viae eius iudicia.* [117] Sic merita Christi apud Deum Patrem infinita sunt ob summam perfectionem operum, virtutum et caritatis Christi. Et tamen nostra culpa paucissimi sunt qui salvantur, quoniam nos ipsi salvari minime volumus. Sic enim ait: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* [118] Damnamur cum novem istis leprosis propter ingratitudinem nostram erga Deum. Hinc ipse conqueritur de nobis per Isaiam dicens: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit.* [119] Quoniam vero ingratitudo causa est omnium peccatorum, subiungit: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum... addentes praevaricationem. Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta,* etc. [120]

quamvis merita Christi sint infiniti valoris.

Multi damnantur ob ingratitudinem erga Deum.

Ab ingrato animo, beneficiorum Dei nihili memore, omnia oriuntur mala; hinc apud Lucam legimus: *Eritis filii Altissimi*, qui *benignus est super ingratos et malos:* [121] prius dixit *ingratos* et postea *malos;* quia ingrati, [121*] propterea mali sunt; quia ingrati et immemores beneficiorum Dei. Et pessimum genus ingratitudinis omne peccatum est, cum benefactori redduntur mala pro bonis et ipsismet beneficiis tanquam armis benefactorem impetimus. Neque enim peccare possumus nisi divinis beneficiis abutendo; omne autem peccatum contra Deum est: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* [122] Propterea Deus acerrimo odio peccatum prosequitur, nam nemo est qui ingratitudinem animi non magna cum animi displicentia sentiat; et ob hanc causam sicut Deus semper liberalissimum se exhibuit in beneficiis conferendis tanquam perennem et inexhaustum fontem solemque qui nunquam vere

Peccatum est pessimum genus ingratitudinis, propterea Deus acerrime odit peccatum,

116) 5, 14. Vulg.: *Manus illius*, etc. 117) Dt 32, 4. 118) Mt 23, 37-38. 119) 1, 2-3. 120) Ibid. vrr. 4-6. 121) 6, 35. 121*) Ms.: *Mali.* 122) Ps 50, 6.

exigit autem perpetuam beneficiorum suorum memoriam.

luminis deliquium eclipsimque patitur, strictissimum tamen se ostendit et diligentissimum in exigenda a nobis perpetua memoria, semper viridi collatorum beneficiorum. Propterea cum pluisset dilectis suis manna de coelo, iussit ad perpetuam rei memoriam vas plenum eo in perpetuum asservari;[123] propterea iussit quotannis celebrari festa legalia in memoriam beneficiorum ipsius.[124]

Caveamus igitur ab ingratitudinis nota, ne nos iure ingratitudinis arguere possit et iustam contra nos ferat damnationis sententiam, quoniam propterea multi damnantur: *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?*

Cum magno timore salutem nostram operari debemus,

VIII. Fratres mei, si certo certius constaret nobis ex Divinis Litteris quod quam paucissimi damnandi sint, vix unus aut duo per singulas generationes hominum, aetates et saecula, quisque tamen nostrum magno cum timore et tremore deberet propriam salutem operari et per bona opera satagere ut certam suam vocationem et electionem faceret,[125] sciens quod supra caput suum posset cadere fulmen divinae irae. Sic enim legimus quod, cum Christus dixisset Apostolis: *Unus vestrum me traditurus est*, coeperunt singuli dicere magno timore perculsi: *Nunquid ego sum, Domine?*[126] Quid igitur faciendum nobis est, cum sciamus quod vix salvatur unus ex decem? et quod sicut ex duodecim exploratoribus decem damnati fuere et duo tantum salvi,[127] sic maxima hominum pars aeterna damnatione perit? cum sciamus quod nullus est vitae status adeo securus in quo non possit homo periclitari? Ex septem Diaconibus Spiritu Sancto plenis periit unus, Nicolaus;[128] Iudas in apostolatu potuit perire,[129] Adam in paradiso terrestri,[130] Lucifer cum innumeris Angelis in coelesti.[131]

quia nullus est vitae status securus salutis.

Apud L u c a m statim post lectionem hodierni Evangelii sequitur sermo de finali iudicio, ubi Dominus ait quod sicut accidit in diebus

123) Cf. Ex 16, 33. 124) Cf. Lv 23, 1-43. 125) Cf. 2 Petr 1, 10.
126) Mt 26, 21-22. 127) Cf. Nm 14, 36-38. 128) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 26, (P. G. 7, 687); S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 25, ibid. 41, 319-322; Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 46, (P. L. 2, 62); S. Hilarius *Comment. in Matthaeum*, ibid. 9, 1053; S. Hieronymus *Adversus Luciferianos*, ibid. 23, 178; S. Augustinus *De Haeresibus ad Quodvulldeum*, haer. 5, ibid. 42, 26. 129) Cf. Io 17, 12.
130) Cf. Gn 3, 6. 131) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; Apc 12, 3-4.

Noe in diluvio et in diebus Loth in combustione Pentapolis, sic erit in die iudicii, hoc est paucissimi salvabuntur. Hinc ait quod diluvium omnes perdidit et similiter ignis qui de coelo descendit perdidit omnes,[132] et sequitur quod *duo erunt in lecto uno: unus assumetur et alter relinquetur; duae ... molentes in unum: una assumetur et una relinquetur; duo in agro* uno: *unus assumetur et unus relinquetur;*[133] hoc est ex omni hominum genere, ex quovis personarum statu, conditione et sexu multi damnandi sunt.

De hoc Dominus ipse nos monet;

Cum igitur ita sese res habeat, quid est, fratres, quod in utranque aurem dormimus,[134] quasi de salute nostra securi et certi? An putamus Christum iocari et non serio loqui? Vel forte cum Deo iocari volumus? Sed *Deus non irridetur; quae enim seminaverit homo, haec et metet ... Qui seminat in carne ... de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*[135]

et tamen quasi securi de salute nostra dormimus!

IX. In hodierno Evangelio duplex assignatur causa perditionis: altera quidem manifesta, haec autem lepra peccati est, quae hominem privat communione Sanctorum et, omni dubio procul, a regno coelorum excludit; significat autem lepra peccatum commissionis, perpetratum aliquod malum ex avaritia, luxuria vel superbia; altera vero causa occulta est ob quam novem hi a lepra mundati nihilominus damnati sunt; hoc autem est peccatum omissionis, defectus virtutum et bonorum operum. Damnati hi sunt propter ingratitudinem, quia, accepto beneficio, non sunt reversi ad glorificandum Deum et ad gratias agendas Christo. Sic ex caritatis defectu innumeri sunt qui damnantur, quamvis mundati sint a lepra patentium vitiorum et abstineant a manifestis peccatis et malis operibus, sicut Lucas ante lectionem hodierni Evangelii, capite, inquam, 16, ostendit damnationem divitis illius epulonis ob defectum caritatis in Lazarum mendicum.[136]

Duplex est causa perditionis: peccata manifesta et bonorum operum defectus.

132) Cf. Gn 17, 22-30. 133) Lc 17, 34-35. Vulg.: *Erunt duo... et alter relinquetur.*
134) Modus proverbialis ex Terentio *Heaut.*, act. 2, sc. 3, vr. 100. 135) Gal 6, 7-8. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Qui seminavit in carne*, etc.
136) Cf. vrr. 19 sqq.

II. ALIA HOMILIA

Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe et levaverunt, etc. [1]

Lepra in S. Scriptura peccatum significat.

I. Lepra in Divinis Scripturis procul dubio peccatum significat, propterea Christus Dominus noster leprosos ad sacerdotes misit iuxta legis praescriptum. [2] Legimus autem in *Numeris*, capite 5, divinum mandatum, ut omnis leprosus extra castra eiceretur: *Praecipe filiis Israel ut eiciant de castris omnem leprosum;* [3] quare ab omni conversatione hominum arcebantur, nec in templum nec in civitatem ingredi nisi mundati poterant, quoniam peccatum Deo nos et Sanctorum conversatione reddit indignos, privat nos communione Sanctorum. Sic etiam in *Levitico*, 13 capite, legimus: Omnibus diebus, sive *omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra.* [4] Loquitur autem ibi Divina Scriptura et sequenti capite de multiplici lepra: de lepra pellis, de lepra carnis vivae, de lepra capitis, de lepra barbae, de lepra vestis et de lepra domus. [5]

Sicut multipliciter lepra contrahitur, sic et peccatum:

II. Sed non est in praesentiarum locus haec pertractandi. Videndum nunc est quomodo contrahitur lepra haec et quomodo curatur. Legimus leprosam factam manum Moysi cum e sinu et pectore suo eam eduxit, sed sanata postmodum fuit cum in sinum eam iterum misit; [6] leprosa evasit Maria soror Moysi murmurans contra Moysen; [7] leprosus factus fuit Giezi propter avaritiam, accipiens munera a Naaman syro contra domini sui voluntatem; [8] leprosus evasit Ozias rex ob violatam religionem, quoniam usurpare sibi voluit dignitatem et potestatem sacerdotalem, ut tanquam sacerdos et pontifex incensum Deo offerret. [9] Sic contrahitur lepra operando contra conscientiam, per pectus enim conscientia designatur; hinc vulgo dicitur, cum aliquis de conscientia admonetur: admove manum pectori; cum igitur manus a pectore elongatur, dum contra conscientiam vel non secun-

operando contra conscientiam

1) Lc 17, 12-13. 2) Cf. Lv 13, 2. 3) Vr. 2. 4) Vr. 46. 5) Cf. ibid. 14, 1 sqq. 6) Cf. Ex 4, 6-8. 7) Cf. Nm 12, 10. 8) Cf. 4 Rg 5, 19 sqq. 9) Cf. 2 Par 26, 16-21.

dum conscientiam vivitur, contrahitur lepra peccati. Sic Paulus ait: *Omne... quod non est ex fide, peccatum est,*[10] idest omne opus quod non est ex fide bonae conscientiae, quod homo in conscientia sua credit non posse facere secundum iustitiam, peccatum est; qui autem facit contra conscientiam, aedificat ad gehennam. Vitia etiam omnia hominem lepra inficiunt: invidia lepra infecit Mariam sororem Moysi, invidia enim mota contra fratrem murmuravit eumque temere iudicavit;[11] avaritia infecit lepra Giezi, ambitio Oziam regem.

et vitiis indulgendo.

Erat autem lepra secundum legem adeo execrabilis, ut Ozias, mox ut conspectus fuit lepra infectus, ab Azaria pontifice et aliis sacerdotibus magno impetu a templo fuerit expulsus, quamvis rex esset, hominumque consortio privatus fuit, ita ut in domo separata habitarit omnibus diebus vitae suae usque ad mortem.

Erat lepra morbus maxime execrabilis,

Si autem omne vitium lepra nos inficit coram Deo, totus mundus leprosus est, nam *mundus totus in maligno positus est;*[12] *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae.*[13] Ecce igitur *decem viri leprosi:* denarius numerus multitudinem universitatemque significat, quoniam *omnes... peccaverunt et egent gloria Dei.*[14]

nunc autem totus mundus ob vitia leprosus est.

III. Dabantur in lege signa ad cognoscendam lepram, non autem remedia ad curandam eam; ex mutatione enim coloris in pellucentem albedinem, cum naturalis color pellis mutatur in colores pellis supra ulcus plenum putredine, et ex mutatione coloris naturalis pilorum in albedinem, ex tumore etiam et corrosione carnis sub pelle iubet lex iudicari leprosus, non tamen adhibebat remedia ad eos curandos. Hoc est quod Paulus ait, quod *per legem* est *peccati cognitio;*[15] *quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est quoniam iustus ex fide vivit;*[16] *Si enim data esset lex quae posset iustificare, vere ex lege esset iustitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato;*[17] et iterum: *Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mor-*

Lepra spiritualis curatur per fidem in Christum,

10) Rom 14, 23. 11) Cf. Nm 12, 1-2. 12) 1 Io 5, 19. 13) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est,* etc. 14) Rom 3, 23. 15) Ibid. vr. 20. Vulg.: *Cognitio peccati.* 16) Gal 3, 11. Vulg.: *Quia iustus,* etc. 17) Ibid. vrr. 21-22. Vulg.: *Quae posset vivificare,* etc.

tuus est.[18] Per fidem igitur mundantur leprosi credentes in Christum: *Fides tua te salvum fecit.*[18a]

per Sacramenta Ecclesiae, imo per ipsam contritionem perfectam.

Habemus igitur efficacissima, saluberrima, praesentissima remedia per Christum ut ab omni lepra peccati mundemur: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,*[19] habent enim sacerdotes novae legis divinam potestatem curandi omnem lepram: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*[20] Imo, videte divinam misericordiam: *Factum est dum irent, mundati sunt;*[21] nam per contritionem in virtute confessionis in proposito voluntatis iustificatur homo a peccato: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,*[22] quoniam *sacrificium Domino spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[23]

Multi sunt hac lepra infecti, quia minimi faciunt salutem animae

Ite, ostendite vos sacerdotibus, tenebantur enim legis praescripto leprosi omnem plagam leprae sacerdoti ostendere; sic Christus facillimum instituit deditque remedium ad omnem lepram curandam mundandamque: *Et factum est dum irent, mundati sunt.* At quid est quod adhuc in Ecclesia tam multi sint peccatorum et vitiorum lepra infecti? Quid est quod ubique regnat libido, avaritia, ambitio et ceterae vitiorum pestes? Quoniam a nobis, maximi cum fiat salus corporis, minimi fit salus animae; si enim tanti fieret salus animae quanti salus corporis, non minor adhiberetur diligentia ad coercendos morbos animarum quam adhibeatur dum grassatur pestis vel alius quilibet contagiosus et perniciosus morbus. Peste infecti sequestrantur magna cum diligentia extra civitatem, separatis locis longeque remotis, ne alios inficiant; qui autem perniciosissima vitiorum peste infecti sunt aliosque innumeros inficiunt, ubique libere conversantur.

et ab execrabili peste vitiorum non abhorrent.

Leprosos autem iussit Deus non solum a civitatibus et habitationibus eici et separatis in locis sequestrari longe ab habitationibus, sed etiam iussit ut induerent discissas vestes, ut capite discooperto incederent opertoque ore, ne flatu aerem inficerent et ut si hominibus occurrerent, se leprosos proclamarent, ut quisque ab infectione cavere posset.[24] Cur non sic, quaeso, morbosi peccatores, qui suo contactu alios inficiunt lepra et peste vitiorum, sua deferunt signa, quibus

18) Ibid. 2, 21. 18a) Lc 17, 19. 19) Ibid. vr. 14. 20) Io 20, 22-23. 21) Lc 17, 14. 22) Ps 50, 9. *Domine* ex Liturgia Ecclesiae. 23) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Sacrificium Deo,* etc. 24) Cf. Lv 13, 44-45.

notati ab aliis agnoscantur et fugiantur? Meretrices, lenones, malefici, maleficae et aliae huiuscemodi hominum pestes, nullis signis notati ubique pro libito morantur et conversantur nullisque notis ab honestissimis quibuscunque viris et mulieribus sunt distincti. Si quotiescunque anima infecta est lepra peccati, corpus quoque leprae morbo inficeretur, operante Deo, sicut accidit Mariae sorori Moysi, Giezi ministro Elisei et Oziae regi, multo studio satageremus nos ipsos a vitiis veluti a peste et venenis custodire.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

Nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum diliget et alterum odio habebit, aut unum sustinebit et alterum contemnet. [1]

Hodie Dominus docet impossibile esse duobus dominis servire.

I. Sicut non potuit arca Dei uno et eodem in templo simul cum Dagone deo Philisthaeorum simul commorari, sed eum prostravit in terram, capite et manibus amputatis, [2] non potuit Adam simul de ligno vitae et de arbore scientiae boni et mali gustare, [3] non potuit populus Israel Deum simul et vitulum aureum adorare [4] simulque manna coeli et farinam Aegypti in cibum habere, [5] sic Dominus hodie ait: *Nemo potest duobus dominis servire ... non potestis Deo servire et mammonae;* [6] sic Elias universo populo dixit: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus* ipse *est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* [7] Nunquam licuit ut mulier duos haberet simul maritos, nec regnum simul duos reges; « non capit, inquit Seneca, regnum duos », [8] nec mundus duos soles, nec apes volunt duos habere reges; non potuerunt Hebraei Deo simul et Pharaoni in Aegypto servire. [9]

Hoc docet etiam Paulus,

Multi vellent esse sicut Samaritani, qui Deum simul et idola gentium colebant; [10] sed Christus ait: *Non potestis Deo servire et mammonae.* Hinc Paulus *2 Corinthiis* ait: *Nolite iugum ducere cum infidelibus; quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut*

1) Pericope huius diei Mt 6, 24-33. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Unum odio habebit et alterum diliget,* etc. 2) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 3) Cf. Gn 2, 16-17. 4) Cf. Ex 32, 1 sqq. 5) Cf. ibid. 16, 2-16. 6) Mt 6, 24. 7) 3 Rg 18, 21. 8) *Thyestes,* act. 3, vr. 444. 9) Cf. Ex 5, 1-3; 8, 25-28. 10) Cf. 4 Rg 17, 32-33.

quae pars fideli cum infideli ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ?[11] Et *1 Corinthiis : Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum ; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.*[12] Hoc est quod Dominus per Sophoniam ait: *Disperdam de loco isto... eos qui adorant... et iurant in Domino et.... in Melchom,*[13] hoc est eos qui Deum simul et idola colunt.

Non potestis Deo servire et mammonae. Hoc est quod Isaias ait: *Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat et pallium breve utrunque operire non potest :*[14] hoc est sicut in lectulo, qui vix unum capit hominem, duo simul iacere et dormire non possunt et culcitra pro illo lectulo iusta mensura facta non potest operire duos, cum vix unum commode operire possit, sic, inquit, humanum cor non potest Deum capere et mammonam. Locus unus duo corpora simul capere non potest, oculus noster non potest simul altitudinem coeli et profundum abyssi videre, nec simul in occidentem et orientem uno intuitu aspicere. **hoc et Isaias.**

II. Declarandum autem nobis est quidnam Dominus per duos dominos intelligat, cum ait: *Nemo potest duobus dominis servire.* Intelligunt fere omnes per hos duos dominos Deum et diabolum,[15] et verissimum est quod nemo potest Deo et diabolo simul servire, cum sint capitalissimi inimici. Sed dicetis: Quisnam est qui velit diabolo servire? Nemo est qui non ipsum etiam nomen diaboli abhorreat et abominetur, et multi sunt qui audiendo horribile hoc nomen cruce se signant, quo signo veluti armis se muniunt. Sed *transfigurat se, satanas, in angelum lucis,*[16] venit sub larva amici et sic multos decipit multique, quamvis ab eius nomine abhorreant, vere tamen serviunt ei. Christus tamen declarando quid per duos dominos intelligat, ait: *Non potestis Deo servire et mammonae.* Per duos ergo dominos Deum et mammonam intelligit.

Per duos dominos Christus intelligit Deum et divitias.

11) 6, 14-16. 12) 10, 20-21. 13) 1, 4-5. Vulg.: *De loco hoc*, etc. 14) 28, 20.
15) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 3, cp. 8, (P. G. 7, 866); Theophylactus *Enarrat. in Matthaeum*, ibid. 123, 207; S. Hieronymus *Comment. in Matthaeum*, lib. 1, (P. L. 26, 44-45); S. Augustinus *Quaest. in Evangelia*, lib. 2, quaest. 36, ibid. 31, 1349; S. Beda *Exposit. in Matthaeum*, lib. 1, ibid. 92, 34; Rabanus Maurus *Comment. in Matthaeum* lib. 2, ibid. 107, 836; Anselmus Laudunensis *Enarrat. in Matthaeum*, ibid. 162, 1311. 16) 2 Cor 11, 14. Vulg.: *Satanas transfigurat*, etc.

Et quod Deus nostri et totius universi dominus suapte natura sit, in Divinis Scripturis manifestissimum est; et adeo est dominus cum Deus sit, quod non potest deponere et alienare a se dominationem vel dominium. Dicitur dominus a d o m o , nam dominus est, qui domi praeest, qui praeeminet et praesidet, superior et caput familias. Non potest autem Deus non esse superior omni creaturae, nec facere ut aliqua creatura non sit maiestati suae subiecta, ut non ab ipso dependeat, sicut dies et lumen coeli et terrae a sole. Hinc saepissime legimus: *Dominus Deus* quasi per singulos versus Divinae Scripturae, quoniam Deus, quatenus Deus et creator omnium, dominus est omnis creaturae, sicut pater dominus est filiorum, figulus suorum vasorum, artifex quilibet suorum operum. Dominus est omnium, non per hereditatem aut per acquisitionem aut consecutionem ex dono, sicut rex est dominus regni vel quia accepit illud per successionem hereditariam, vel quia iure belli armis acquisivit, vel quia electus et creatus est rex et veluti donata est ei corona regni, sicut cum creatur imperator ab electoribus, cum creatur Papa a Cardinalibus. At Deus est dominus rerum omnium per naturam, sicut pater dominus est filiorum suapte natura superior. Hoc est quod per M a l a c h i a m Dominus ait: *Filius honorat patrem et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ? ait Dominus exercituum.* [17] Dominum se dicit et patrem, ut ostendat dominium suum esse naturale, sicut paterna dominatio super filios. Quare sicut pater non potest non esse pater et praelatus suapte natura filiorum, sic Deus non potest non esse dominus coelorum, elementorum et omnium; et sicut sol naturaliter princeps est omnium astrorum, spiritus in corpore dominus omnium membrorum quibus dat vitam, sensum et motum, nec potest alienare a se tale dominium, sic nec Deus.

Deus dicitur Dominus quia per naturam superior est omni creaturae,

sicut pater suapte natura dominus est filiorum.

Dicitur autem in Divinis Scripturis absolute *Dominus: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, ait I s a i a s .[18] Et saepissime in Scripturis legimus sic: *Ait Dominus Deus* אֲדֹנָי יְהוִה, sive יְהוָה אֱלֹהִים,[19] quoniam unicus est Dominus,

Deus dicitur absolute *Dominus*, quia unicus est Dominus,

17) 1, 6. Vulg.: *Dicit Dominus.* 18) 6, 1. 19) Cf. ibid. 56, 8; Ez 13, 8-16; 14, 23; 16, 8. 14. 19. 23. 30. 36. 43. 48. 59. 63. Ms: *Adonani* (?) *Iehovih* et: *Iehovah Elohim.*

totius universi monarcha

totius universi monarcha, sicut unus imperator, unus Papa. Sic ait Regius Vates: *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo; quoniam ipse super maria fundavit eam et super flumina praeparavit illam;* [20] et alibi: *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti.* [21] Causam reddit quare Deus sit Dominus universi: quoniam, inquit, ipse fundavit eum. Sic Abraham, cum audisset Melchisedech dicentem: *Benedictus Abram Deo excelso qui creavit coelum et terram* [22] dixit ipse: *Levo manum meam ad ... Deum excelsum, possessorem coeli et terrae:* [23] *possessorem* dicit, quoniam creatorem audivit. Nam princeps qui palatium sibi aedificat, dominus illius est, et rex qui civitatem aedificavit, dominus eius est; sic Deus est dominus omnium, quoniam creator est omnium, *creavit* enim *coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.* [24] Sic igitur Christus hodie Deum dicit *Dominum* cui serviendum est.

et creator.

Divitias etiam Christus dominum appellat, quia homines eas tanquam deum colunt.

Alterum vero dominum *mammonam* appellat, divitias intelligens, nam ante haec verba dixerat: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in coelo.* [25] Divitias igitur Christus *dominum* appellat, nam haec est statua aurea quam omnes Babylonii et servi regis Nabuchodonosor adorant, non autem veri servi Dei; [26] aurum adorant homines mundani eique serviunt et tanquam deum colunt, nam, ut Paulus ait, avaritia *est idolorum servitus.* [27]

His duobus dominis propositis, suadet Christus ut vero Domino serviamus duabus potissimum rationibus,

Duos itaque cum proponat Christus hodie dominos, alterum verum, alterum falsum, alterum coelestem, alterum terrenum, unum aeternum, alterum temporalem, unum nobilissimum, alterum vilissimum, unum qui causa causarum est, increata causa omnium bonorum et salutis vitaeque et gloriae sempiternae, alterum qui nihil potest nec nisi inutile est terrae pondus et causa est perditionis perpetuae, suadet ut vero Domino veroque Deo serviamus, multis rationibus mire efficacibus et urgentibus avocans a servitute alterius.

Duabus potissimum rationibus provocat et suadet Dominus ut Deo serviamus. Una est, quoniam est optimus dominus, optimus et

20) Ps 23 (hebr. 24), 1-2. 21) Ps 88, 12-13. 22) Gn 14, 19. 23) Ibid. vr. 22. 24) Ps 145, 6. Vulg.: *Fecit coelum*, etc. 25) Mt 6, 19-20. 26) Cf. Dn 3, 1-18. 27) Eph 5, 5; Col 3, 5.

multis autem avertit a servitute alterius.

nobilissimus simulque potentissimus princeps; altera est, quod sit maxime beneficus et servorum suorum maximam curam et providentiam gerat eisque providet omnia quae victui et vestitui opus sunt ad vitam commode et quiete, imo feliciter transigendam. Multis vero rationibus avocat a servitute alterius, non domini, sed tyranni.

Deo serviendum est a) quia *Dominus* infinitae potentiae,

III. Prius autem exponendae nobis sunt et ponderandae rationes provocantes ad servitutem et famulatum Dei. Deum primo *Dominum* dicit: si Dominus est, serviendum ergo est illi, etiam si non optimus princeps esset. Nam Divus Petrus ait: *Regem honorificate; servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*[28] Sic Deus per Ieremiam, capite 25[29] et 29,[30] iussit ut Iudaei obedirent et servirent Nabuchodonosor regi Babylonis; et capite 27: *Gens... et regnum quod non servierit... regi Babylonis... in gladio et in fame et in peste visitabo... gentem illam.*[31]

bonitatis

Rari sunt principes qui avaritia et superbia ducti non aliquam tyrannidem exerceant, populi tamen subiecti illis serviunt et obediunt, si non amore, saltem timore acti; at vero Deus princeps et dominus optimus est; hinc Christus Patrem coelestem eum appellat hodie: *Pater vester coelestis pascit illa.*[32] Quibus verbis Christus tribuit Deo duo illa epitheta quae Divinae Maiestati ab omnibus tribuuntur et quae etiam ethnici Deo tribuebant Deum Optimum Maximum appellantes,[33] hoc est infinita bonitate et potentia gloriaque praeditum, idem enim est Deus *Pater vester coelestis* ac Deus Optimus Maximus: Dominus optimus est, quia paterna caritate et bonitate servos tanquam filios carissimos gubernat et regit; maximus est et potentissimus, quia in coelis habitat, toti dominatur mundo.

et sapientiae,

Quoniam vero in optimo principe etiam sapientia requiritur, propter quam Salomon princeps admirabilis mundo fuit et maximo in honore ab omnibus principibus habitus,[34] hanc Deo tribuit hodie Christus dicens: *Scit enim Pater vester* coelestis *quia his omnibus indigetis.*[35]

28) 1 Petr 2, 17-18. 29) Cf. vrr. 9-12. 30) Cf. vrr. 4-10. 31) Vr. 8. 32) Mt 6, 26. 33) Cf. Cicero Orat. 29, vol. 2, col. 600; *De Natura Deorum*, lib. 2, vol. 4, col. 209. 34) Cf. 3 Rg 10, 23-24; 2 Par 9, 22-23. 35) Mt 6, 32.

Est itaque Deus princeps optimus, quoniam est infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis thesaurus. Haec enim per virgam,[36] tabulas legis[37] et vas plenum manna in arca[38] sub divino propitiatorio designantur, et propterea in divino templo per propitiatorium, quod totum ex auro purissimo erat,[39] et in vestibus pontificiis per laminam auream supra caput magni sacerdotis[40] designabatur Deus, quoniam sicut aurum metallorum omnium optimum est, ita Deus optimus est omnium principum. Nam in statua, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, per quattuor metalla significati sunt quattuor principatus et monarchiae mundi, per caput autem aureum optimus principatus et primus omnium.[41]

optimus ergo omnium principum,

Haec igitur prima est ratio urgens et provocans ad servitutem Dei; quis est enim qui non suapte natura optimum desiderat principem, qui paterno animo et caritate erga omnes sit praeditus subditosque et vassallos tanquam filios diligat et tractet?

qui paterna caritate subditos omnes diligit;

Altera ratio est, quod Deus non est sicut mundani principes qui a servis suis exigunt tributa et census eosque divitiis et bonis expoliant potius quam augeant et ditent. Deus est sicut sol qui ab astris non recipit aliquid luminis, sed tribuit omne lumen; est sicut imperator exercitus, qui militibus suis dat stipendia, munera et coronas, non exigit tributa; est sicut pater ditissimus, qui a filiis nihil accipit, sed dat eis omnia bona sua omniaque suppeditat necessaria et utilia; sic Christus hodie Deum providentissimum Patrem demonstrat. Loquitur manifestissime Christus in hodierno Evangelio de divina providentia dicens: *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa; nonne vos magis pluris estis illis?... Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei?*[42]

b) quia providentissimus est, omnibus bona sua dans et nihil exigens.

IV. Nulla de re tam frequenter loquitur Divina Scriptura ac de veritate hac, quod Deus universi totius curam et providentiam gerit

36) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 37) Cf. Ex 25, 16-21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 38) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 39) Cf. Ex 25, 17. 40) Cf. ibid. 28, 36. 41) Cf. Dn 2, 31-40. 42) Mt 6, 26-30.

Frequentissime loquitur S. Scriptura de divina providentia referens opus creationis,

tanquam rex optimus regni sui et pater bonus suae familiae, quoniam Deus Dominus et rex universi, est infinita potentia, sapientia et bonitate praeditus, ita ut ad hoc nec posse nec scire nec velle desit ei. Hoc ostendit M o y s e s in opere creationis, quo ostendit Deum tanquam architectum qui pro familia sua domum aedificet ad commode inhabitandum. Ad faciendam habitationi aptam domum, praeter potentiam et voluntatem requiritur scientia et ars architectonica et fabrilis, requiritur iudicium ad domum recte disponendam et suis partibus distinguendam variis interstitiis, et tandem providentia, ut fiant omnia quae necessaria sunt ad eam commode habitandam: portae, fenestrae, camini, lecti, arcae, mensae, sedilia aliaque necessaria. Sic Deus mundum hunc optima arte optimoque iudicio creavit, distinxit et ornavit bonisque omnibus necessariis et utilibus replevit.

sub multis etiam hieroglyphicis et mysteriis.

Sic tota historia creationis hominis,[43] sacrificium Abelis,[44] raptus Enoch,[45] iustitia Noe,[46] inundatio diluvii,[47] combustio Pentapolis,[48] vocatio Abraham,[49] nativitas Isaac,[50] electio Iacob,[51] exaltatio Ioseph, descensus Israelis in Aegyptum, flagella Aegypti, salus populi a tyrannide Pharaonis et dura servitute Aegypti, commoratio ipsius in deserto, ingressus in terram promissionis,[52] et tota denique Sacra Scriptura nihil aliud est nisi perpetua demonstratio providentiae divinae tum generalis tum particularis; nihil enim aliud fere praedicat aut docet Divina Scriptura, nisi veritatem hanc universalis providentiae Dei.

De hac autem hodie Christus apertissime et magnificentissime loquitur,

Sic inquit hodie Christus quod Deus providentia sua pascit volatilia coeli et vestit herbas camporum, quanto magis homines et fideles servos suos? Non inquit: considerate quomodo populum suum quadraginta annorum spatio pavit coelesti manna in deserto,[53] aut quomodo per corvi ministerium pavit Eliam multo tempore,[54] ne forte diceremus quod ob singularem sanctitatem Deus illorum curam gessit, sed inquit: *Respicite volatilia coeli* quomodo pascuntur a Deo; *considerate lilia*, omnes flores herbasque camporum, quomodo vestiuntur ab ipso: *nonne vos, ad imaginem et similitudinem Dei* conditi,[55]

43) Cf. Gn 2, 7 sqq. 44) Cf. ibid. 4, 4. 45) Cf. ibid. 5, 22. 46) Cf. ibid. 6, 9. 47) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 48) Cf. ibid. 19, 1-29. 49) Cf. ibid. 12, 1-3. 50) Cf. ibid. 21, 1-12. 51) Cf. ibid. 25, 23; Mal 1, 23; Rom 9, 13. 52) Cf. Ps 77, 12-45; 104, 17 sqq. 53) Cf. Ex 16, 35. 54) Cf. 3 Rg 17, 4-6. 55) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

propter quos Deus mundum universum creavit, *pluris estis* apud Deum vilissimis hisce creaturis?

et confutat stultam philosophorum mundi sapientiam

Ex his autem Domini verbis patet quam stulta sit philosophorum mundi sapientia qui dicunt quod vilesceret divinus intellectus si terrena haec consideraret, [56] quasi posset vilescere et mutari in peius vel in melius divinus intellectus, qui suapte natura est omnino immutabilis. Num vilescit sol illuminando terram? num oculus noster nobilior est videndo coelestia quam terrestria? Apparet etiam quam insipienter loquuntur qui dicunt quod natura pascit aves et vestit flores, quod natura sapienter operatur, quod nihil facit frustra. [56a] Quidnam, quaeso, est haec natura quae operatur omnia quae in terra et aquis gignuntur? quidnam est? substantia, accidens, terra, coelum, aqua, aer, ignis, luna, sol, Angelus? Quidnam est? O stultam mundi sapientiam!

ostendens Deum curam gerere etiam de brutis ac plantis.

Deus est, inquit Christus, qui pascit volatilia coeli, qui vestit flores et herbas camporum; Deus est qui rerum omnium curam et providentiam gerit, sicut ipse est qui omnia creavit, *coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt*. Sic tempore diluvii pro salute etiam animalium et avium iussit arcam fieri cibosque ad victum necessarios parari. [57] Sic igitur Deus infinita providentia omnibus animalibus et herbis etiam procurat et providet quae ad eorum conservationem necessaria sunt. Quod si ita est, inquit Christus, ut oculis hisce videmus, quanto magis hominibus providebit necessaria ad victum et vestitum? Quis imperator non providet militibus exercitus sui annonam? Quis dominus fidelibus servis non dat iustas expensas? Quis pater filios suos non nutrit et vestit? Quis vir bonus dilectam uxorem non pro viribus sustentat? Sic, inquit, Deus, qui sponsus Ecclesiae est et dominus ac pater omnium fidelium: *Pater vester coelestis pascit illa*.

Insuper servitus Dei suavissima est,

V. Specialiter autem de providentia victus et vestitus loquitur Christus dicens quod Deus pascit aves et vestit flores et herbas et quod multo magis homines fideles. His igitur rationibus Chri-

56) Cf. Aristoteles *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 9, t. 2, pag. 564. 56a) Cf. ibid. *De Republica*, lib. 1, cp. 2, t. 1. pag. 178; *De Coelo*, lib. 1, cp. 4, ibid. pag. 269.
57) Cf. Gn 6, 14 sqq.

stus provocat et urget ad servitutem Dei, quae alioqui levis admodum et suavis est: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos... iugum enim meum suave est et onus meus leve.*[58] Iugum autem mundi gravissimum est, qualis erat servitus Hebraeorum in Aegypto sub Pharaone,[59] qui postea in deserto sub Dei potestate coelesti pane et Angelorum esca vescebantur, hinc Christus Dominum hunc *Patrem* appellat, quoniam servitus Dei levis est et suavis sicut servitus filiorum erga patrem; non enim pater gravia filiis iubet tanquam mancipiis. Dei igitur servitus primo quidem, levis et suavis est valdeque delectabilis: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[60] Sic in Divinis Scripturis servi Dei beati praedicantur,[61] sicut regina Saba beatos dixit servos Salomonis.[61a]

ro honabilis et utilis, procurat enim homini regnum coeleste.

Secundo, honorabilis est, quoniam Deus princeps est optimus et rex maximus; servitus autem honorabilis est, quoniam est servitus nobilium filiorum. Tertio, utilis est, quoniam affert homini omnia necessaria ad vitam conservandam et vitam tribuit gloriamque sempiternam: *Primum quaerite regnum Dei... et haec omnia adicientur vobis.*[62] Ostendit Dominus summam utilitatem divini servitii, quod homini regnum tribuat coeleste; sicut virtus Saulem regem Israelis effecit, virtus Deo placens Davidem ad regiam dignitatem et maiestatem evexit,[62a] sic omnes beati in coelo reges sunt gloriosissimi gloria et honore in aeternum coronati: *Fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes et regnabimus in terra.*[63] Quis igitur his rationibus non moveatur ut totum se divino servitio dedat?

Multis rationibus avocat Christus a servitute mundi et divitiarum:

VI. Operae pretium nunc erit ut videamus et perpendamus rationes dehortantes et avocantes a servitute mundi sive divitiarum. Quamvis enim utilis admodum et nobilis servitus videatur, unde dicitur dives quasi d i v u s,[64] quod qui dives est et multis bonis abundans, quasi Deus nullius indigere videatur, vere tamen nonnisi miserabilis admodum servitus est. Hinc ab ea Christus multis rationibus de-

58) Mt 11, 28 sqq. 59) Cf. Dt 4, 20. 60) Ps 30, 20. 61) Cf. Ps 1, 1; 32, 12; 111, 18; 118, 1-2; 127, 1; 143, 15. 61a) Cf. 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7.
62) Mt 6, 33. Vulg.: *Quaerite ergo primum*, etc. 62a) Cf. 1 Rg 9, 1-17; 13, 14.
63) Apc 5, 10. Vulg.: *Regnum et sacerdotes... super terram. Reges* lect. cod.
64) Varro *De Lingua Latina*, lib. 5, pag. 29.

hortatur, quarum prima est, quod mundanae divitiae multis periculis sunt obnoxiae nulloque loco securae consistunt, quoniam etiam suapte natura corruptibiles sunt: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur.* Sic ob multa pericula divitis animus semper in metu est, semper mille suspicionibus vel suspectibus tanquam spinis acutis pungitur; qui autem Deo servit et bonis operibus ditatur, thesaurizat quidem, sed tutissimo in loco inamissibiles et immarcescibiles divitias recondit. Hoc est quod ait: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo nec tinea demolitur et ubi fures non effodiunt nec furantur.* [65]

a) mundanae divitiae multis periculis obnoxiae sunt;

Secunda ratio est: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* [66] Thesaurus, inquit, terrenus est veluti arca, tanquam cavea avi, tanquam carcer humani cordis et animi tam nobilis, qui tanquam Angelus *ad imaginem et similitudinem Dei* conditus est. Indignissimus ergo est carcer, et quis nesciat quod

b) servum faciunt hominem

« Non bene pro toto libertas venditur auro » ? [67]

Nec tantum servum sibi faciunt hominem fallaces divitiae, sed ipsum etiam excaecant, sicut Philisthaei Samsonem in suam servitutem redactum exocularunt *et clausum in carcere molere fecerunt* [68] quasi bestia esset. Hoc est quod ait Christus: *Lucerna corporis... est oculus.. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam,* idest vitiatus et obcaecatus, *totum corpus tuum tenebrosum erit.* [69] Sicut, inquit, oculus in corpore ad instar lucernae ardentis et totam domum illuminantis totum illuminat corpus, ita mens et intellectus in anima totum illuminat hominem lumine verae cognitionis ad recte iudicandum de rebus. At sicut oculus vitiatus non potest recte videre, caecus enim de lumine et coloribus iudicare non potest, sic nec intellectus vehementi passione vitiatus, nam passiones animo sunt veluti ocularia colorata ac veluti caeca ocularia, quae super equorum oculos ponuntur ut non videant; hinc Plutonem antiqui inferni deum constituerunt, sed caecum; [70] πλοῦτος. [71]

eumque excaecant;

65) Mt 6, 20. Vulg.: *Neque tinea.* 66) Ibid. vr. 21. 67) *Fabulae Aesopianae,* fab. 54, *De Cane et Lupo,* interprete Gualtero Anglico. L. Hervieux *Les fabulistes Latins,* vol. 2, pag. 344. 68) Idc 16, 21. 69) Mt 6, 22-23; Lc 11, 34. 70) Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 4, cp. 10, pag. 150-158. 71) Ms.: *Plutos.*

autem graece idem est ac divitiae latine, et idem qui inferni deus, positus est etiam deus divitiarum.

c) abstrahunt cor a coelo,

Tertia ratio est, quia *nemo potest duobus dominis servire ... non potestis Deo servire et mammonae*, non potestis simul in coelo et in terra thesaurizare, cor simul in coelo et in terra fixum habere, sicut nec oculos nec corpus potest simul et semel sursum et deorsum ferri, auris non potest simul plures diversa loquentes audire ut mente percipiat quae dicuntur, nec humanum cor potest simul plura cogitare. Hinc ait Christus quod spinae, idest sollicitudo et cura divitiarum, suffocant sementem divini seminatoris, ut terra cordis nostri salutis fructum non afferat. [72]

sicut docet D. Paulus et ipse Christus respondens satanae tentanti.

Paulus ait quod *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et* in *desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.* [73] Thesaurus trahit ad se cor sicut magnes ferrum; non potest autem ferrum simul sursum et deorsum trahi a superiori et inferiori magnete. Cum satanas ostendit Christo *omnia regna mundi et gloriam eorum dixitque ei : Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, respondit Dominus: *Vade, satana, scriptum est ... Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* [74] Facto ibi ostendit Christus quod hic verbis docet, quod nemo potest Deo et mammonae servire.

Hinc Deus prohibet idololatriam,

Hinc Deus in primo legis praecepto dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* [75]

quae est in Deum rebellio et ingratitudo,

Ubi quadruplici ex capite prohibet Dominus idolorum servitutem. Primo, quia est rebellio ac defectio a vero principe Deo ad inimicum tyrannum diabolum. Secundo, quia est ingratitudo pessima, qua accepta a Deo beneficia referuntur idolis, sicut Israeli dictum fuit cum

72) Cf. Mt 13, 22; Lc 8, 14. 73) 1 Tim 6, 9-10. Vulg.: *Mergunt homines*, etc.
74) Mt 4, 8-10. Vulg.: Et *dixit ei*, etc. 75) Ex 20, 2-5.

aureum vitulum adoravit: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti,*[76] quemadmodum et Ieroboam populo dixit erigens vitulos aureos in Bethel et in tribu Dan;[77] sic mundus hodie omnia pecuniae accepto fert, quoniam *pecuniae obediunt omnia.*[78] Tertio, quia est turpe adulterium: vir honoratus non vult in uxore rivalem, anima autem Deo per fidem desponsata est; adulterium vero quisnam vir honoris non summo prosequitur odio? Bruta animalia vix ferre possunt, equus, taurus, aries et alia. Quarto tandem, quia est odium Dei, idest contemptus veri Dei, cum aliquid ei amore et aestimatione praeponitur et praefertur. Prima ratio insinuatur cum dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus;* secunda: *Qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis;* tertia: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes;* et quarta: *Visitans iniquitatem... eorum qui oderunt me.* contemptus et odium Dei.

Ante legem autem sciens sanctus patriarcha Iacob quod idolorum cultus magnopere displicebat Deo, ait omnibus qui in domo sua erant: *Abiicite deos alienos qui in medio vestrum sunt et mundamini ac mutate vestimenta vestra;*[79] cumque accepisset ipse omnia idola, fodit et sepelivit sub arbore.[80] Sic etiam Samuel dixit universo populo: *Auferte deos alienos de medio vestri... et praeparate corda vestra Domino et servite illi soli, et eruet vos de manu Philisthiim,*[81] idest inimicorum vestrorum, nam Philisthiim erant capitales inimici populi Israel tunc temporis. *Servite,* inquit, *illi soli,* Deo soli.

Multi sunt qui cum Naaman syro mundati a lepra in aquis Iordanis per sacrum Baptisma, in templo idoli Deum cum idololatris adorare volunt,[82] et esse veluti animalia secundum legem partim munda et partim immunda, quae si ruminant, non dividunt ungulas, ut camelus, vel si dividunt ungulas, non ruminant, ut sus.[83] Sed haec apud Deum immunda sunt, Dominus enim integram requirit munditiam et totum cor exigit. Hi videntur esse de tribu Issachar, cui sanctus patriarcha dixit: *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum factusque est tributis serviens.*[84] Issachar idem est At multi sunt qui Deo simul et divitiis servire vellent;

76) Ibid. 32, 4. 8. 77) 3 Rg 12, 28-29. 78) Eccle 10, 19. 79) Gn 35, 2. Vulg.: *In medio vestri,* etc. 80) Cf. ibid. vr. 4. 81) 1 Rg 7, 3-4. Vulg.: *Servite ei soli,* etc. 82) Cf. 4 Rg 5, 9-18. 83) Cf. Lv 11, 4-8. 84) Gn 49,14-15.

ac m e r c e n a r i u s :[85] omnis qui in mundo est temporalis mercedis lucrique cupidus, asinus est fortis ac veluti osseus ad portanda mundi onera, ad perferendos gravissimos labores mentis et corporis pro mundi rebus. Accubant inter duos terminos: tepidi sunt, nec calidi nec frigidi;[86] si eos consideres, nec omnino Christi fideles videntur, cum toti sint mundi negotiis mersi, nec omnino infideles, cum Christum confiteantur, cum sacris intersint, cum aliquando orent, ieiunent et nonnullas eleemosynas faciant; sic nec toti sunt intra terminos Dei, nec toti intra terminos mundi. Quoniam vero placet eis quies carnis et terrena habitatio optima videtur, supponunt humeros ad portandum fiuntque diaboli, carnis et mundi tributarii, cum Hebraeis in Aegypto Pharaoni servientes sub gravissimo durissimae servitutis iugo:[87] *Supposuit*, inquit, *humeros suos ad portandum*, sicut facit camelus, tortuosum et gibbosum animal, seipsum enim inclinat ut oneretur;[88] cum omne aliud animal onus suapte natura fugiat, camelus libenter suscipit quantum ferre potest; sic multi sunt qui libentissime mundi onera quam gravissima molestissimaque suscipiunt et portant usque in finem, qui tamen leve et suave Christi iugum ferre se posse desperant et impotentiam causantur.

docet autem Christus hoc omnino impossibile esse;

Non potestis Deo servire et mammonae, Deo et divitiis. Hinc alibi ait: Impossibile est divites intrare in regnum coelorum; *facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.*[89] Sive intelligamus cum recentioribus per camelum rudentem navium funemque cui ancora alligatur,[90] sive cum antiquis A u g u s t i n o ,[91] H i e r o n y m o ,[92] C h r y s o s t o m o[93] et O r i g e n e ,[94] ipsum animal, summam difficultatem et impossibilitatem his verbis notat Christus, ut divites salventur qui divitiis cor apposuerunt, facti viri divitiarum.[95]

85) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 86) Cf. Apc 3, 15-16. 87) Cf. Ex 1, 10-14; 5, 5-19. 88) Cf. Druthmarus *Exposit. in Matthaeum*, cp, 43, (P. L. 106, 1418); Rabanus Maurus *De Universo*, lib. 7, cp. 8, ibid. 111, 211; Hugo de S. Victore *De Bestiis*, lib. 4, cp. 3, ibid. 177, 139. 89) Mt 19, 23-24; Mc 10, 24-25; Lc 18, 24-25. 90) Cf. Alph. Tostatus *In Evang. Matthaei*, cp. 19, quaest. 167: Iansenius *Comment. in Mt.*, part. 3, cp. 101, pag. 562; Io. Maldonatus *Comment. in Quattuor Evangelistas*, t. 1, col. 456; Corn. A Lapide *Comment. in Mt.*, h. l. 91) Cf. *Quaestiones Evang.*, lib. 2, quaest. 47, (P. L. 35, 1360). 92) Cf. *Comment. in Evang, Matthaei*, lib. 3, ibid. 26, 138.
93) Cf. *Opus Imperfectum in Matthaeum*. hom. 33, (P. G. 56, 810). 94) Cf. *Comment. in Matthaeum*, ibid. 13, 1310-1314. 95) Cf. Ps 61, 11; 72, 6.

Quarta ratio est, quod divitiae nec necessariae nec utiles sint. Nam si vel necessariae vel utiles reputantur, hoc est propter victum et vestitum; sed haec omnia, inquit, fidelibus suis Deus abunde providet, qui pascit aves coeli et vestit lilia, flores et herbas campi. Hoc est quod ait: *Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca ? et corpus plus quam vestimentum ?* [96] Qui, inquit, dedit quod maius et principale est, dabit et quod est minus et accessorium. Si quis dono dat palatium, dabit utique et claves, sine quibus aperiri et habitari non potest; si quis dono dat equum, equiti dabit et habenas et subsellium illius equi. Si, inquit, Deus dedit tibi corpus et animam, ergo signum est quod voluit dare tibi vitam, alioquin minime haec tibi dedisset; quod si vult ut vivas, dabit ergo victui necessaria.

d) divitiae nec necessariae sunt nec utiles, nam Deus qui dedit vitam, dabit etiam necessaria ad vitae sustentationem,

Propterea tandem concludit Christus dicens: *Ne ergo solliciti sitis dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur ? Haec enim omnia gentes*, idest infideles et pagani divinam providentiam non credentes, *inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* [97] Patris est, inquit, dilectis filiis victum necessarium providere; magnam iniuriam faceret filius patri provido et diligenti si honestissimo loco natus, ingenitae nobilitatis oblitus, sub pretextu providendi sibi victum et vestitum iret cum filio prodigo ad pascendos porcos. [98]

est enim pater amantissimus.

VII. Dicetis: Quid igitur? nihil faciendum est? nihil laborandum pro aquirendo victu et vestitu? otiandum semper erit? tollendae sunt omnes artes, omnia exercitia, omnis mercatura et negotiatio? Non praecipit hoc Christus, non dicit laborandum non esse, nam ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo ;* [99] qui non laborat non manducet; [100] sed anxiam curam et noxiam sollicitudinem prohibet, quae animi aegritudo et vitium est cum nimia cogitatione. Nam haec retrahit avocatque animum a Deo, ab oratione, ab exercitiis spiritualibus et studio acquirendarum virtutum et saepe in causa est ut deseratur iustitia, imo ut contra iustitiam et contra conscientiam per fas et nefas divitiae conquirantur et iniusta lucra, quae vera sunt latrocinia et furta, non

Non prohibet Christus labores et curam terrenorum sed anxiam curam et noxiam sollicitudinem;

96) Mt 6, 25. 97) Ibid. vrr. 31-32. 98) Cf. Lc 15, 12-16. 99) Gn 3, 19. Ex hebraico. 100) Cf. 2 Thess 3, 10.

abhorreantur. Vult bonus vir ut uxor domi aliquid agat, non terat omne tempus in otio, habeat honestum aliquod exercitium, sit etiam sollicita de conquirendo victu et vestitu; sed si propter haec conquirenda adulteretur, summam iniuriam viro facit, nam viri interest uxori necessaria providere, nec admittet excusationem adulterii quin illud pro dignitate puniat, quod pro necessariis conquirendis commissum est. Vult pater optimus ut filii iam adulti aliquid faciant, ut laborent, ut studeant ad rem familiarem promovendam; sed non ut furentur magna cum domus et familiae infamia et vituperio, sed ut faciant quae honorem domus super omnia promovent.

permittit autem honesta exercitia, dummodo non praetermittatur quae animae necessaria sunt.

Sic, inquam, Deus permittit honesta exercitia, utiles artes, licitam et necessariam mercaturam, sed ut iuste et secundum conscientiam fiant, iuxta divinae legis praescriptum et ut propter haec homo non praetermittat quae ad salutem animae consequendam necessaria sunt. Hinc Dominus semel atque iterum eiecit mercatores de templo: primo dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, [101] et secundo: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [102] Ubi duplici ex capite mercaturam damnavit: vel tanquam iniustam: *Fecistis illam speluncam latronum*, vel quia alioqui iustam, illicitam tamen ratione loci, temporis et personarum, quia fiebat in templo, in die festo et a sacerdotibus et levitis, tempore, inquam, et loco divino cultui dedicatis aptisque ad conquirendam animae salutem et ad thesaurizandum in coelo.

Caveamus ergo ne satanas nos decipiat;

VIII. Attendamus igitur, fratres, ad hodierni Evangelii praecepta, caveamus ne accidat nobis sicut accidit infelici Achan, qui propter spolia Ierícho contra divinum mandatum accepta infelicissime periit.[103] Diabolus contra hodierni Evangelii observantiam quam maxime tentat ostendens nobis divitias mundi et gloriam earum; [104] facit nobiscum sicut fecit cum Hebraeis in deserto: reducebat eis in mentem delicias et abundantiam carnium, piscium et fructuum, quibus fruebantur in Aegypto, non autem durissimam servitutem gravissimamque et molestissimam Pharaonis tyrannidem, et sic persuadebat eis ut iterum in Aegyptum reverterentur ad serviendum Pharaoni; [105] sic

101) Io 2, 16. 102) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 103) Cf. Ios 7, 11 sqq.
104) Cf. Mt 4, 8. 105) Cf. Ex 16, 3; Nm 11, 4-5.

nunc ostendit fallacem gloriam inanemque utilitatem divitiarum, non autem molestias, labores, pericula et infinita mala; et sicut Naas rex Ammonitarum dextros oculos eruere voluit Hebraeis, ita diabolus coelesti nos prudentia privare satagit. [106]

Nemo potest duobus dominis servire. Sicut navis, flantibus ventis contrariis, navigare non potest et sicut non potest esse ut in hoc nostro hemisphaerio simul sit dies et nox, aestas et hiems, in homine simul sanitas et infirmitas, visus et caecitas, vita et mors, ita *non potestis Deo servire* thesaurizando in coelo, quod maxime fit per eleemosynas et orationes, *et mammonae* thesaurizando in terra. Non enim quis simul esse potest liberalis et avarus, continens et incontinens; hinc Paulus ait: *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis; nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur.* [107]

thesaurizemus autem in coelo, bonis operibus incumbendo.

IX. *Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius,* idest Dei, *et haec omnia adiicientur vobis; scit enim Pater vester quia,* etc. [108] Quae a Deo sunt, inquit Apostolus, ordinata sunt. [109] Cum creasset Deus mundum tanquam confusum chaos, statim universa distinxit in ordinemque redegit secundo die. [110] Ordine et dispositione optima in rebus plurimum delectatur Deus: ordinavit corpora universi optima dispositione, ordinavit motus coelorum, cursus stellarum, varietatem temporum ordine imperturbabili. Sic etiam populum suum ordinavit in deserto ad instar ordinatissimi exercitus, ut hi quidem habitarent ad orientalem plagam divini tabernaculi, illi ad occidentalem, alii ad aquilonarem et alii ad australem; et cum movenda erant castra et proficiscendum, hi proficiscerentur prius et illi posterius, unaquaeque tribus sub vexillo suo ordinatissima dispositione. [111] In tabernaculo iussit suis locis ordinatissime omnia disponi suisque temporibus et debitis modis omnia fieri. [112]

Sicut Deus omnia opera sua ordinavit,

Sic etiam vitae ordinem requirit a nobis; hinc Paulus ait: *Omnia ... honeste et secundum ordinem fiant* in vobis. [113] Nam omnis ars omnisque scientia ordinem requirit, ut haec fiant prius, illa poste-

sic etiam vitae ordinem a nobis requirit.

106) Cf. 1 Rg 11, 1-2. 107) Gal 5, 16-17. Vulg.: *Caro enim concupiscit,* etc. 108) Mt 6, 32-33. 109) Cf. Rom 13, 1. 110) Cf. Gn 1, 6-8. 111) Cf. Nm 2, 1 sqq. 112) Cf. Ex 26, 1 sqq.; Lv 23, 1 sqq. 113) 1 Cor 14, 40.

rius, et sit in doctrina ordo, ut prius faciliora, deinde difficiliora tradantur; sic placuit semper omnibus elegans ordo pulcraque dispositio, confusio autem cunctis displicet.

Propterea Christus hodie vitam ordinat fidelium suorum,

Propterea Christus fidelium suorum vitam ordinat hisce verbis dicens: *Quaerite . ... primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* Sicut, inquit, praestat infinitis gradibus Deus mundo, anima corpori, vita aeterna temporali, sic *quaerite . ... primum regnum Dei :* hoc, inquit, in primis et ante omnia satagendum est, hoc primum et praecipuum sit studium, prima cogitatio, principalis cura: regnum Dei aeternamque salutem quaerere.

docens nos regnum Dei quaerere ante omnem curam terrenorum.

Quaerite . ... primum regnum Dei : primum, inquit, ante omnem aliam curam vel divitiarum, vel honorum, vel ipsius etiam vitae. Extraneum durumque videtur praeceptum, sicut id quod Elias viduae sareptanae mandavit: petiit Elias bucellam panis; respondit vidua paupercula se non habere nisi pugillum farinae domi, ex qua vix placentula fieri poterat indeque tota ipsius et filii sui vita pendebat, ita ut nihil aliud ad manducandum habentes certissimam famis mortem expectarent.[114] Elias autem dixit – parum discreta videtur petitio – : *Vade . . . fac mihi primum de ipsa farina subcinericium panem et affer ad me, tibi autem et filio tuo facies postea. Haec enim dicit Dominus Deus Israel : Farina non deficiet de hydria . .. usque in diem . . . qua Dominus daturus est pluviam super faciem terrae.*[115] Sed audite et videte mirabilem fidem! Abiit mulier et fecit iuxta verbum Eliae; quod si non fecisset, procul dubio fame periisset; quia autem credidit et fecit quod Propheta mandavit, liberata fuit a dura famis morte ipsa cum tota domo et familia sua.[116] Sic inquit Christus: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis;* hoc est quod Deus ab Hebraeis ex legis praescripto voluit ut primogenita sibi offerrentur.[117]

114) Cf. 3 Rg 17, 8-12. 115) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Mihi primum fac de ipsa farinula . . . Haec autem dicit Dominus . . . hydria farinae non deficiet*, etc. 116) Cf. Ibid. vrr. 15-16. 117) Cf. Ex 13, 12-13; 34, 19-20; Nm 3, 13.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Et cum appropinquaret. [1]

I. Proponitur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio divinum miraculum, quo Christus Dominus noster filium defunctum naimitae viduae suscitavit, sicut Elias suscitavit filium viduae sareptanae [2] et Eliseus unicum filium mulieris sunamitis. [3] Christus enim est verus Elias, potens Deus, verus Eliseus, divinus salvator, sive Deus salvator, aut potens salvator; [4] hinc enim non, sicut Elias, multis precibus et ter procumbens super defunctum, nec sicut Eliseus multa oratione et simili incubatione super mortuum suscitavit hodie defunctum hunc, sed divino imperio: *Adolescens, tibi dico, surge;* [5] et statim rediit defunctus ad vitam. Quare omnes, viso tali tantoque miraculo, magnificantes Deum dicebant: *Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.* [6]

Proponitur hodie magnum Christi miraculum, suscitatio defuncti.

Quamvis autem hodiernum Evangelium simplex videatur et brevis historia divini huius miraculi, multis tamen dives est mysteriis et sacramentis. Hic agere possemus de Christi peregrinatione: *Ibat in civitatem... Naim,* et de mysterio huius civitatis, quidnam significet; hic de Christi sequela: *Ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa;* hic de Christi amore quo ad nos appropinquare voluit: *Cum appropinquaret portae civitatis;* hic de horribili mortis

Multa mysteria continet hoc Evangelium,

1) Pericope huius diei Lc 7, 11-16. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 3) Cf. 4 Rg 4, 32-36. 4) Sic enim latine haec nomina interpretantur. 5) Lc 7, 14. 6) Ibid. vr. 16.

spectaculo: *Ecce defunctus efferebatur;* hic de brevitate et incertitudine vitae, quoniam hic defunctus *adolescens* erat; hic de multis miseriis et doloribus humanae naturae: *Filius unicus matris suae, et haec vidua erat;* hic de mysterio divinae misericordiae: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit... Noli flere;* hic de imperio Christi supra mortem et infernum supraque omnem naturam: *Adolescens, tibi dico, surge;* hic de resurrectione mortuorum: *Et* statim *resedit qui erat mortuus... et dedit illum matri suae;*[7] hic tandem de magnitudine Christi: *Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.*

duo tamen principalia sunt: humanae miseriae et divinae misericordiae magnitudo.

Duo tamen videntur esse principalia mysteria huius Evangelii: unum est magnitudo humanae miseriae, alterum vero magnitudo divinae misericordiae. Magnitudinem humanae miseriae ostendit E v a n g e l i s t a dicens: *Cum appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.*[8] O qualis quantaque miseriarum moles his verbis explicatur! Magnitudinem vero divinae misericordiae: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit* ei: Mulier, *noli flere; et accessit et tetigit loculum* et *dixit: Adolescens, tibi dico, surge. Et* statim *resedit qui fuerat mortuus et dedit illum matri suae.*

Duplex est humana miseria: corporis et animae.

II. Quoad magnitudinem miseriae, homo duplici parte constat: corpore et anima, sic duplex est miseria: corporis et animae. Quoad corpus: *Ecce defunctus efferebatur,* adolescens, miseria est privatio et carentia convenientium bonorum, mors autem hominem bonis omnibus privat, dignitatibus, honoribus, divitiis, voluptatibus, sensibus, vita ipsa; et quoad animum: *Filius unicus matris suae, et haec vidua erat,* mulier debili fragilique animo, immensa doloris et afflictionis mole oppressa.

Per hanc mulierem viduam designatur humana natura in statu culpae.

Humana natura hic per mulierem designata est ob infirmitatem carnis et fragilitatem animi, natura enim humana multo infirmiori est natura angelica; per mulierem autem viduam in respectu status primi in paradiso. Sicut enim magna est differentia in muliere

7) Ibid. vrr. 12-15. 8) Ibid. vr. 12.

inter statum maritalem et vidualem, quoniam ille status est iucunditatis et laetitiae, iste vero moestitiae et doloris, sic magna est differentia in humana natura inter statum priorem innocentiae et statum hunc posteriorem culpae: tunc manebat in paradiso deliciarum, nunc autem in miseriarum valle; hinc civitas haec duplici forte appellabatur nomine, nam Latinus Textus vocat eam *Naim*, quod significat pulcritudinem et iucunditatem, Graecus autem Textus habet Ναΐν, [9] quod instabilem et turbulentam commotionem significat, timoris plenam. Sic in illo statu mundus hic erat hominibus paradisus iucunditatis, pulcherrima habitatio et deliciosissima; nunc autem mare est mille turbulentiarum, mille commotionum, ubi nulla est securitas, ubi singulis momenti mille pericula, quare necesse est ut animus sit semper in metu, ut vivat semper cum magno suspectu.

Magna est miseria mulieris, quae natura subdita est et debilis,

Miseria igitur humanae naturae proponitur nobis sub symbolo mulieris afflictissimae. Neque enim parva miseria est esse mulierem, quae ad serviendum nata est ob peccatum: *Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui ;* [10] natura viribus debilis, animo timida, modico iudicio, nulla fere scientia aut arte praedita, animo quam facillime perturbatur; sic magna humanae naturae miseria est ob peccatum servitus, fragilitas, ignorantia, concupiscentia et malitia. Femina enim suapte natura vulpe astutior est et multis desideriis aestuat, ardentissime amat et acerrime odit; sed mulier vidua multo maior miseria ob intensissimum dolorem viri amissi, nam viro privata multis destituitur bonis; hinc vidua nigris induitur vestibus, quasi omni sit bono privata, nam si pauper est, non habet qui sibi et familiae victum vestitumque provideat; si autem dives, multi bona ipsius diripiunt nec habet qui eam defendat; creditores petunt, debitores non solvunt, multi lites movent, omnia abeunt in malam crucem, [10a] quia non est [qui] sua ipsius fideliter curet; sic viduitas magnus est miseriarum thesaurus.

maxime autem si vidua,

Quod si tandem filiis etiam orbetur, maxima est miseria et afflictio animi, ita ut explicari non possit. Ecce mulier vidua et

9) Ms.: *Nain.* 10) Gn 3, 16. 10a) Modus proverbialis ex Plauto *Asin.*, act. 1, sc. 2, vr. 91; *Rud.*, act. 1, sc. 2, vr. 86.

et si filiis quoque orbata sit.

unico, imo unigenito filio orbata in ipso iuventutis flore: *Defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat;* defunctus autem adolescens erat, non vix uxoratus qui filios post se reliquerit in matris consolationem et solatium ipsius. Sic videmus mulierem acutissimo doloris gladio transverberatam, quae cum Noemi dicere poterat: *Vocate me mara, idest amaram, quia amaritudinibus replevit me Dominus,* [11] viro enim et filiis orbata erat. [12]

Ita natura humana ob peccatum maxima miseria affecta est in anima ex conditione mundi,

III. Natura igitur humana ob peccatum, nam *stipendia . . . peccati mors,* [13] maxima animi miseria affecta est, maximo et inconsolabili saepe dolore triplici ex capite. Primo, ex conditione mundi, quod est mare instabilissimum et tempestuosissimum ac periculosissimum, ubi mille piratae, mille syrtes et scopuli, ubique Charybdis et Scylla, [14] undique venti contrarii; hic fames, caritas rerum, paupertas et mendicitas; hic pestilentiae et mille genera infirmitatum; hic bella, lites, contentiones, irae, rixae, invidiae et his similia; hic mille malorum genera, quibus non potest non perturbari animus, praeter privatas passiones amoris, ambitionis et avaritiae, quibus vehementer quisque perturbatur. Secundo, ob viduitatem, hoc est ob irreparabilem amissionem bonorum utilium et delectabilium, quae plurimum diligebamus, sicut mulier virum suum diligit. Et tertio, propter orbitatem filiorum, nam mulier vidua, etsi mortuum virum suscitare non potest, potest tamen alium accipere et cum eo novis nuptiis deliciari; sed si unigenito filio in iuventutis flore orbetur, non potest alium similem reperire; quare amissio bonorum, quae nullo modo reparari possunt, acerbissimo dolore animum inconsolabiliter affligunt.

ob bonorum amissionem irreparabilem;

Praeter animi autem miserias, sunt item miseriae corporis, magnae quidem et extremae: *Ecce defunctus efferebatur.* Mors quidem extrema ultimaque corporis miseria est, sed hanc multa praecedunt mala. Moritur enim homo vel ob infirmitatem, vel ob famem, vel ob senium, vel a laedente extrinseco peremptus, sicut extinguitur

11) Ruth 1, 20. Vulg.: *Amaritudine... replevit me Omnipotens.* 12) Cf. ibid. vrr. 4-5.
13) Rom 6, 23. 14) Alludit ad vulgatum proverbium, auctoris tamen incerti:
« Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim »
dictum de iis qui volentes periculum minus evitare, in maius incidunt. Cf. Io. Perin *Onomast.*, sub voce: *Charybdis.*

lampas vel quia oleum aut ellychnium non est bonum nec proportionatum, aut nimis exustum, vel quia totum oleum absumit totumque defecit tum oleum tum ellychnium, vel quia oleum aquosum est et faeculentum ignemque nutrire non potest, vel tandem si lampas evertatur aut data opera flatu vel quovis alio modo extinguatur; sic, inquam, homo has ob causas moritur. Unaquaeque autem harum causarum an non magna miseria est? Magna miseria infirmitas tam multiplex et saepe irremediabilis, diuturna et letifera; magna miseria perpetua necessitas, fames, sitis, nuditas, somnus, labor perpetuus ad acquirendum necessarium victum atque vestitum; magna miseria senectus et decrepitas, qua homo animo quidem repuerascit, corpore autem viribus et sensibus destitutus cadaverascit; tandem magna miseria est vivere inter mille pericula, in medio inimicorum, inter mille mortes, nullo enim tempore, nullo loco securus est homo, ubique et omni tempore mille pericula, mille interitus causae a laedentibus extrinsecis. Quis valeat mundi pericula enarrare? Terra, mare, elementa omnia periculis plena sunt. Sic itaque mundus iste nonnisi locus infinitarum miseriarum est tum corporis tum animae, et carnis et spiritus. Carnis miseriae elucent in filio defuncto, spiritus autem et animi in vidua matre defuncti, quae inconsolabiliter flebat et eiulabat [14a] mortemque potius elegisset quam vitam, et una cum David libentissime vitam suam cum filii morte commutasset. [15]

in corpore, praeter mortem, ob infirmitates, necessitates, senectutem, pericula.

IV. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit ei : Noli flere.* Abyssus misericordiae occurrit abysso miseriae, nam abyssus miseriae abyssum misericordiae invocabat. Vidimus abyssum miseriae, videamus nunc abyssum misericordiae: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit.... Noli flere.* Vidimus vasa plena miseriis, nam defunctus vas est plenum miseriis corporis, mater autem vidua vas plenum miseriis animi, vas plenum mille doloribus milleque afflictionibus; Christus autem vas plenum misericordia, vas plenum manna in arca testamenti, [16] vas novum plenum sale ad sanandas pessimas aquas Iericho: [17] *Miseri-*

Huic abysso miseriarum occurrit Christus abyssus misericordiae.

14a) Ms.: *Eiulabatur.* 15) Cf. 2 Rg 18, 33. 16) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.
17) Cf. 4 Rg 2, 21-22.

cordia motus est. Sicut enim totus sol plenus est luce, totus ignis calore, totum mare plenum aquis, sic Christus totus misericordia plenus est. Nam ut Ecclesiasticus ait: *Secundum . . . magnitudinem ipsius et misericordia illius . . . cum ipso est:* [18] hoc est, sicut Deus magnus est et infinitus, quem *coelum et coeli coelorum . . . capere non possunt,* [19] cuius magnitudo infinitis partibus excedit omnem mundi magnitudinem, sic magna et infinita est misericordia Dei, nam Deus ipsamet misericordia est et misericordia ipsemet Deus.

Nihil S. Scriptura magis collaudat quam misericordiam Dei.

Nihil est quod Divina Scriptura [20] magis collaudet quam misericordiam Dei; haec enim thesaurus est totius bonitatis Dei. Hinc ipse Deus, cum Moysi dixisset: *Ostendam tibi omne bonum,* subiunxit: *Miserebor cui voluero et clemens ero in quem mihi placuerit, Exodo* 33, [21] ubi hebraice est: *Transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam.* Cum autem promissionem hanc illi observavit Deus, ut capite 34 legitur, nihil aliud dicit Divina Scriptura nisi quod, transeunte Domino, ait Moyses: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis et verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem . . . scelera atque peccata.* [22] Sic docet quod misericordia thesaurus est totius bonitatis Dei.

David misericordiae Dei tribuit omnia opera creationis et providentiae.

Hinc Regius Vates saepe haec duo coniungit: bonitatem et misericordiam: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius;* [23] *Psalmo* autem *135* omnia opera Dei divinae tribuit misericordiae dicens: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius; confitemini Deo deorum, quoniam,* etc.; *confitemini Domino dominorum, quoniam,* etc.; *qui facit mirabilia magna solus, quoniam,* etc.; *qui fecit coelos in intellectu,* hoc est in sapientia, *quoniam,* etc.; *qui firmavit terram super aquas, quoniam,* etc. [24] Sic omnia opera Dei tribuit divinae misericordiae, omnia opera creationis, opera redemptionis populi sui, opera gubernationis, conservationis et providentiae.

opera etiam divinae iustitiae.

Sed quod mirabilius est, opera etiam divinae iustitiae tribuit divinae misericordiae: *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis*

18) 2, 23. 19) 3 Rg 8, 27. 20) Ms.: *Misericordia* loco: *Scriptura.* 21) Vr. 19. Vulg.: *Omne bonum tibi,* etc. 22) Vrr. 6-7. Vulg.: *Ac verax.* 23) Ps 105, 1; 106, 1; 117, 1-4. 29. Vulg.: *Quoniam in saeculum,* etc. 24) Vrr. 1-6.

eorum, quoniam in aeternum, etc.; *et excussit Pharaonem et virtutem,* idest *exercitum eius in mari Rubro,* et *percussit reges magnos... et occidit reges fortes... Sehon regem Amorrhaeorum... et Og regem Basan,* et omnia regna Chanaan, *quoniam in aeternum misericordia eius.*[25] Quid igitur? damnatio impiorum est misericordiae opus? diluvium mundum submergens fuit opus misericordiae?[26] combustio Pentapolis opus misericordiae?[27] Utique, inquit, haec fecit, *quoniam in aeternum misericordia eius.*

primo, ad ostendendum quod in Deo iustitia et misericordia idem sunt,

Tribuuntur opera divinae iustitiae misericordiae et pietati primo, ad ostendendum quod in Deo iustitia et misericordia idem sunt, sicut in animali perfecto concupiscibilis et irascibilis sunt eadem anima animalis, in sole idem radius indurat lutum et liquefacit nivem et glaciem, in igne idem calor mollem facit ceram et duram pastam, liquefacit ferrum et metalla quaevis et indurat lateres vasaque fictilia quaeque ex argilla, eadem lux grata est sanis oculis et ingrata infirmis; sic eadem bonitas Dei dicitur misericordia et iustitia, eadem Dei voluntas.

est enim eadem Dei voluntas quae bonos diligit et malos odit;

Hinc P a u l u s ait: *Cuius vult miseretur et quem vult indurat.*[28] Sic in eodem mari Rubro perierunt Aegyptii et salvi facti sunt Hebraei;[29] eadem nubes, in qua Dominus erat ad dirigendum populum suum per desertum in terram promissionis, Hebraeis quidem lucida, Aegyptiis autem tenebrosa erat,[30] imo sol idem in Aegypto Israelitis faciebat clarissimum diem, Aegyptiis autem obscurissimam noctem spatio trium dierum.[31] Quare differentia ex nobis est, idem enim animus diligit bona et odit mala, eodem animo princeps optimus diligit, favet fovetque fideles servos bonosque, infideles autem et malos scelestosque odit, persequitur et perdit.

secundo, quia hic Deus punit ut pater, non ut iudex;

Secundo, tribuuntur misericordiae opera divinae iustitiae in hoc mundo, quoniam hic Deus non punit tanquam severus iudex sicut in futuro, sed tanquam pius medicus et optimus pater salutem mundi quaerens. Affligit medicus infirmum abstinentia cibi et potus, amaritudine medelarum, phlebotomia, cauteriis, fame, ferro, igne, plagis, nec tamen iratus est inimicus, sed fidelis amicus, salu-

25) Ibid. vrr. 10-20. 26) Cf. Gn 7, 1 sqq. 27) Cf. ibid. 19, 1-29. 28) Rom 9, 18.
29) Cf. Ex 14, 21 sqq. 30) Cf. ibid. vr. 20. 31) Cf. ibid. 10, 22-23.

tem quaerens infirmi; sic Deus ad curandum peccati morbum saepe variis modis mundum afflixit.

tertio, quia semper citra condignum punit malos et supra merita praemiat bonos.

Tertio tandem, quia haec facta sunt in favorem electorum, nam in gratiam Hebraeorum percussit Aegyptum et perdidit Chananaeos, ad illos miseria levandos bonisque afficiendos. In quo duplex elucet misericordia, nam Hebraeos supra merita et supra condignum bonis affecit, Aegyptios autem et Chananaeos infra merita et citra condignum punivit. Piissimus supra modum haberetur princeps, qui servos suos supra merita remuneraret in centuplum, malos autem minus multo quam mereantur puniret; si eos qui mortem merentur multas ob causas et gravissimas, damnaret ad triremes vel perpetuos carceres, meritissime in his punitionibus commendari posset atque deberet optimi principis pietas et clementia. Sic ait: *Quoniam in aeternum misericordia eius.*

Ostendit autem Regius Vates totum mundum plenum esse misericordia Dei,

In eo *Psalmo* viceties sexies replicatur: *Quoniam in aeternum misericordia eius,* quoniam totus mundus divina misericordia plenus est. Nam si consideremus tot creaturas sub Deo, reperimus novem choros Angelorum, decem sphaeras coelorum, quattuor corpora elementorum et in his tria ea, quae Moyses specialiter tribus diebus a Deo creata fuisse commemorat: plantae, animalia et homines;[32] sic sunt viginti sex creaturae sub Deo. Hoc est quod alibi Regius Vates ait: *Misericordia Domini plena est terra:*[33] totus mundus, inquit, plenus est divina misericordia, nam omnis creatura effectus est divinae misericordiae.

omnes enim creaturae et omnia bonorum genera effectus sunt misericordiae divinae.

In *Psalmo* autem *117* quattuor vicibus dicitur: *Quoniam in saeculum misericordia eius: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius; dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius; dicat nunc domus Aaron quoniam in saeculum misericordia eius; dicant nunc qui timent Dominum quoniam in saeculum misericordia eius,*[34] quoniam in universum quattuor sunt genera creaturarum: Angeli, coeli, elementa et mixta generabilia et corruptibilia; spiritualia incorruptibilia, naturalia interitum nescientia, corporalia secundum partem sese generantia et corrumpentia et tandem quae secundum totum

32) Cf. Gn 1, 11-28. 33) Ps 32, 5. 34) Vrr. 1-4.

generantur et corrumpuntur corpora. Paradisi fluvius sic in quattuor dividitur flumina;[35] nam sunt creaturae quae tantum habent esse et quae cum esse simul vivere et quae etiam sentire, tandem quae etiam intelligere. Quattuor etiam genera bonorum considerantur in mundi universitate: bona naturae, bona fortunae, divitiae et honores, bona gratiae in Ecclesia et bona gloriae in paradiso. Omnia haec nihil aliud sunt nisi influxus divinae misericordiae, radii lucis divinae bonitatis. Sic *misericordia Domini plena est terra; Coelum et terram ego adimpleo;*[36] *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum,*[37] potest dicere cum Deo divina misericordia. Hoc est quod Regius Vates ait *Psalmo 88: Misericordias Domini in aeternum cantabo, in generationem et generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti: in aeternum misericordia aedificabitur in coelis, praeparabitur veritas tua in eis,* hebraice est: כִּי עוֹלָם חֶסֶד יִבָּנֶה, *quoniam mundus misericordia aedificabitur,*[38] hoc est divina misericordia creatus, eadem conservabitur.

Sed quidnam est: *Misericordias Domini?* An non sicut unus est Deus, ita et misericordia, quae idem est cum ipso Deo? Utique, sed propter magnitudinem plurali numero dicitur et quoniam omnem gradum pietatis et clementiae includit, sicut lux solis omnem gradum lucis et calor ignis omnem gradum caloris; nam est misericordia patris et matris erga filios, domini erga servos, amici erga amicos et consanguineos, erga pauperes, erga infirmos, erga captivos, erga reos, erga omnem denique miseriam et calamitatem; hinc saepe legimus multas et magnas misericordias Domini.[39]

Hinc *misericordias* dicit, numero plurali, propter magnitudinem huius misericordiae.

V. Duo sunt autem singularia epitheta divinae misericordiae in Sacris Litteris: quod sit magna et multa, idest infinita, et quod sit aeterna: Quoniam *misericordia ... Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum;*[40] *ab aeterno* per praedestinationem *et usque in aeternum* per finalem glorificationem: *Caritate perpetua dilexi*

Duo sunt singularia epitheta huius misericordiae: quod sit magna et aeterna.

35) Cf. Gn 2, 10. 36) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 37) Is 66, 1; Act 7, 49. 38) Hebraice 89, 1-3. Ms.: *Chi holam hesed iibaneh.* 39) Cf. Ps 50, 3; 68, 14; 85, 5, 13. 15; 105, 45; 107, 5; 118, 156. 40) Ps 102, 17. Vulg.: *Misericordia autem Domini, etc.*

te, ideo attraxi te miserans tui;[41] hoc est quod ait: *Faciens misericordiam in millibus*, idest in mille generationes, in perpetuum, *his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.*[42]

Ostenditur in hodierno Evangelio misericordia Domini magna,

In hodierno autem Evangelio ostenditur misericordia Domini magna et perfecta, quoniam Christus corde et animo misertus est afflictissimae viduae et dolentissimae matri: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus* est *super eam;* ex misericordia consolatus est verbis, *dixit ei : Noli flere*, consolatus factis: *Adolescens, tibi dico, surge.* Et statim *resedit . . . et dedit illum matri suae.* Nam multi sunt qui afflictis compatiuntur corde, naturali quadam pietate, sed non consolantur eos; alii miserentur et consolantur, sed tantum bonis et dulcibus verbis, non factis; alii autem factis quidem, sed absque suo ipsorum incommodo, vel preces miserorum expectant et nonnisi in parvis subveniunt eosque volunt perpetuo devinctos et obligatos tenere in perpetuum ob collatum beneficium.

consolatur enim afflictissimam matrem verbis et factis, sola miseratione motus.

At non sic Christus, sed videns magnam afflictionem moestissimae et desolatissimae viduae, misertus animo, verbis eam consolatus est et factis, perfecteque consolatus est eam; nullis precibus expectatis, defunctum hunc suscitavit propria miseratione motus, a nemine rogatus, impossibile enim putabatur mortuum suscitare, nondum enim aliquem mortuorum suscitaverat Christus, sed infirmos tantum curaverat. Nam immediate ante hoc miraculum refert Lucas mirabilem curationem servi centurionis, qui animam agebat et laborabat in extremis;[43] ante quam curationem Matthaeus refert mundationem leprosi ad radices montis,[44] super quem Dominus magnum sermonem habuerat.[45] Sic multa similia operatus miracula fuerat et propterea sequebatur eum *turba copiosa* una cum discipulis. Existimabant autem posse illum quidem curare omnem languorem et sanare omnem infirmitatem, non autem etiam mortuos suscitare; propterea nemo rogavit ut suscitaret defunctum adolescentem. Quare Christus ad augendam fidem suorum non rogatus voluit magnum hoc operari miraculum.

Non vacat autem mysterio quod Christus mortuum suscitaturus accessit et tetigit loculum, sed facit ad ostendendam magnitudinem

41) Ier 31, 3. 42) Ex 20, 6. Vulg.: *Misericordia in millia... praecepta mea.*
43) Cf. 7, 1-10. 44) Cf. 8, 2-4. 45) Cf. ibid. 5, 1-7, 1 sqq.; Lc 6, 12 sqq.

misericordiae ipsius erga nos, propter quam nec ipsam mortem auctor vitae abhorruit. Est autem mors veluti teterrimus et obscurissimus carcer, quo omnes divinae iustitiae debitores detinentur ad solvenda debita, ad dandas meritas pro peccatis poenas. Detentus autem in carcere ob debita, maxime principi solvenda, non extrahitur nisi solverit ipse aut alius pro eo. Debita autem hominis cum Deo magna sunt valde, ut ait Christus apud Matthaeum in parabola decem millium talentorum: *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta,*[46] infinitum plane debitum, sexies aut decies millies millium aureorum; traditus est autem tortoribus *quoadusque redderet universum debitum.*[47] Defunctus autem iste in manu erat divinae iustitiae, inclusus in carcerem propter peccati debitum; hinc accedit Christus et tangit loculum, mortis lignum, accedit ad solvendum debitum pro liberando educendoque e carcere debitore. Loculus iste, secundum Ambrosium,[48] crucis lignum significat in quo Christus mortem nostram accepit et vitam suam nobis dedit, ac si vita et mors commutabiles vestes essent; commutavit Christus candidissimam vestem suam – vestimentum eius factum est album sicut nix[49] – cum nigra sordidaque veste mortalitatis nostrae. Suscitando hodie Christus defunctum hunc obligavit se ad mortem, ut illius solveret debitum: *Maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[50]

Quae autem Christus gessit hunc defunctum suscitaturus mysterium significant divinae erga nos caritatis.

Defunctus iste genus humanum figurabat, loculus autem lignum crucis, in quo Christus moriens vitam suam nobis dedit;

Nec vacat mysterio quod Christus a civitate Capharnaum venit in civitatem Naim ad mortuum hunc vivificandum. Significat enim adventum ipsius in mundum: *Exivi a Patre et veni in mundum,*[50a] a paradiso in vallem miseriarum; nam Capharnaum interpretatur villa consolationis, Nain autem instabilis commotio. Pro salute nostra venit Christus in mundum passibilis et mortalis, ut pro nobis multas sustineret poenas et tandem mortem ipsam qua vitam nobis mereretur et gloriam sempiternam. Sic ipsa Christi passio et mors ostendunt magnitudinem divinae erga nos misericordiae et pietatis.

iter a Capharnaum in Naim adventum Christi in mundum passibilis et mortalis.

Perfecta autem ostenditur hodie Christi misericordia, quoniam

46) 18, 24. 47) Ibid. vr. 34. 48) *Exposit. in Evang. S. Lucae*, lib. 5, (P. L. 15, 1660). 49) Cf. Mt 17, 2. 50) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. Affert ex Breviario Rom. Com. Apost., 2 antiph. ad Laudes. 50a) Io 16, 28.

Ostenditur etiam misericordia Christi perfecta, aufert enim omnes miserias corporis et animi;

sicut radius solis mane orientis omnes a nostro mundo eliminat noctis tenebras, sic hodie Christi misericordia omnes abstulit miserias tum corporis tum animi: corporis quidem mortuum suscitando: *Adolescens, tibi dico, surge. Et* statim *resedit* sanus et integer, nam *Dei perfecta sunt opera,* [51] sanus corpore et sanctus anima; sic omnes abstulit miserias corporis, mortem et infirmitates omnes auferendo ipsumque iuventutis flor. restituendo; et omnes item miserias animi: *Et dedit illum matri suae,* tenebras convertit in lucem noctemque in diem, maximam moestitiam in maximam consolationem. *Dedit illum matri suae:* non apud se retinuit, *dedit... matri suae* thesaurum inaestimabilem. Mater enim amantissima pluris aestimat unicum filium, maxime unigenitum, quam omnes mundi thesauros, omnia regna mundi; *dedit illum matri suae:* quem prius dederat cum magno partus dolore, nunc iterum dat absque ullo dolore et maxima cum animi laetitia et consolatione: *Dedit illum matri suae.* O quale datum! Sic Christus perfectissimus consolator est.

et suscitat mortuum non rogatus, sed sola sua misericordia motus.

Sic igitur Christus hodie sola misericordia motus mortuum hunc suscitavit; nam filiam archisynagogi defunctam ad ipsius preces a morte revocavit: *Magister, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet;* [52] Lazarum vero ad preces sororum eius Marthae et Mariae; [53] sed hunc absque ullis meritis vel precibus, sola misericordia motus: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus... dixit... Noli flere.*

Collaudanda et magnificanda nobis est Dei misericordia.

VI. Conspecto autem tali tantoque opere divinae misericordiae, in populo spectatore ob tale spetaculum tria legimus subsecuta. Ait enim: *Accepit autem omnes timor et magnificabant,* sive glorificabant *Deum dicentes: Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.* [54] Sic collaudanda nobis est et magnificanda Dei misericordia. Sed paradoxum videtur quod ait: *Accepit autem omnes timor,* nam iustitia est quae timorem incutit, non misericordia, quae spem magis et laetitiam excitat. Quid est ergo quod hodierni miraculi spectatores, viso tali tantoque opere di-

51) Dt 32, 4. 52) Mt 9, 18. Vulg.: *Domine, filia mea,* etc. 53) Cf. Io 11, 1-44.
54) Lc 7, 16.

vinae misericordiae, timore concutiuntur? Cum Petrus subita morte corripuit Ananiam et Saphiram ob fraudem de pretio venditi agri, *timor magnus factus est in universa Ecclesia,* [55] et merito, nam fuit opus severae et valde rigorosae iustitiae; sed hic in opere talis tantaeque misericordiae quaenam erat causa timoris? Et mirandum valde est quod, cum Dominus exercuit opera iustitiae semel [56] et iterum [57] eiiciendo vendentes et ementes de templo, neminem legimus timore correptum; solos Gerasenos legimus ex opere iustitiae exterritos, cum Dominus concessit legioni daemonum abire in porcos et grex periit. [58] Sed cum exercuit opera misericordiae, sicut in hodierno Evangelio habemus, et cum paralyticum curavit ab utraque paralysi: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua... Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam;* et statim *surrexit..., videntes autem turbae timuerunt et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus,* inquit Matthaeus; [59] Lucas autem: *Et stupor apprehendit omnes et magnificabant Deum et repleti sunt timore dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.* [60]

Quid igitur? Timenda ne magis est misericordia quam iustitia? Ego quidem existimo quod turbae, conspecto tali tantoque miraculo, non conceperint timorem, ita ut male sibi timerent a Domino, sed timorem reverentialem. Nam reverentia *timor* dicitur in Divinis Scripturis: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi;* [61] sic praecipit lex *Levitico* 19: *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat;* [62] sic *Numeris* 12 dixit Dominus ad Aaron et Mariam: *Non timuistis loqui contra servum meum Moysen;* [63] et *Iosue* 4, post mirabilem transitum Iordanis, dicitur: *In die illo magnificavit Dominus Iosue coram omni Israel, ut timerent eum sicut timuerant Moysen dum adhuc viveret.* [64] Reverentia igitur quae adhibetur principibus, praelatis, magistris, ducibus, magistratibus et viris etiam sanctis, timor dicitur. Hoc timore dilectissima quamvis sponsa timet amantissimum sponsum ne oculos eius offendat, et qui a principe multa accepit beneficia timet ne ingratitudinis arguatur et tanquam in-

sed etiam reverenter timenda,

ne ingratitudinis arguamur et acceptis beneficiis spoliemur.

55) Act 5, 1-11. Vulg.: *Et factus est timor.* 56) Cf. Io 2, 14-15. 57) Cf. Mt 21, 12; Mc 11, 15-16; Lc 19, 45. 58) Cf. Mt 8, 28 sqq. 59) 9, 2-8. Vulg.: *Remittuntur tibi peccata,* etc. 60) 5, 26. 61) Ps 18, 10. Vulg.: *Permanens,* etc. 62) Vr. 3. 63) Vr. 8. Vulg.: *Detrahere servo meo Moysi.* 64) Vr. 14.

dignus acceptis et gratia principis spolietur; sic divina misericordia timenda est.

Magna ostenditur hodie misericordia divina ex magnitudine subiecti,

VII. *Misericordia motus super eam.* In hodierno Evangelio tria proponuntur consideranda de divina misericordia: subiectum, obiectum et actus. Nam tria haec considerat philosophia naturalis de potentia qualibet animali et moralis philosophia de qualibet virtute acquisita, theologia etiam de qualibet virtute infusa. Magna ostenditur misericordia ex magnitudine subiecti, obiecti et actus. Subiectum est Christus, cuius magnitudo duplici titulo hodie ostenditur: primo, quia *Dominus* simpliciter dicitur: *Quam cum vidisset Dominus.* Cuiusnam rei Dominus? Totius universi, quoniam solus ipse est Dominus coeli et terrae ac omnium quae coeli ambitu continentur: *Dominus universorum tu es.*[65] Secundo, quia turba, viso miraculo, admirans ait: *Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.*

obiecti

Magnitudo etiam obiecti duplici titulo duplicique miseria sublevanda, corporis in defuncto adolescente et animа in afflictissima et dolentissima matre, quam nec totus mundus consolari potuisset, etiam si reginam et imperatricem creasset et super omnia regna sublimasset. Solus Christus eam potuit consolari.

et actus.

Tandem magnitudo actus duplici etiam capite: quia mortuum suscitavit, opus impossibile universae naturae creatae, et suscitatum dedit matri suae, magnum opus et magnum donum. Sic ab initio Deus mundum creavit et creatum homini dedit: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;*[66] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[67]

Accedit Christus ad loculum ut videret mortis miseriam,

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus est. Sicut in animalibus visio oculorum excitat vel maxime passiones cordis, concupiscentiam vel iram, et in homine[68] cognitio excitat movetque animum, nam voluntas nonnisi in praecognitum ferri potest,[69]

65) Est 13, 11. Vulg.: *Dominus omnium tu es.* Affert ex Missali Rom., Dom. 3 post Pascha. 66) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 67) Ps 8, 6-8. 68) Ms.: *Omne.* 69) Ex noto axiomate philosophico: « Nil volitum quin praecognitum », de quo cf. S. Thomas *S. Theolog* 1ª, q. 80, a. 2; q. 82, a. 3; 1ª 2ae, q. 8, a. 1.

nam voluntas cognitione movetur.

sic cum subiectum misericordiae sit divinum cor, et voluntas cognitione miseriarum movetur, si ita loqui fas est, ad misericordiam praestandam. Hoc est: *Quam cum vidisset... misericordia motus* est Dominus. Nisi vidisset, misericordia motus non fuisset; sic cum vidit afflictionem Hebraeorum in Aegypto, descendit ad liberandum eos Moysique in ardenti rubo apparuit et eum ad opus illud peragendum misit: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto et clamorem eius audivi... et sciens dolorem eius, descendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorum et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quae fluit lacte et melle.* [70] Sic accessit Christus ad loculum ad videndam mortis miseriam. Sicut autem accedens lux communicat splendorem accensaque lucerna accedens ad extinctam iterum eam accendit, sic Christus accedens ad defunctum virtutis suae communicatione eum vivificavit.

Tribus causis movetur Deus ad vivificandum hominem a morte peccati:

VIII. *Misericordia motus super eam, dixit ei : Noli flere.* Tribus causis motus videtur Dominus ad mortuum hunc vivificandum: primo, quidem misericordia et pietate sua; secundo, ob lacrimas afflictissimae matris: *Noli flere,* et tertio, acerba et praematura morte: *Adolescens, tibi dico, surge.* Sic ad vivificandum hominem a morte peccati tribus hisce causis movetur Deus. Primo quidem, misericordia sua; hoc est quod per Ieremiam Dominus ait capite 3: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra?... Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus;* [71] et postea: *Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum,* hebraice כִּי־חָסִיד אֲנִי, *quia misericors, clemens ego sum.* [72] Secundo, poenitentia nostra: sic patet in David, [73] Manasse, [74] Ninivitis, [75] Nabuchodonosor, [76] Petro, [77] Paulo, [78] Magdalena [79] et aliis innumeris, quod docuit Dominus in parabola filii prodigi. [80] Tertio, fragilitate humana: sic post diluvium dixit Deus Noe: *Nequaquam ultra male-*

misericordia sua,

poenitentia nostra

et fragilitate humana.

70) Ex 3, 7-8. 71) 3, 1. 72) Ibid. vr. 12. Ms.: *Chi hasid ani.* 73) Cf. 2 Rg 12, 16. 74) Cf. 2 Par 33, 12. 75) Cf. Ion 3, 6 sqq. 76) Cf. Dn 4, 31 sqq. 77) Cf. Mt 26, 75; Mc 14, 72; Lc 22, 62. 78) Cf. Act 9, 19-22. 79) Cf. Lc 7, 37 sqq. 80) Cf. ibid. 15, 11 sqq.

dicam terrae propter homines, sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. [81] Haec tria complexus fuit Regius Vates *Psalmo 102* dicens: *Secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* [82] Et quidem peccatum ignorantia et fragilitate carnis admissum facile apud Deum obtinet veniam; hoc est quod Christus ait: Qui peccaverit in Filium, *remittetur ei, qui* autem peccaverit in Spiritum Sanctum, *non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* [83]

Non legimus Christum senem aliquem a mortuis suscitasse; hoc mysterium innuit.

IX. Non legimus Dominum senem aliquem a mortuis resuscitasse, sed tantum florenti aetate: filiam archisynagogi, puellam annorum duodecim, [84] hodiernum autem defunctum adolescentem, et Lazarum iuvenili aut virili aetate. [85] Suscitavit igitur Dominus mortuum puerili aetate, cuius mors erat occulta in paterna domo; suscitavit mortuum adolescente aetate, in porta civitatis; suscitavit Lazarum in iuvenili aut virili aetate, in monumento quattuor dies habentem; quartum autem senili aetate, in cinerem redactum in monumento, minime legimus suscitasse. Hoc est quod Dominus per Amos prophetam pluries replicat: *Super tribus sceleribus . . . et super quartum non convertam eum.* [86]

Unicuique a Deo praefixus est certus numerus peccatorum, quo completo, nulla ei relinquitur spes veniae.

Divus Augustinus libro *De Vita Christiana*, capite 4, docet quod unicuique a Deo praefixus est certus numerus peccatorum, tandiu autem sustineri ut convertantur quandiu non compleverint cumulum illum peccatorum, quo completo, nullam eis veniam ait relinqui. [87] Et hoc est quod Dominus Abrahae dixit *Genesi* 15: *Nondum . . . completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus;* [88] et capite 18 loquens de Sodomaeis et Gomorrhaeis: *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* [89] Sic inquit Divus Augustinus Dei ipsius testimonio comprobari esse certam quandam peccatorum mensuram, post quam

81) Gn 8, 21. 82) Vrr. 11-14. 83) Mt 12, 32. 84) Cf. Lc 8, 41 sqq.
85) Cf. Io 11, 39. 86) 1, 3. 6. 9. 11. 13; 2, 1. 4. 6. Vulg.: *Super quattuor,* etc.
87) P. L. 40, 1035-1036. 88) Vr. 16. Vulg.: *Necdum... completae,* etc. 89) Vr. 21.

non expectanda sit venia. Et hoc manifeste etiam in Evangelio docere videtur Dominus dicens Iudaeis: *Implete mensuram patrum vestrorum.* [90] Plenitudo autem haec in impoenitentia consistit, nam ut Salomon ait *Proverbiis* capite 18: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit;* [91] sic et Paulus *ad Romanos: Existimas... o homo... quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* [92] Sic idem Paulus dicit quod Esau *non... invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrimis exquisisset eam;* [93] sic Samuel Sauli dixit: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie... Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur, neque enim homo est ut agat poenitentiam;* [94] et Dominus per Ieremiam: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; eiice illos a facie mea;* [95] Deus etiam Samueli lugenti et oranti pro Saul ait: *Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum* a facie mea *ne regnet super Israel?* [96] Hoc est quod Deus ait Moysi: *Ego indurabo cor* Pharaonis; [97] hoc quod Isaiae: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ut videntes non videat oculis et auribus suis non audiat et corde suo non intelligat ne convertatur et sanem eum;* [98] hoc quod Paulus ait quod Deus Gentiles *tradidit... in reprobum sensum.* [99]

Plenitudo peccatorum in impoenitentia consistit.

Vide ergo, homo, ne impleas numerum peccatorum tuorum, ne senescas in peccatis, quia non suscitaberis. Non enim ab re peccatum mors dicitur, sed ad ostendendum quod potest quidem homo seipsum occidere per peccatum, sed non vivificare, et quod sicut solus Deus potest vivificare mortuum corpore, ita et mortuum spiritu. Quoniam vero peccator aliquando eousque in iniquitate procedit ut sit omnino indignus divina misericordia per cordis du-

Cavendum ergo nobis est ne impleamur numerum peccatorum, quia non suscitabimur.

90) Mt 23, 32. 91) Vr. 3. 92) 2, 3-5. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ignoras*. 93) Hebr 12, 17. Vulg.: *Inquisisset eam*. 94) 1 Rg 15, 28-29. 95) 15, 1. 96) 1 Rg 16, 1. 97) Ex 4, 21; 7, 3. 98) 6, 10. Vulg.: *Ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum*. 99) Rom 1, 28.

ritiam et impoenitentiam, relinquitur in manu divinae iustitiae, quae permittit hominem talem vehementer tentari a diabolo, mundo, vel carne, ita ut impossibile ei videatur abstinere a peccato et vitia sua non sequi. Hinc poenitentiam semper procrastinant, cum corvis semper dicentes: c r a s, c r a s, nunquam hodie, imo eo ducuntur ut contemnant poenitentiam cum praedicatur eis, per quam solum salvari possunt.

Ad suscitandum adolescentem hunc accessit Dominus et tetigit, faciens ut portitores consisterent, per quae duo verba designatur duplex genus auxilii divini, quorum alterum est sufficiens, sicut ad excitandum mane dormientes sufficit aperire fenestras eosque clamore expergefacere et rumore; aliud efficax et superabundans, cum commoventur, sicut Angelus, percusso Petri latere, *excitavit eum dicens: Surge velociter,*[100] Hoc est *accessit et tetigit.*[101] Ad hoc autem auxilium non movetur Deus nisi poenitentia, sicut Christus motus est lacrimis matris. Prius autem non est efficax semper, sicut fuit in Ninive praedicatio Ionae,[102] nam cum Loth diceret generis suis: *Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc... visus est eis quasi ludens loqui;* efficax autem auxilium ibidem legimus, quod Angeli apprehenderunt per manus Loth cum uxore et filiabus et de medio civitatis eduxerunt ne cum aliis perirent in incendio.[103] Indignis autem non dat Deus huiuscemodi auxilium, sed tantum sufficiens, quod multi spernunt: *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.*[104]

deerit enim nobis efficax auxilium gratiae,

quod sola poenitentia obtinetur.

X. *Adolescens, tibi dico, surge. Et* statim *resedit qui fuerat mortuus et coepit loqui, et dedit illum matri,* etc.[105] Exigere videbatur a nobis hodie evangelica lectio ut de morte et mortuorum resurrectione institueremus sermonem. Nam utrunque nobis certissimum est: primum quidem ex sensata et quotidiana experientia, secundum vero ex fide et veritate Divinarum Scripturarum. Sed neminem esse puto qui nesciat se moriturum et non credat se moriturum quidem corpore, semper autem victurum anima et tandem corpore

Necesse non est nunc de mortuorum resurrectione agere,

100) Act 12, 7. 101) Lc 7, 14. 102) Cf. Ion 3, 1 sqq. 103) Gn 19, 14-16. 104) Prv 18, 3. Vulg.: *Cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* 105) Lc 7, 14-15. Vulg.: *Qui erat mortuus, etc.*

simul et anima resurrecturum, nam resurrectio mortuorum, quae unus de principalibus est nostrae fidei articulis, manifestissima est in Divinis Scripturis.

In Evangelio enim habemus tres mortuos suscitatos,[106] in *Actis Apostolorum*, duos, nam Petrus suscitavit Tabitham[107] et Paulus Eutychum.[108] In Veteri autem Testamento tres leguntur mortui suscitati; Elias enim suscitavit filium viduae sareptanae,[109] Eliseus autem vivens suscitavit filium mulieris sunamitidis[110] et mortuus suscitavit hominem occisum,[111] sicut, mortuo Domino, *multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.*[112] Et quod mirabile est, apud ethnicos etiam legimus mortuorum resurrectionem, nam Plato *Dialogo 10 de Republica* agens de animae immortalitate, eam comprobat historia resurrectionis Heri Armenii Pamphilii, genere praestantissimi, ut ait, viri, qui delatus ut sepeliretur, cum bello obiisset, duodecimo ab obitu die revixit narravitque et iustorum praemia et iniquorum poenas decuplas post hanc vitam esseque in coelo locum gloriae et felicitatis perpetuae paratum iustis, in inferno autem locum poenarum in perpetuum paratum iniquis.[113]

De mortuis suscitatis testimonia habentur in S. Scriptura et etiam apud Platonem;

Christus itaque sicut hodie potenti virtute verbi sui defunctum hunc suscitavit, ita in fine mundi imperio maiestatis suae omnes homines suscitabit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;*[114] sed ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,*[115] non omnes glorificabimur, sed cum ante tribunal Christi omnes gentes congregatae fuerint, *segregabit eas ab invicem sicut pastor segregat oves ab haedis, et statuet oves quidem a dextris... haedos autem a sinistris;*[116] illi tantum tunc suscitabuntur corpore ad gloriam, qui hic nunc spiritu fuerint suscitati ad gratiam.

Christus itaque sicut hunc suscitavit, ita in fine mundi omnes suscitabit;

Dicendum igitur nunc aliquid nobis est de spirituali morte peccati et spirituali resurrectione per gratiam. Nam Paulus in hodierna Epistola de spirituali vita loquitur: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus;*[117] et de spirituali morte, quae tamen revocari

dicendum potius aliquid est de spirituali morte et resurrectione.

106) Cf. Mt 9, 24-25; Lc 7, 14-15; Io 11, 43-44. 107) Cf. 9, 40-41. 108) Cf. ibid. 20, 9-12. 109) Cf. 3 Rg 17, 19-23. 110) Cf. 4 Rg 4, 32-36. 111) Cf. ibid. 13, 20-21. 112) Mt 27, 52. 113) Pag. 385. 114) 1 Cor 15, 22. 115) Ibid. vr. 51. 116) Mt 25, 32-33. Vulg.: *Separabit eos*, etc. 117) Gal 5, 25. Cf. Missale Rom. hac Dominica.

potest ad vitam gratiae: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* [118] Ecce defunctus adolescens, homo detentus in delicto, qui spiritu non vivit, sed mortuus spiritu est.

Per adolescentem defunctum designatur peccator qui ignorantia et fragilitate peccat.

Per adolescentem defunctum designatur peccator qui ignorantia et fragilitate peccat, victus tentationibus carnis et diaboli mundique huius, qui *totus in maligno positus est.* [119] In iuvene enim adolescente corpus quidem viribus validum est, fervet sanguis, ardet spiritus carnis, ignis concupiscentiae accensus est ad instar babylonicae fornacis; [120] anima autem debilis est propter ignorantiam et inexperientiam rerum, ignorantia autem radix et fomentum est omnium malorum. Sic spiritus tanquam mortuus iacet in loculo corporis quattuorque portatur vitiis ad sepulturam perditionis aeternae: ignorantia, concupiscentia, fragilitate et malitia; ignorantia rerum spiritualium, concupiscentia carnalium, fragilitate ad bene agendum impotenti et malitia mundi et diaboli ad male agendum: *Sapientes sunt ut faciant malum, bene autem facere nescierunt.* [121]

Sicut mors corporalis est separatio animae a corpore, ita mors spiritualis est separatio animae a Deo.

Mors corporalis est separatio animae a corpore et spiritus a carne per defectum caloris naturalis et humidi primigenii spirituumque naturalium, vitalium et animalium; sic mors spiritualis est separatio animae a Deo per defectum gratiae, caritatis et devotionis. Homo mortuus nil videt, nil audit aut sentit, olfacit, gustat, agit aut movetur; sic spiritus et animus a Deo alienus insensatus est in quae ad Deum spectant, tanquam dormiens gravi letargo oppressus et quasi mortuus; hinc P a u l u s ait: *Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te,* idest vivificabit te *Christus,* [122] qui est *resurrectio et vita.* [123]

118) Gal 6, 1. 119) 1 Io 5, 19. 120) Cf. Dn 3, 46-47. 121) Ier 4, 22. Vulg.: *Ut facient mala,* etc. 122) Eph 5, 14. 123) Io 11, 25.

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN

I. Corporalia bona, quae in magno hoc mundi theatro, in coelo et in terra, oculis conspiciuntur, veluti imagines et hieroglyphica quaedam sunt invisibilium spiritualiumque rerum; sic sol Deum significat, stellae Angelos, lux divinam sapientiam et bonitatem, ignis caritatem. In parvo etiam mundo, homine, qui universi compendium est, facies designat animum, oculus mentem, cor voluntatem; et mala etiam corporalia symbola sunt malorum spiritualium; infirmitates enim vitia designant, caecitas ignorantiam, febris concupiscentiam, surditas animi malitiam. Sic hydrops, morbus, a quo Christus hodie divino miraculo affectum virum sua virtute curat, [1] animi morbum significat: ob aquosum quidem humorem libidinem, ob sitim vero inexplebilem avaritiam et ob tumorem a vitiato epate emanantem, quo veluti tympanum redditur infelix hydropicus, fastum designat superbiae. Hinc Christus, post sanatum hydropicum, veluti a figura transiens ad veritatem, de humilitate sermonem instituit ostendens quod *omnis qui se humiliat exaltabitur et qui se exaltat humiliabitur.* [2]

Hydrops, morbus corporis, animi morbum significat.

***Intravit Iesus in domum cuiusdam pharisaei sabbato manducare panem, et ipsi,* etc.** [3]

II. Sicut Saul invidia et odio in sanctum Davidem stimulatus multas ei tetendit insidias et in mensa etiam perdere eum vo-

1) Cf. Lc 14, 2-4. 2) Ibid. vr. 11. Ordine inverso affert hunc vr. 3) Pericope huius dicit Lc 14, 1-11. Vulg.: *Principis Pharisaeorum.* Cf. Missale Rom. In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut arca Domini ingressa in domum Obededom magnam ei attulit divinae bonitatis benedictionem, quapropter David arcam introducere voluit in domum suam,

Invidia moti Pharisaei Christo insidias parant,

luit,[4] sic Pharisaei Christo tendunt insidias; parant hodie convivium Christo, sed ea mente qua Absalom paravit convivium fratri suo Amnoni ad perdendum eum,[5] qua serpens antiquus incitavit primos nostros parentes ad comedendum de ligno scientiae boni et mali.[6] Christus autem omnibus fraudibus superior, sicut sol omnes tenebras vincit easque illuminat, invitatus accessit salutis hominum quam cupidissimus, tentans si quo modo posset hostes suos ad viam veritatis salutisque perducere. Ut autem ostenderet aperta sibi esse cordium ipsorum perversa consilia, petit: *Si licet sabbato curare?*[7] *benefacere an male, animam salvam facere an perdere?*[8] Statuerant illi domi hydropicum, ut si eum Dominus misericordia motus curasset, eum tanquam sabbati violatorem legisque divinae transgressorem accusare possent. Sed Dominus hac interrogatione destruit eorum prava consilia et devorat virga Moysi serpentes magorum Pharaonis[9] et arca Dei in templo Dagon posita a Philisthaeis ipsum Dagonem prosternit in terram eiusque et caput et manus praecidit.[10] Hac interrogatione Christus amputat malignitati Pharisaeorum caput et manus, ut neque scirent neque possent Christum, ut praetendebant, accusare et perdere. Haec interrogatio veluti lapis ille est quo David Goliam prostravit in terram.[11]

Christus autem sapienti interrogatione deludit malitiam eorum.

Ostendit autem Christus in hoc convivio divinam tum sapientiam, tum bonitatem, tum potentiam; ipse enim est sacrosancta

sic Christus ingressus hodie in domum principis Pharisaeorum, divinam bonitatem exercet, maxime erga hydropicum corpore et erga omnes hydropicos spiritu, ambientes primos recubitus, primatum honoris. In hodierno autem Evangelio tria praecipue pertractanda sunt nobis: primum est magnitudo divinae bonitatis et caritatis in Christo; secundum magnitudo cupiditatis mundanae in hydropico, et tertio, quomodo Christi caritas vicit mundanam cupiditatem in mirabili curatione hydropici. Christi caritas est veluti lux solis, mundana cupiditas veluti umbra terrae, quae suapte natura pergit in infinitum lunamque eclipsat et solari similitudine privat. Elucebit magnitudo caritatis Christi si consideremus quid significet ingressus in domum pharisaei, quod est adventus in hunc mundum; quid *manducare panem*, quod supposuit se necessitati et paupertati; quid *ipsi observabant eum*, quod supposuit se persecutionibus hominum, unde in cruce mortuus est; quid *si licet sabbato curare*, quod supposuit se legi mosaicae; quid quod Christus cibum reliquit et potum ut curaret hydropicum, a quo nihil sperare poterat, quia erat *homo quidam*, idest homo non dives, potens et nobilis, sed pauper et humillimae fortunae, et erat hydropicus, infirmus incurabili infirmitate; hunc tamen Christus tantopere dilexit: *Sic... Deus dilexit mundum*, ut pro eo ad mortem seipsum exposuerit. Mundi vero cupiditas elucet in hydropisi, in siti inextinguibili honorum et voluptatum: *Primos recubitus* in coenis *eligerent*, et hinc oritur avaritia inexplebilis ».

4) Cf. 1 Rg 19, 9-18.
5) Cf. 2 Rg 13, 23-29.
6) Cf. Gn 3, 1-6.
7) Lc 14, 3.
8) Ibid. 6, 9.
9) Cf. Ex 3, 7-12.
10) Cf. 1 Rg 5, 1-5.
11) Cf. ibid. 17, 48-50.

arca Dei in qua asservabatur virga divinae potentiae,[12] manna divinae bonitatis[13] et thesaurus divinae sapientiae in tabulis legis.[14] Sapientiam vero Christus ostendit dum interpretatur divinam legem, quod licet sabbato curare, benefacere, animam salvam facere; dum etiam docet humilitatem esse viam salutis, superbiam vero viam perditionis et dum Pharisaeorum secreta cordium consilia manifestat; bonitatem ostendit erga hydropicum, quem misericorditer divino miraculo sanat ex mera bonitate sua, nullis infirmi exigentibus meritis; potentiam vero contra hydropisim, nam, apprehensa manu eius, *sanavit eum ac dimisit.*[15]

In hoc convivio ostenditur mira sapientia, bonitas et potentia Christi.

E contra vero, sicut in Christo cernimus divinam potentiam, sapientiam et bonitatem, sic in domo huius pharisaei humanam cernimus fragilitatem, ignorantiam atque malitiam: in Pharisaeis quidem malitiam, quoniam *observabant eum,*[16] ut possent accusare eum; et ignorantiam, quoniam interrogati a Christo: *Si licet sabbato curare,* tacuerunt, respondere Christo nescientes; fragilitatem vero carnis et concupiscentiam in hydropico, haec enim per hydropisim optime designatur, a carnis enim fragilitate et concupiscentia oritur tum luxuria, tum avaritia, tum superbia, quae quidem tria vitia per tres hydropisis qualitates significantur.

et e contra, fragilitas, ignorantia et malitia humana.

III. *Intravit Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem.* Famelicus intrat Christus domum pharisaei[17] ad manducandum; sed inquit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me ut perficiam opus eius.*[18] Fames Christi est ingens desiderium gloriae Dei et salutis humanae: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*[19] Dei, quae via salutis est, scala coeli et porta paradisi. Divina caritate ductus ingressus est Christus in domum inimicorum suorum, nam *ipsi observabant eum,* hoc est insidiabantur ei.

Fames Christi est desiderium gloriae Dei et salutis animarum.

D i v u s P a u l u s in hodierna Epistola cupit ut cognoscamus magnitudinem Dei et caritatis Christi dicens *Ephesiis: Flecto genua . . . ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas*

D. Paulus cupit ut cognoscamus magnitudinem Dei,

12) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 13) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 14) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 15) Lc 14, 4. 16) Ibid. vr. 1. 17) Ms.: *Pharisaeo.* 18) Io 4, 34. 19) Mt 5, 6.

in coelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. [20] Ubi Divus Paulus alludit ad illud Iob: *Excelsior coelo est et quid facies ? profundior abysso* sive *inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura eius et latior mari ;* [21] hoc est magnitudo Dei immensa, infinita et aeterna est, coelum et terram adimplens [22] et excedens, ita ut eum coelum et coeli coelorum capere non possint. [23]

sed praecipue magnitudinem caritatis Christi.

Sed praecipuum Apostoli desiderium est ut cognoscamus magnitudinem caritatis divinae, latitudinem, longitudinem, sublimitatem et profunditatem. Latitudinem, qua diligit omnes: *Diligis enim omnia . . . et nihil odisti eorum quae fecisti;* [24] *Vult omnes homines salvos fieri* [25] et neminem vult perire; [26] longitudinem, quia: *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* tui; [27] *Misericordia . . . Domini ab aeterno et usque in aeternum ;* [28] sublimitatem et altitudinem, qua cupit omnes tanquam carissimos filios coelestis regni totiusque gloriae suae hereditate in aeternum donare; et profunditatem, idest humilitatem, qua unigenitum suum dignatus est dare ad mortem crucis pro salu'e mundi: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [29] et ipse unigenitus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus. . . esse se aequalem Deo . . . semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* factusque ex nimia humilitate *obediens usque ab mortem, mortem autem crucis.* [30] Haec est caritas Christi, quam dicit Apostolus *supereminentem scientiae,* idest omni [31] scientia et cognitione superiorem, quae omnem intellectum excedit; sicut alibi dicit: *Et pax Dei, quae exuperat omnem*

20) 3, 14-19. Vulg.: *In coelis et in terra*, etc. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *In interiorem hominem.* 21) 11, 8-9. 22) Cf. Ier 23, 24. 23) Cf. 3 Rg 8, 27; 2 Par 6, 18. 24) Sap 11, 25. 25) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 26) Cf. 2 Petr 3, 9. 27) Ier 31, 3. 28) Ps 102, 17. 29) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum*, etc. 30) Phil 2, 6-8. 31) Ms.: *Omnia.*

sensum;[32] sic ait: *Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi.* Carent enim Graeci sexto casu, et genitivo pro ablativo utuntur; sic est: Caritas supereminens scientiae, idest scientia superior.

Deus aeternus et infinitus ex caritate subiectus factus est tempori, loco, necessitati,

IV. Hanc divinam et incomprehensibilem Christi caritatem videmus in hodierno Evangelio: *Intravit Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem.* Deus infinitus et aeternus, omni loco et tempore superior, factus est loco et tempori subiectus: *Intravit in domum:* ecce locus, *sabbato:* ecce tempus. Sed parum hoc est, subiecit seipsum indigentiae et necessitati: *Manducare panem.* Sic Paulus ait *2 Corinthiis: Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*[33]

legi, hominibus, persecutionibus.

Amplius, ex divina hac caritate legi se subiecit; hinc hodie quaerit: *Si licet sabbato curare?* subiecit se hominibus, Dominus omnium servis se subdidit: ingressus est *in domum... principis Pharisaeorum;* subiecit se impiorum hominum calumniis, passionibus et persecutionibus: *Et ipsi observabant eum.*

Figura huius caritatis rubus Moysi.

Hoc est quod Deus Moysi apparuit in rubo ardenti, in medio spinarum et flammarum;[34] et super montem Sinai descendit in medio ignis et caliginis, in medio obscurae nubis,[35] ignis nanque et spinae acerbas designant tribulationum passiones, tenebrae autem et obscuritas privationem desiderabilium bonorum et mortem. Hisce divinis spectris veluti hieroglyphicis figuris ostenditur magnitudo caritatis Christi; nam vulgo volens quis ostendere magnum erga aliquem amoris affectum dicere solet: Intrarem ob illius amorem in ignem, exponerem vitam pro eo et sanguinem darem.

Hanc divinam caritatem hodie cernimus.

Hanc caritatem Christus hodie ostendit, dum ad promovendam salutem nostram in domum ingressus est inimicorum suorum. Sciebat Christus quod a Iudaeis multas passurus erat persecutiones, multas iniurias et calumnias tandemque ex immani odio mortem crucis. Iudaeus tamen fieri voluit et Iudaeorum principibus seipsum subiecit, ad ostendendam magnitudinem divinae erga nos caritatis suae, ad curandam hydropisim humani generis: *Et ecce homo quidam*

32) Phil 4, 7. 33) 8, 9. 34) Cf. Ex 3, 2. 35) Cf. ibid. 19, 16-20.

hydropicus erat ante illum. [36] Vocatur hic hydropicus non personae nomine, sed speciei, non Petrus aut Ioannes, sed *homo*, quoniam universum genus humanum spiritualis hydropisis morbo infectum laboransque [37] significat. Cum enim homo serpentis antiqui suggestione peccavit, tunc evasit hydropicus; ait nanque serpens: *Nequaquam . . . moriemini*, sed *eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [38] En triplex desiderium: vitae perpetuae: *Nequaquam . . . moriemini ;* honoris et gloriae supremae: *Eritis tanquam dii*, tanquam summi principes, absoluti domini totius universi et scientiae, cognitionis omnium rerum: *Scientes bonum et malum.* Haec est hydropisis, sitis insatiabilis, inexplebilis, inextinguibilis.

Hydropicus iste genus humanum figurabat.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, laborans desiderio vitae perpetuae in hoc mundo. Cupimus autem vitam felicem, haec autem commoditates et voluptates sensuum requirit, divitias atque delicias, hinc ex hac φιλαυτία, [39] ex hoc amore sui oritur avaritia et libido. Quis est enim qui secundum carnem vivens tanquam animalis homo, qui *non percipit* nec sapit *quae sunt spiritus Dei*, [40] qui non semper cupiat longiorem vitam? non pro viribus mortem refugiat? non desideret copiosiores divitias? uberiores voluptates, ampliores honores? scientiam et rerum cognitionem multo maiorem?

Hydropisis designat triplicem concupiscentiam.

V. *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Hydrops et intercutaneus morbus hic, quatenus spiritualis infirmitatis est symbolum, non unum tantum vitium designat, sed omne vitium, praecipue vero tria illa maxima quae totum mundum implent: *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [41] Nam morbus iste hydropicus primo quidem habet nimiam humoris abundantiam, nanque ab aquoso humore vocabulum sumit, et propterea hydropicus comparatur a Domino animali quod in puteum cecidit, ita ut, nisi praesto auxilium sit, aquis suffocetur; [42] secundo habet sitim inextinguibilem, ita ut quanto magis bibit eo magis sitit infelix hydropicus; tertio tumorem habet proficiscentem ex hepate vitiato, et foetorem flatus. Ratione ergo

36) Lc 14, 2. 37) Ms.: *Laboratemque.* 38) Gn 3, 4-5. 39) Ms.: *Philautia.*
40) 1 Cor 2, 14. 41) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est*, etc.
42) Cf. Lc 14, 5.

humoris redundantis libidinem carnisque lubricitatem designat quae vere cacochymi mali humoris redundantia est; ratione vero sitis inextinguibilis designat avaritiam, quae nunquam dicit: sufficit;

« Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae » ; [43]

« Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit » ; [44]

et tandem ratione tumoris et foetentis exalationis designat superbiam.

Hanc hydropisim expressit Salomon dicens: *Non satiatur oculus visu nec auris impletur auditu, Ecclesiaste* 1, [45] et 5 capite: *Avarus non implebitur pecunia et qui amat divitias fructum non capiet ex eis . . . Ubi multae sunt divitiae, multi* sunt *qui comedunt eas, et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* [46] Hanc eandem in *Proverbiis* 30: *Sanguisugae duae sunt filiae dicentes : Affer, affer. Tria sunt insaturabilia et quartum . . . nunquam dicit : Sufficit : infernus . . . os vulvae . . . terra quae non satiatur aqua,* et *ignis . . . nunquam dicit : Sufficit ;* [47] et *Proverbiis* 27: *Infernus et perditio nunquam implentur, similiter et oculi hominum insatiabiles,* [48] hoc est sicut mors insatiabilis est, ita humana cupiditas.

quam Salomon etiam expressit;

Hydrops morbus in corpore duplici ex causa generatur: vel ex defectu virtutis digestricis, nam indigestio corpus malis humoribus implet, vel ex defectu virtutis expultricis quae superflua excrementa fecesque a corpore non expellit. Sic in spiritu ex defectu caritatis, quia non vere Deum ex toto corde diligimus veraque et sempiterna bona in coelis, sed vana et temporalia in terris, oritur et augetur vitium cupiditatis, et ex mala conscientia quae vitia et peccata non odit et fugit.

oritur autem in anima ex defectu caritatis et ex mala conscientia;

Quamvis autem omnia, quae diximus, vitia morbus iste designet, praecipue tamen designat ambitionem honoris. Nam cum Dominus curasset hydropicum, volens spiritualem hydropisim curare, intendens quod *primos accubitus eligerent* in coenis, dixit invitatis: *Cum invitatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco . . . quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* [49]

sed praecipue designat ambitionem.

43) Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 215. 44) Iuvenalis *Satyr.*, 14, vr. 215. 45) Vr. 8. Vulg.: *Non saturatur . . . auditu impletur.* 46) Vrr. 9-10. Vulg.: *Ubi multae sunt opes*, etc. 47) Vrr. 15-16. 48) Vr. 20. 49) Lc 11, 7-14. Vulg.: *Non discumbas*, etc.

Dat igitur documentum humilitatis, ut doceat quod superbia et ambitio est spiritualis hydrops.

Insatiabile est honoris desiderium;

VI. Et profecto insatiabile supra modum est honoris et laudis desiderium, unde ait ille.

« Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis »; [50]

Eritis sicut dii, vel sicut Deus: *Similis ero Altissimo.* [51] Tota coeli gloria mundique totius principatus Lucifero non suffecit in paradiso coelesti, nec homini in terrestri totius universi dominium. Huic autem proxime accedit avaritia; hinc Dominus hodie dixit principi Pharisaeorum qui ipsum invitaverat: *Cum facis prandium aut coenam, noli vocare... divites, ne forte et ipsi reinvitent te et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes... et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum.* [52] Sic Dominus curare voluit spiritualem hydropisim superbiae et avaritiae prius quidem factis et postea verbis, imo factis potius quam verbis; nam hodiernum hydropicum non verbis curavit, sed factis: apprehensa manu eius, *sanavit eum ac dimisit.*

Dominus autem hunc morbum in nobis curare sategit,

Sic Dominus factis exemplisque suis sategit curare spiritualem hydropisim. Ad quid enim Christus pauper et humilis venit in mundum? An non tanquam alter Salomon ditissimus et gloriosissimus rex, [53] imperator et monarcha totius universi potuit venire? An non gloriosus apparere mundo, sicut in transfiguratione apparuit? [54] An non sicut traxit Magos ab oriente ad ipsum adorandum, [55] potuit trahere ad se omnes mundi principes et reges? Utique, omnia potuit minimo negotio, sed non extinxisset hanc sitim hydropici inextinguibilem, imo potius suae gloriae et divitiarum exemplo magis magisque accendisset.

docens exemplo et doctrina terrena omnia contemnenda esse;

Suo igitur exemplo Dominus voluit hydropisim hanc curare, ut scirent homines quod si temporalia haec vere bona essent et hominem beatificare possent, ipse Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei [56] quique Dei virtus et sapientia

50) Iuvenalis *Satyr.*, 10, vr. 168. 51) Is 14, 14. 52) Lc 14, 12-14. Vulg.: *Te et ipsi reinvitent... retribuetur enim tibi*, etc. 53) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9, 22-28. 54) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 29. 55) Cf. Mt 2, 1-2. 56) Col 2, 3.

est, [57] pro se haec utique elegisset; at vero renuit tanquam vana et fallacia bona docuitque tum exemplo tum doctrina fugienda esse, contemnendos ex alto mundi honores, spernendas ac nihili faciendas terrenas divitias. Et sic hodie verbis hoc docuit, fugiendos honores, non quaerendas mundi temporarias sed aeternas coeli divitias.

Totus igitur Christus est in quaerenda humana salute, propterea ingressus est in domum inimicorum suorum, qui eum oderant perdereque eum quaerebant: *Et ipsi observabant eum; Observabit peccator iustum et stridebit dentibus in eum.* [58] Christus autem non timet, non veretur pericula subire pro salute hominum, nam ait: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* [59] pugnans cum lupis pro salute ovium, sicut David pugnavit cum leone et urso ad eripiendas oves de faucibus eorum. [60] Fecit hodie Christus sicut tres fortissimi milites David, qui cum eum dicentem audissent: *O si quis mihi daret potum aquae de cisterna... Bethlehem iuxta portam!* [61] cum exercitus Philisthaeorum esset in Bethlehem, tres viri fortissimi armata manu irruperunt castra Philisthaeorum, hauserunt aquam de cisterna illa et attulerunt ad eum; [62] opus plane heroicae virtutis, intrepido animo spreverunt omne periculum ut suo principi gratum quid facerent. Sic hodie Christus sciens quod Deus sitientissimus est salutis humanae, hodie in medium inimicorum suorum irrupit ut hominem hunc salvaret.

et propterea non veretur pericula subire pro salute hominum ex nimia caritate sua,

Quare merito Christus ante lectionem hodierni Evangelii caritatem suam comparavit amori gallinae erga pullos dicens: *Ierusalem, Ierusalem... quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti!* [63] haec enim avis pro pullorum amore tota veluti consumitur omniaque pericula spernit et cum milvis pugnat ad salvandum pullum. Et sequenti capite tribus parabolis ostendit Christus quanti faciat salutem hominis, quamvis peccatoris. parabola pastoris quaerentis ovem perditam, parabola mulieris quaerentis drachmam amissam et parabola patris magna cum caritate et exultatione suscipientis prodigum filium ac si a mortuis surrexisset. [64]

quam eloquentissimis parabolis extollit;

57) Cf. 1 Cor 1, 24. 58) Ps 36, 12. Vulg.: *Stridebit super eum dentibus.*
59) Io 10, 11. 60) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 61) 2 Rg 23, 15. 62) Cf. ibid. vr. 16.
63) Mt 23, 37; Lc 13, 34. 64) Cf. Lc 15, 4 sqq.

ideo arguit Iudaeos quod pluris facerent animalia quam hominem.

Et in hodierno Evangelio arguit Christus Iudaeos quod pluris facerent animalia quam hominem: *Cuius vestrum*, inquit, *bos aut asinus in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?* [65] Quanto magis ergo curandus est salvandusque homo in die sabbati ab omni malo et interitu? Docet quod praeferendus est homo etiam sabbato, nam ait quod sabbatum factum est propter hominem, [66] non homo propter sabbatum, propterea, inquit, licet sabbato curare et quaerere salutem hominis. [66a] Sabbatum enim ad salutem humanam promovendam institutum fuit, ita ut si propter veram inevitabilemque necessitatem homo violet sabbatum, non sit divinae legis transgressor, sicut nec David fuit cum sanctificatos panes, necessitate urgente, comedit, quos secundum legis praescriptum nonnisi sacerdotes comedere poterant; [67] sic non est interdictum medicis curare infirmos quibus opus sunt in sabbatis, nec divitibus dare eleemosynam, nec sacerdotibus offerre Deo sacrificia pro salute populi. Docet quod homo praeferendus est divitiis, hinc monet principem Pharisaeorum ut ad convivia non vocet divites et potentes, sed pauperes et debiles, qui retribuere paria non possunt.

Non tantum cupidum se ostendit Christus humanae salutis, sed etiam humanae exaltationis et beatitudinis,

VII. Tandem non solum humanae salutis cupidum ostendit se hodie Christus, sed etiam humanae exaltationis et beatitudinis, hinc viam docet perveniendi ad haec. Ad exaltationem quidem per humilitatem: *Quia omnis qui se humiliat exaltabitur.* Loquitur autem Christus de aeterna exaltatione per similitudinem temporalis exaltationis in convivio, ubi qui primum locum sibi usurpat, facile inde deiicitur in novissimum magno cum rubore, sed qui novissimum eligit, facile ad superiorem ducitur locum magna cum sua gloria et honore. [68] Quod etiam S a l o m o n in *Proverbiis* docuit: *Ne gloriosus appareas coram rege et in loco magnorum ne steteris; melius est enim tibi ut dicatur... Ascende huc, quam ut humilieris coram principe.* [69] Sic, inquit, Deus exaltat humiles et humiliat superbos, sicut in regali convivio usuvenire solet. Hoc est quod per E z e c h i e l e m Dominus ait. *Ego Dominus humi-*

docet enim viam ad exaltationem humilitatem esse,

65) Ibid. 14, 5. Vulg.: *Asinus aut bos*, etc. 66) Ms.: *Homo.* 66a) Cf. Mc 2, 27. 67) Cf. 1 Rg 21, 2-6; Mt 12, 3-4. 68) Cf. Lc 14, 8-10. 69) 25, 6-7. Vulg.: *Ne dicatur tibi*, etc.

liavi lignum sublime et exaltavi lignum humile [70] Sic, inquit, humilitas via est perveniendi ad coelestis gloriae exaltationem, via autem perveniendi ad perpetuam confusionem superbia, seipsum exaltare atque extollere.

viam autem ad beatitudinem, caritatem et misericordiam,

Docet item quomodo ad beatitudinem perveniatur dicens ei qui ipsum invitaverat: *Cum facis prandium aut coenam... voca pauperes et debiles et beatus eris, quoniam retribuetur tibi in resurrectione iustorum,* hoc est aeternam in coelis beatitudinem consequeris a Deo in retributionem caritatis et misericordiae tuae erga pauperes et egentes.

sicut hodie facto ostendit, nam ad hunc infirmum curandum domum inimicorum suorum ingreditur,

Sic igitur Dominus hodie supra modum cupidum se ostendit humanae salutis, ita ut ad hanc promovendam cibum potumque reliquerit; nam cum intrasset in domum principis Pharisaeorum invitatus ad manducandum, non legimus quod manducarit, sed quod hydropicum curarit et convivantibus praedicarit viamque salutis aeternae eis ostenderit. Ad hoc igitur intravit Christus in domum Pharisaeorum, qui eum tanquam inimici capitales mortaliter oderant; neque enim ignorans quod ipsum odio haberent intravit, cum omnium corda cognosceret et sciens cogitationes cordium ipsorum quaesierit dicens: *Si licet sabbato curare?* viso hydropico. Sciebat enim quod Pharisaei data opera hydropicum hunc ante ipsum statuerant, ut si ipsum Christus curasset, legis et sabbati transgressorem accusarent sicut, illuminato in sabbato caeco nato, dicebant: *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit;* [71] si autem minime curasset, dicerent eum minime potuisse vel noluisse, ut vel impotentiae vel impietatis et immisericordiae iniuriam inurerent, vel dicerent quod propterea ante Pharisaeos non curabat, quoniam malis artibus imbutus daemonum virtute apparentia miracula faciebat, ante Pharisaeos autem, viros sanctissimos et daemonibus formidabiles, minime poterat. [71*] Haec, inquam, pro ipsorum perversitate dicere potuissent, si Christus hydropicum hunc minime curasset. Christus autem sciens cogitationes eorum dixit: *Si licet sabbato curare?* Ego, inquit, et possum et volo hydropicum hunc curare, modo sabbato liceat, religione divina minime violata.

quamvis nosset eorum cogitationes et malitiam,

70) 17, 24. 71) Io 9, 16. 71*) Ms.: *Poterant,*

Sic omnem amputavit Christus viam perversis Pharisaeorum calumniis.

Neque censendum est quod necessitate coactus Christus in hanc domum intravit ad manducandum, nam ei esurienti in deserto Angeli ministrarunt [72] et ipse est qui famelicas turbas semel [73] et iterum [74] in desertis pavit, imo qui hebraicum populum coelesti manna per quadraginta annos in solitudine nutrivit, [75] et qui omnia animalia omnesque homines mundi totius pascit. Neque aliquo timore commotus, quod sibi aliquid timeret a principe Pharisaeorum intravit, nec aliqua spe favoris bonique expectatione, quia de eo scriptum est: *Non accedet ad te malum,* [76] et: *Bonorum meorum non indiges.* [77]

non aliqua necessitate coactus vel timore commotus,

Sciens ergo et volens Christus domum hanc ingressus fuit: sciens, quoniam ipse omnia novit, etiam quae nobis cognitu impossibilia sunt; hoc est quod apud Beatum Iob legimus: *Nudus est infernus coram illo et nullum est operimentum perditioni.* [78] Nos ignoramus quid contigat defunctis post mortem, nec scire possumus; Deus autem novit omnia clarissime, veluti si quis nudum animal videat: *Omnia... nuda et aperta sunt oculis eius.* [79] Hoc ipsum est quod Salomon ait: *Infernus et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?* [80] Hoc est: si novit Deus quaecunque agunt defuncti, quanto magis quaecunque vel animo cogitant viventes? *Scrutans corda et renes Deus.* [81]

sed sciens et volens,

Sciens et volens ingressus est in domum inimicorum suorum, ad ostendendam magnitudinem potentiae suae contra morbum hydropisis; sapientiae suae contra Pharisaeos declarando legem eosque ita convincendo, ut non possent respondere ei; magnitudinem bonitatis suae erga hydropicum, quem nec requisitus quidem, sua sponte, misericordia et bonitate sua motus miraculo sanat; et magnitudinem caritatis suae erga omnes, ita ut cibum potumque relinqueret ad promovendam hominum salutem, praedicando mysteria regni coelorum et viam salutis omnibus ostendendo.

ad ostendendam magnitudinem potentiae, sapientiae et bonitatis suae,

72) Cf. Mt 4, 11; Mc 1, 13. 73) Cf. Mt 14, 15-21; Mc 6, 35-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 74) Cf. Mt 15, 3-38; 16, 9-10; Mc 8, 2-9. 19-20. 75) Cf. Ex 16, 35. 76) Ps 90, 10. 77) Ps 15, 2. Vulg.: *Non eges.* 78) 26, 6. 79) Hebr 4, 13. 80) Prv 15, 11. 81) Ps 7, 10.

Imprudentiae tribui Domino potuisset ingressus iste, nam imprudens valde habetur qui inimicis suis se vitamque suam credit, ut domum inimicorum suorum ingrediatur ad manducandum et bibendum, nam procul dubio multis periculis se exponit insidiarum et venenorum; Christus autem pericula nihil veretur, nihil timet, sed ad ostendendum quod inimicos suos ex corde diligebat, vere ex animo cupiens aeternam eorum salutem, ingressus est in domum ipsorum ad manducandum et bibendum cum illis, ut ostenderet velle se vincere caritate sua ipsorum iniquitatem: *Ubi ... abundavit delictum, superabundavit* et *gratia*, [82] sicut Elias ibi magno miraculo coelitus ignem accendit, ubi ab hominibus magna effusa erat aquarum copia. [83]

Pericula nil veritus.

VIII. *Intravit Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum.* Erant apud Iudaeos Pharisaei viri religiosi, exemplarissimae vitae, quoniam perfectissimam divinae legis observantiam et singularem vitae sanctitatem profitebantur; quare non immerito domus haec principis Pharisaeorum, quam hodie Christus ingressus est, significare potest quamlibet Religionem, idest congregationem virorum Regularium, qui a saeculo semoti, in statu perfectionis Deo serviunt, iuxta illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [84] Hic Dominus sanavit hydropicum, quia hic multi sunt qui cum Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* [85] Nam si hydropisis significat inexplebile desiderium honorum, divitiarum et voluptatum, in Religionibus per trium votorum emissionem, per vota, inquam, obedientiae, paupertatis et castitatis, relinquuntur omnia haec et contemnuntur: perpetua obedientia et subiectio renuit omnem superioritatem et praelationem, omnem superbiam; paupertas omnes divitias omnemque avaritiam ex animo; castitas omnes voluptates omnemque carnis luxuriam. Sic est sanatus tactu divinae manus infelix hydropicus. *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te,* idest virtutes exemplaque tua imitati: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [86]

Domus haec pharisaei figurat etiam congregationem Religiosorum, qui in statu perfectionis Deo deserviunt.

82) Rom 5, 20. 83) Cf. 3 Rg 18, 36-39. 84) Mt 19, 21. Vulg.: *Et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me. Omnia* lect. cod. 85) Ibid. vr.27. 86) Ibid. 11, 29

Huius status perfectio in caritate consistit.

Multi sunt autem qui cum Pharisaeis hisce statum quidem perfectionis profitentur, sed extrinsecus tantum, non intrinsecus, cum tamen perfectio in interiori caritate consistat, quam Paulus dicit *vinculum perfectionis,*[87] idest quae omnem complectitur perfectionem, nam: *Caritas patiens est, benigna est... non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur... Omnia credit, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet.*[88] Sic caritas virtutes omnes complectitur: fidem, spem, iustitiam, prudentiam, fortitudinem et temperantiam. Pharisaei autem hi caritate intrinsecus destituti erant, propterea malo invidoque animo Christum observabant.

quae perfecte hominem regulat.

Nobis autem in primis Christi caritas observanda et imitanda est; haec enim hominem perfecte regulat corde, ore et opere quoad Deum, quoad seipsum et quoad proximum, ut *sobrie... iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei;*[89] corde, ut cogitet non quae sua sunt, sed quae Dei et proximi, hoc enim est *si licet sabbato curare,* bene operari ad gloriam Dei et salutem hominum; ore, ut bene loquatur sicut Christus hodie loquitur; opere, ut bene operetur sicut Christus infirmum sanat. Quoad seipsum ut homo sobrius et temperatus sit, etc.

Duo proponuntur hodie: Christi caritas et mundi cupiditas.

Duo proponuntur nobis in hodierno Evangelio: Christi caritas et mundi insatiabilis cupiditas in hydropico inextinguibili siti laborante et desiderante quae ei perniciem et interitum afferunt, et quod Christi caritas divina virtute vicit mundi cupiditatem, sicut sol tenebras vincit: *Ipse vero apprehensum sanavit eum.*[90]

87) Col 3, 14. 88) 1 Cor 13, 4-7. Vulg.: *Omnia suffert, omnia credit,* etc. 89) Tit 2, 12-13. 90) Lc 14, 4.

II. ALIA HOMILIA

Intravit Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. [1]

Habemus in hodierno Evangelio ex factis Christi salutaria documenta: a) dilectionis inimicorum,

I. Multa salutaria documenta habemus in hodierno Evangelio tum ex factis tum ex dictis, ex vita et doctrina Domini Salvatoris. Ex vita quidem, quod diligendi sunt etiam inimici conversandumque cum eis, si quando opportunitas exigat pro salute ipsorum quaerendaque nobis est inimicorum salus vitaque aeterna; alterum est temperantia et parsimonia in cibo potuque sumendo, nam ait: ingressus est *manducare panem.* Nam etsi per panem omnis cibus in Divinis Scripturis saepe intelligitur – sic enim petimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* [2] sic Adamo dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo,* [3] sic Abraham Angelis dixit: *Ponam... bucellam panis et confortetur cor vestrum,* [4] qui tamen vitulum de armento optimum paravit; [5] sic mulier pythonissa dixit Sauli: *Ponam ante te bucellam panis,* [6] et pascualem vitulum coxit; [7] David ait Miphiboseth: *Comedes super mensam meam panem;* [8] Eliseus regi Israelis dixit ut panem apponeret ministris regis Assyriorum et paratum fuit convivium; [9] sic saepissime in Divinis Litteris nomine panis omnis cibus sumitur, – sed convivium quamvis regale panis nomine dicitur ad frugalitatem commendandam damnandamque nimiam ciborum superfluitatem exquisitasque delicias et inventiones hominum, *quorum deus venter est,* [10] qui quotidie volunt splendide epulari. [11] Christus igitur ingressus est ad manducandum panem, ad sumendum necessarium cibum magna cum temperantia et parsimonia, pro vita sustentanda, non ad epulandum et comessandum.

b) temperantiae in cibo et potu,

Odio habet Deus convivia sumptuosa splendidaque ad luxuriam facta, hinc Balthassar rex Babylonis in convivio magno quod

1) Lc 14, 1. 2) Ibid. 11, 3. 3) Gn 3, 19. *Tuo* ex hebraico. 4) Ibid. 18, 5. Vulg.: *Et confortate cor vestrum.* 5) Cf. ibid. vr. 7. 6) 1 Rg 28, 22. Vulg.: *Ponam coram te,* etc. 7) Cf. ibid. vrr. 24 sq. 8) 2 Rg 9, 7. Vulg.: *Comedes panem in mensa mea.* 9) Cf. 4 Rg 6, 22-23. 10) Phil 3, 19. 11) Cf. Lc 16, 19.

Deus enim odio habet convivia sumptuosa,

fecerat accepit divinitus mortis et damnationis sententiam.[12] Hodie autem non desunt qui impii huius regis et epulonis convivia imitantur et excedunt nimio luxu et requisitis deliciis, non solum ad satisfaciendum appetitibus, sed ad eos novis saporibus excitandos. Ad hoc multa impenditur opera, magnae fiunt expensae, ut fiant convivia in Apolline,[13] omnibus exquisitissimarum deliciarum generibus refertissima, et cum hodie monuerit Christus ut non divites sed pauperes ad convivia advocentur, nil minus vel cogitatur. Divites advocantur, pauperes autem, quamvis consanguinei et affines propinquissimi sint, honorato convivio indigni reputantur. Sed *qui seminat in carne... de carne et metet corruptionem.*[14]

c) castigationis linguae,

Tertio, loquitur Christus in convivio, sed non de vanitatibus mundi, de spurcitiis carnis, de negotiis saeculi, de aliorum hominum factis aut dictis, murmurando et detrahendo; non loquitur iocosa ad risum movendum sub specie recreationis, non facetias loquitur, sed utilia et quae ad salutem necessaria sunt; loquitur de lege Dei: *Si licet sabbato curare*[15] et *benefacere,*[16] moresque instruit.

d) misericordiae erga pauperes;

Quarto tandem, in convivio Christus curat hydropicum, magnum beneficium confert egenti, eleemosynam facit sua maiestate dignam pauperi desideranti quidem, sed vel prae modestia vel ob aliam quamlibet causam minime petenti talem gratiam. O utinam nos, fratres, divinam hanc Christi caritatem imitemur, ut saltem dum ad mensam sumus et facillime possumus, petenti pauperi eleemosynam non denegemus! Haec sunt igitur opera Christi quae hodie ad imitandum nobis proponuntur.

multa etiam documenta ex dictis: a) quod sabbato incumbere licet operibus misericordiae,

II. Habemus praeterea multa doctrinae saluberrimae documenta. Primum est, quod sabbato licet curare, licet benefacere et non male, licet operibus pietatis et misericordiae incumbere tum corporalibus tum spiritualibus, ad gloriam Dei et salutem proximorum. Quattuor ob causas Deus sabbatum instituit: prima, in memoriam creationis, *Exodo* 20;[17] secunda, in memoriam libera-

12) Cf. Dn 5, 1 sqq. 13) Idest convivia splendididissima. De hoc modo proverbiali cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 557. 14) Gal 6, 8. 15) Lc 14, 3. 16) Mc 3, 4; Lc 6, 9. 17) Cf. vrr. 8-10.

tionis a captivitate Aegypti, *Deuteronomio* 5:[18] hae sunt duae praecipuae et principales causae; tertia, ut eo die quiescerent servi, ancillae et animalia, *Exodo* 20[19] et *Deuteronomio* 5;[20] et tandem quarta, ut hoc etiam signo Hebraei ab aliis gentibus dignoscerentur, sabbati, inquam, observantia, signumque quod verum Deum colerent creatorem coeli et terrae, *Exodo* 31,[21] et quod sanctificati electique essent a Deo.

Ob has causas festa ab Ecclesia celebrantur; sed diaboli arte dies sanctitatis facti sunt dies iniquitatis, dies vanitatis, ludorum, chorearum, conviviorum, luxuriarum et lasciviarum. Hinc Regius Vates *Psalmo 118* ait: עֵת לַעֲשׂוֹת לַיהוָה הֵפֵרוּ תּוֹרָתֶךָ: *tempore faciendi*, sive operandi *Domino*, vel *pro Domino, dissolverunt legem tuam;*[22] hinc per Isaiam Dominus ait se odio habere dies festos et solemnitates, propter multitudinem peccatorum, quae in eis committuntur a populo nequam.[23] Quare non, ut par est, sanctificantur festa iuxta divinae legis praescriptum, ut divinae contemplationi operam demus, sed profanantur mille spurcitiis carnis et immunditiis mundi, ut Deo execrabilia sint et diabolo cara valde.

hodie autem diaboli arte dies sanctitatis factus est dies iniquitatis,

Aliud documentum est, quod superbia est via perditionis et confusionis aeternae, humilitas vero via salutis et exaltationis: *Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur;*[24] Et *erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*[25]

b) quod superbia via perditionis est, humilitas vero via salutis.

18) Cf. vrr. 12-15. 19) Cf. vr. 10. 20) Cf. vr. 14. 21) Cf. vrr. 13-17.
22) Hebraice 119, 126. Ms.: *Heth lahassoth laihovah hepheru eth thorathecha.*
23) Cf. 1, 41. 24) Lc 14, 11. 25) Ibid. vr. 10.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

Inter virtutes caritas primatum tenet.

I. Sicut inter astra sol, inter elementa ignis, inter metalla aurum, inter gemmas pyropus, inter animalia homo et inter spiritales intellectilesque substantias Deus primum obtinet locum, ita plane inter virtutes omnes tum cardinales tum theologicas caritas primatum sibi vindicat: *Horum autem maior est caritas.*[1] Hoc Christus hodie docet dicens primum et maximum in divina lege mandatum esse Deum super omnia ex toto corde, anima, mente viribusque diligere.

Accesserunt ad Iesum Pharisaei et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum et dicens: Magister, etc.[2]

Pharisaeo tentanti Christus mirabili sapientia respondet,

II. Percutiens Moyses virga petram, eduxit ex ea salutares aquas universo populo ad bibendum,[3] sic hodie pharisaeus iste legis doctor virga linguae Christum, qui mystica illa petra est,[4] percutiens, ex eo educit aquas scientiae salutaris aperitque coelestis et divinae sapientiae fontem: *Quod est mandatum magnum in lege?* At ille ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc.; *hoc est primum et maximum mandatum* in lege; *secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*[5] Haec plane divina Christi est sapientia.

Et quidem responsione sua hac Christus multa docet. Primo enim aperit duarum divinae legis tabularum mysterium, duabus enim illis tabulis duo haec divina praecepta mystice designabantur.

1) 1 Cor 13, 13 Vulg.: *Maior autem horum*, etc. 2) Pericope huius diei Mt 22, 34 sqq. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Ex 17, 4-7; Nm 20, 8-11. 4) Cf. 1 Cor 10, 1. 5) Mt 22, 36-39. Vulg.: *Hoc est maximum et primum*, etc.

Ostendit in virtutibus praeceptisque divinis esse ordinem a Deo constitutum, quo gradatim a virtute in virtutem procedatur; hinc ait: primum praeceptum et secundum. Sunt enim virtutes et praecepta divina veluti sacra illa scala Iacob, [6] et gradus quibus in templo ascendebatur ab atrio in sancta et a sancta in sancta sanctorum in templo Ezechielis. [7] Hinc Christus veluti scalam constituit octo beatitudinum [8] et Isaias scalam septem spirituum, [9] David vero quindecim *Psalmos Graduales.* [10]

ostendit enim in virtutibus et praeceptis divinis ordinem esse et gradus.

Primus autem et supremus scalae huius gradus divina in Deum caritas est: *Diliges Dominum Deum tuum... hoc est primum et maximum mandatum* in lege. Quibus verbis ostendit Christus dignitatem et excellentiam divinae caritatis divinique amoris super omnes alias spiritales virtutes. *Primum et maximum mandatum,* primum ratione obiecti, quod est infinita Dei bonitas; ratione subiecti, quod est rationalis voluntas supremaque animi portio, quae in animae regno sceptrum et supremum dominium obtinet; ratione habitus: *Maior... horum est caritas;* ratione actus, amor enim inter animi affectiones et passiones principatum tenet omnibusque dominatur et suo regit imperio; ratione instrumenti, quod est cor, nobilissimum membrum primaque vitae sedes.

Praeceptum caritatis in Deum primum est ratione obiecti, subiecti, habitus et actus;

Primum et maximum ordine, dignitate, merito, imperio, suavitate, necessitate et perpetuitate. Primum quidem [ordine], quoniam in primo decalogi praecepto virtualiter continetur, sic enim praeceptum illud clauditur: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [11] Et si in primo decalogi praecepto unius Dei cultus praecipitur, nonnisi vera caritate a veris adoratoribus colitur Deus: *Veri* enim *adoratores Patrem adorant in spiritu et veritate,* [12] idest caritate et fide. Hinc duo haec Moyses coniunxit: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc. [13] Primum spectat ad fidei veritatem, secundum ad spiritum caritatis.

est primum ordine

Est etiam primum legislatoris intentione, nam: *Finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;* [14]

et legislatoris intentione;

6) Cf. Gn 28, 12-13. 7) Cf. 40, 6 sqq. 8) Cf. Mt 5, 3-11. 9) Cf. 11, 2-3.
10) Cf. Ps 119-133. 11) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia his... praecepta mea.*
12) Io 4, 23. Vulg.: *Adorabunt Patrem,* etc. 13) Dt 6, 4-5. Ex hebraico. 14) 1 Tim 1, 5.

omnia enim quae in divina lege mandata sunt ad caritatem ordinantur, quae *vinculum perfectionis* est [15] hominemque unum cum Deo spiritum efficit, nam: *Qui... adhaeret Deo, unus spiritus est* cum eo. [16] Ad hanc omnia praecepta, consilia, dona Spiritus, virtutes, sacramenta, Scriptura, et si qua sunt alia in divina religione pietatis opera, destinantur.

primum dignitate,

Primum dignitate, quoniam forma est omnium virtutum sicut lux colorum et anima corporis; sicut enim sine anima mortuum corpus est, sic sine caritate omnes virtutes, primumque apud Deum locum habet et primis gaudet honoribus: *In dextera eius ignea lex.* [17] Est autem caritas inter virtutes veluti cor inter hominis membra et inter sensus in capite visus.

merito,

Primum merito, quoniam sine caritate nulla virtus meritum habet apud Deum; sic docet Apostolus dicens: *Si linguis hominum loquar et Angelorum... et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* [18]

imperio,

Primum imperio, amor enim omnibus animi affectibus et passionibus imperat et voluntas omnibus animae potentiis, sic caritas omnibus virtutibus tanquam regina ancillis.

necessitate,

Primum necessitate, quoniam sola caritas ad salutem aeternam consequendam simpliciter necessaria est, huic enim gloria vitaque aeterna promissa est et ad caritatis mensuram datur electis gloria in paradiso. Ob id enim in domo Dei [18a] *mansiones multae sunt* [19] tantique meriti et valoris apud Deum est, ut minimus caritatis gradus mereatur de condigno vitam aeternam.

suavitate,

Primum est etiam spiritus suavitate, caritas enim *manna absconditum* est, [20] haec enim Christi iugum suave et leve omnibus vere fidelibus onus divinae legis facit, quibus divina mandata *dulciora* sunt *super mel et favum.* [21]

15) Col 3, 14. 16) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Qui... adhaeret Domino*, etc. 17) Dt 33, 2.
18) 1 Cor 13, 1-3. Vulg.: *Caritatem autem non habuero, nihil sum*, etc. 18a) Ms.: *Deo.*
19) Io 14, 2. 20) Apc 2, 17. 21) Ps 18, 11.

Primum perpetuitate, quoniam *caritas nunquam excidit,* [22] in morte enim non deficit, sed in coelo omnibus numeris perficitur et aeternitatis immortalitate donatur. perpetuitate;

Adhuc autem primum dicitur, quoniam causa est aliarum virtutum bonorumque operum quae in divina lege mandantur, nam quod in aliquo genere primum est, eorum quae in illo sunt genere causa existit, uti radix ramorum fructuumque totius arboris, cor vitae omnium membrorum, sol luminis omnium astrorum, ignis causa caloris omnium calidorum et mare causa est omnium fluminum fontiumque. Hinc Christus ait: *Si quis diligit me, mandata mea servabit;* [23] hinc Paulus ait quod *plenitudo... legis est dilectio;* [24] hinc item quod *caritas patiens est, benigna est,* etc., [25] quoniam virtutum harum causa est; et quod *fructus... spiritus,* idest gratiae Spiritus Sancti et caritatis quatenus virtus theologica, *est caritas,* idest dilectio in proximum, *gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas... mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* [26] *Hoc est primum et maximum mandatum,* quod alia omnia virtute continet, sicut maximum coelorum, quod empyreum est, locus gloriae beatorum et paradisus Dei, omnes alios coelos suo in sinu continet. primum quia causa est aliarum virtutum,

Primum etiam est Dei similitudine, nam: *Deus caritas est et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;* [27] primum pretio et aestimatione apud Deum, caritatem enim Deus maximi facit eiusque summam rationem habet; hinc nonnisi caritatem praecipit. Sic enim Moyses ait: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus requirit a te, nisi ut diligas eum?* Cumque divinum istud praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum,* litteris exarasset, subiunxit: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis et meditaberis... sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua eruntque et movebuntur ante oculos tuos scribesque ea in limine et ostiis domus tuae.* [29] Hinc elucet quam cupidus caritatis sit Deus, cum velit ex toto corde, anima omnique valore diligi praecipiatque summa primum Dei similitudine,

22) 1 Cor 13, 8. 23) Io 14, 23. Vulg.: *Sermonem meum servabit.* 24) Rom 13, 10.
25) 1 Cor 13, 4. 26) Gal 5, 22-23. Vulg.: *Benignitas, bonitas,* etc. 27) 1 Io 4, 16.
28) Dt 10, 12. 29) Ibid. 6, 6-9. Vulg.: *Inter oculos tuos,* etc.

cum diligentia caritatem perpetuo servari tanquam rem pretiosissimam ac thesaurum inaestimabilem.

facilitate,

Primum etiam mandatum istud est facilitate, nullum enim mandatum servatu facilius est. Humani enim cordis proprium est bonum diligere, sicut solis lucere et ignis calorem emittere. Hinc Moyses ad hanc facilitatem ostendendam ait: *Mandatum... quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est neque procul positum nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet in coelum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus et opere compleamus? Neque trans mare positum est, ut causeris et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod praeceptum est? Sed iuxta... est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo... ut diligas Dominum Deum tuum.* [30]

praemii promissione

Primum etiam est praemii promissione, nam ait: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea:* diligentes Deum maxima gloria donantur: *Qui... diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent;* [31] divinum etiam meretur amorem: *Si quis... diligit me, diligetur a Patre meo;* [32] et iterum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* [33]

et tandem perfectione.

Primum tandem et maximum perfectione, sicut aurum inter metalla, sol inter astra, empyreum inter coelestia corpora, et caritas *vinculum perfectionis* dicitur, in ea enim essentia perfectionis divinae in fidelibus animabus consistit.

Diliges Dominum Deum: diligere Deum debemus per seipsum;

III. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc. Tria hic proponuntur: actus virtutis: *Diliges;* obiectum: *Dominum Deum tuum,* et modus: *Ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex omnibus viribus tuis.* [34] Causam autem cur diligendus tantopere sit nullam assignare videtur, nec sine mysterio, quoniam per seipsum diligendus est Deus, quoniam suapte natura summa et infinita [35] bonitas et pulcritudo est, quare hac sola ratione

30) Ibid. 30, 11-16. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Et audiamus.*
31) Idc 5, 31. 32) Io 14, 21. Vulg.: *Qui... diligit,* etc. 33) Ibid. vr. 23.
34) Dt 6, 5. Affert ex Lc 10, 27. Vulg.: *Ex tota mente tua.* 35) Ms.: *Infinitas.*

infinito dignus amore est, etiam si nulla alia adesset. Hinc si plures essent Dii, sicut plures sunt divinae Personae, et ab uno eorum infinita accepissemus beneficia, ab aliis vero nullum, non minus teneremur istos quam summum illum benefactorem accipere, quoniam cum divinitas ipsa suapte natura infinita sit, bonitas et pulcritudo infinitum per sese exigit requiritque amorem.

Sed forte Moyses unico tantum verbo omnem assignavit causam ob quam diligendus tantopere Deus praecipiatur: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum:* non dicit: *Diliges Dominum Deum*, sed *Dominum Deum tuum*. Nec otiosum esse verbum istud pensandum est. Naturale est homini ut sua diligat bona, ob id Deus totus noster esse voluit ut diligeremus eum. *Diliges Dominum Deum tuum*, *tuum* amatorem, qui caritate perpetua dilexit te, [36] *tuum* creatorem, *tuum* conservatorem, *tuum* redemptorem, *tuum* benefactorem, *tuum* patrem, regem, Dominum, magistrum, pastorem, *tuum* omnium bonorum naturae, fortunae, gratiae et gloriae perennem fontem.

tuum: sed etiam quia Deus noster est;

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Modus divinae dilectionis est ut vere ex animo diligatur, amore non sensili sed rationali, ut Deus super omnia aestimetur, carissimus super omnia habeatur summo infinitoque in pretio tanquam infinitus thesaurus, sicut avaro homini carissimus est thesaurus, nobili viro carissimus honor, amantissimo patri carissimus filius unicus; ita et multo magis sit nobis Deus, sicut fuit Abrahamo; quamvis enim unicum filium suum Isaac tanquam pupillam oculi sui et tanquam animam suam diligeret, carior tamen fuit illi Deus quam filius, ideo, accepto divino mandato ut Isaac Deo sacrificaret, nullum non movit lapidem ut iussa exequeretur. [37] Hoc est quod sacerdos magnus in lamina aurea supra caput gestabat divinum nomen, [38] quo docetur quod Deus cuivis homini, etiam summo principi, [38a] aestimandus est supra omnia, supra vitam propriam, supra proprium honorem et supra omnes mundi thesauros.

ex toto corde: modus divinae dilectionis est ut Deus super omnia aestimetur.

supra ipsam vitam propriam.

IV. Simili etiam amore diligendus est proximus, amore, inquam, rationali aestimationis et pretii, ut sicut nos ipsos et nostra, ita pro-

36) Cf. Ier 31, 3. 37) Cf. Gn 22, 1-10. 38) Cf. Ex 28, 36. 38a) Ms.: *Deus* iterum ponitur.

Simili amore aestimationis proximus etiam diligendus est.

ximos nostros et quaecunque eorum sunt aestimemus et quaecunque volumus ut faciant nobis homines, nos quoque illis faciamus sicque nos cum proximis nostris geramus sicut volumus ut illi nobiscum se gerant. Nemo est qui velit ut sibi ab alio malum fiat, vel dicatur, vel desideretur ex malevolentia maloque animo, sed quisque suapte natura cupit diligi, laudari et beneficiis affici, maxime in necessitatibus; sic ergo quisque cum proximo suo se gerat: aestimet proximos et quae illorum sunt sicut seipsum et sua omnia.

quia et ipse creatura et opus Dei est sicut et nos.

Hoc est quod Aaron in pectore supra cor gestabat nomina omnium tribuum Israel sculpta in lapidibus pretiosis,[39] quae magni fiunt et plurimi aestimantur; sic magno in pretio habendus nobis est proximus, quoniam ipse quoque homo est sicut et nos, *ad imaginem et similitudinem Dei* conditus,[40] creatura et opus manuum Dei sicut et nos. Hoc est quod Christus Dominus noster alibi ait: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, haec est enim lex et Prophetae ;*[41] et hodie ait: *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae.*[42]

In duobus hisce praeceptis Christus universam legem in compendium redegit.

Sic hodie Christus universam legem in compendium et ἀνακεφαλαίωσιν[43] redegit, sicut Deus, postquam mundum hunc magnum creavit, formavit hominem,[44] qui μικρόκοσμος est, mundi totius epilogus et compendium, et ex magna praeceptorum sarcina, gravi admodum ad portandum, modicum effecit fasciculum. Divus Petrus legem Moysi dixit iugum importabile;[45] Christus vero ait: *Tollite iugum meum super vos . . . Iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[46] Fecit hodie Christus ex iugo gravi leve, ex lege timoris legem amoris, ex lege servorum legem filiorum.

Multa praecepta data fuerunt in Lege Moysi.

V. Erant in lege sexcenta tredecim praecepta in tres classes distincta; nam quaedam dicebantur moralia, uti praecepta decalogi, alia caeremonialia, quae ad divinum cultum et religionem spectabant, et tandem alia iudicialia, quoad reipublicae administrationem.[47] Christus autem omnia redegit ad duo: *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae.* Et quidem M o y s e s omnia

39) Cf. Ex 28, 21. 40) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 41) Mt 7, 12. 42) Ibid. 22, 40. 43) Ms.: *Anachephaleosin*, et infra : *Microcosmos.* 44) Cf. Gn 1, 1 sqq. 45) Cf. Act 15, 10. 46) Mt 11, 29 sq. 47) Cf. supra, Dom. 13, pag. 166, not. 32.

legis mandata in suo *Deuteronomio* ad decem praecepta decalogi visus est reduxisse,[48] postea vero ad quattuor dicens: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua?*[49] Regius Vates reduxit omnia ad undecim dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam; qui loquitur veritatem in corde suo*, etc. toto illo *Psalmo*;[50] sed postea reduxit ad quattuor dicens: *Quis ascendet ad montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam nec iuravit in dolo* in lingua sua;[51] et alibi: *Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.*[52] Isaias 33 reduxisse visus est ad sex dicens: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* idest cum Deo? aut *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis et loquitur veritatem; qui proiicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem et claudit oculos suos ne videat malum;*[53] sed postea 56 capite reduxit ad quattuor dicens: *Custodite iudicium et facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc et filius hominis qui apprehendit istud, custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.*[54] Michaeas propheta, coaetaneus Isaiae, reduxit omnia ad tria dicens: *Indicabo tibi, o homo, quid bonum sit et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*[55]

In decalogo.

In Prophetis;

Sed tandem Christus ad duo reduxit: *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae:* omnia ad unam caritatem. Una enim est caritas qua diligimus Deum et proximum, una arbor habens duos ramos, unus fons ex quo duo rivi emanant, unum propitiatorium cum duobus cherubim,[56] una lex in duabus tabulis;[57]

Christus autem omnia ad unam caritatem reduxit.

48) Cf. 5, 6-21. 49) Ibid. 10, 12. Vulg.: *Petit a te nisi*, etc. 50) Ps 14, 1 sqq.
51) Ps 23, 3-4. Vulg.: *In dolo proximo suo.* 52) Ps 33, 15. 53) Vrr. 14-15.
54) Vrr. 1-2. Vulg.: *Apprehendet illud*, etc. 55) 6, 8. Vulg.: *Quid sit bonum.*
56) Cf. Ex 25, 17-20. 57) Cf. ibid. 32, 15-16; 34, 28-29.

quia una est caritas qua Deum et proximum diligimus;

in his *universa lex pendet.* Et merito. Nam homo rationali anima regitur et operatur, anima autem amore; amor igitur est qui operatur omnia, amor causa est omnium actionum; nam omne agens agit propter finem, [58] finis autem movet ut amatum et desideratum. Ad filiorum educationem familiamque sustentandam multa opus sunt, sed omnia operatur amor fugiens incommoda et utilia prosequens. Sic et Paulus ait quod *plenitudo ... legis est dilectio.* Sicut multos motus rotarum requirit horologium, omnes autem facillime operatur unum aequipondium, et sicut in animali et homine multae sunt actiones potentiarum vegetativae, sensitivae et rationalis, omnes tamen una tantum anima operatur quam facillime, sic una caritas universa divinae legis mandata perfectissime implet facillimeque exequitur. Sicut unus sol illuminat omnes stellas, coelum universum mundumque totum, et quaecunque in natura generantur, solis virtute generantur, sic in caritate *universa lex pendet et Prophetae.*

nam amor est causa actionis.

Sic caritas est unica via salutis.

Haec via salutis est, scala coeli et porta paradisi: *Si ... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [59] *Haec est via,* inquit Isaias, *ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* [60] *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro,* [61] inquit Paulus verba facturus de necessitate et excellentia caritatis. [62]

Ex effectibus cognoscere possumus an vera hac caritate praediti simus.

VI. Videndum autem nobis est an per viam hanc ambulemus, an divina haec mandata servemus. Quamvis enim verum sit quod evidenti certitudine scire non possumus an in gratia et caritate constituti simus, tamen ait Christus quod a fructibus arbor cognoscitur, quod *non potest arbor bona,* idest caritas et bona voluntas, *malos fructus facere, neque arbor mala,* idest cupiditas malaque voluntas, *bonos fructus facere,* sed *arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* [63] *Fructus ... spiritus,* idest caritatis ut habitus, *est caritas,* idest amor erga Deum et proximum, *gaudium* de gloria Dei et bonis proximi, *pax* cum Deo et hominibus, *pa-*

58) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.* 1ª q. 44, a. 4; 1ª 2ªᵉ, q. 1, a. 2; q. 6, a. 1; q. 9, a. 1; q. 12, a. 1. 59) Mt 19, 17. 60) 30, 21.
61) 1 Cor 12, 31. 62) Cf. ibid. 13, 1 sqq. 63) Mt 7, 17-18. Ordine inverso affert hos vrr.

tientia sufferens mala, sive a Deo sive ab hominibus eveniant, nam *caritas patiens est,*[64] *bonitas* benefaciendo in effectu, *benignitas* in affectu, *longanimitas,* perseverantia in via virtutis, *mansuetudo,* quia nulli malum pro malo reddit, *fides* in servandis promissis et debitis sine fraude reddendis, *modestia, continentia, castitas,* idest temperantia, quae tria haec complectitur.

Vera caritas cum operibus carnalis concupiscentiae consistere nequit,

Opera autem carnis, inquit, manifesta sunt, opera carnalis concupiscentiae propriique amoris qui caritati opponitur, ex quo omnia oriuntur mala, opera, verba, cogitationes et desideria: *Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus,*[65] idest avaritia, etc.; *De . . . corde exeunt,* inquit Dominus, *cogitationes malae, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemiae.*[66] Ubi sunt haec, caritas esse non potest, quia non manet lux cum tenebris, nox cum die, vita cum morte, arca Dei cum idolo Dagone.[67]

quibus misere totus mundus hodie plenus est.

Sed quid ait: *Mundus totus in maligno positus est?*[68] *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum?*[69] *Omnes in viam suam declinaverunt,* inquit Isaias, *unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum;*[70] et Ieremias 8: *A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium;*[71] et 6 capite: *A minore . . . usque ad maiorem omnes avaritiae student . . . a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum;*[72] Oseas ait: *Maledictum,* idest blasphemia, *et mendacium et homicidium et adulterium et furtum inundaverunt et sanguinem sanguis tetigit.*[73] Quare hoc? *Quia,* inquit, *non est . . . veritas et non est misericordia et non est scientia Dei in terra.*[74] Quid est: *Non est veritas?* Non est fides; *non est scientia,* idest cognitio *Dei in terra.*

Sine fide caritas haberi nequit;

VII. Non enim sine causa Christus hodie fidem caritati coniungit dicens: *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David . . . Quomodo ergo David . . . vocat,* etc.?[75] Quoniam *fides*

64) 1 Cor 13, 4. 65) Gal 5, 19-20. 66) Mt 15, 19. Vulg.: *Adulteria, fornicationes,* etc. 67) Cf. 1 Rg 5, 1-5. 68) 1 Io 5, 19. 69) Ps 13, 1; 52, 4. 70) 56, 11. 71) Vr. 10. 72) Vr. 13. 73) 4, 2. Vulg.: *Furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit.* 74) Ibid. vr. 1. 75) Mt 22, 42-43.

substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium, [76] basis et fundamentum omnium virtutum, sine qua in hac vita caritas haberi nullatenus potest. Hinc Christus cum de caritate locutus fuisset, de fide quaestionem movet, cum [76a] ipse sit fidei fundamentum et obiectum, in Christum enim credendum est ut vitam consequamur aeternam. Sic Moyses fidem veluti fundamentum et basim caritati substravit: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* [77]

propterea Christus hodie fidem cum caritate coniungit et cognitionem cum amore;

Quoniam vero fidei obiectum sicut et caritatis Deum, qui summa bonitas et veritas est, necesse est esse, propterea Christus divinitatem, qua Davidis, cuius secundum carnem filius erat, ab aeterno Dominus extitit, ipsius Davidis testimonio demonstrat: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* [78] Fidem ergo Christus cum caritate coniungit, quia caritas fides viva est, dilectionem Dei una cum cognitione. Sic enim apud Marcum legimus ad hodierni scribae quaesitum: Quod est magnum sive *primum mandatum* in lege? Dominum respondisse: *Quia primum omnium mandatum est: Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni mente tua et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.* [79] Sic in responsione hac fidem cum caritate coniungit et cognitionem Dei cum amore, sicut sol radio suo lumen simul et calorem gignit, ut sciamus quod, labefactata caritate, facile etiam labefactatur fides.

labefactata enim caritate, facile etiam labefactatur fides.

Sic Paulus docet *1 Timotheo: Radix... omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide;* [80] et *ad Romanos:* Qui *cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt... sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis... et servierunt creaturae potius quam Creatori,* quoniam *tradidit illos Deus in passiones ignominiae* et *in reprobum sensum.* [81]

Sic docet Apostolus quod idololatria ortum habuit a labefactata neglectaque caritate; Deo enim contempto, facillime

76) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est... fides sperandarum substantia rerum,* etc. 76a) Ms.: *Cumque.* 77) Dt 6, 4-5. Cf. not. 6 huius hom., pag. 237. 78) Ps 109, 1. 79) 12, 28-30. Vulg.: *Dominus Deus tuus... et ex tota mente tua,* etc. 80) 6, 10. 81) 1, 21-28.

amittitur Dei cognitio et fides ipsa perit, ita ut homo ad summam deveniat insipientiam et vel divinam neget providentiam vel etiam cum atheis Deum ipsum. **Hoc docent etiam D. Paulus**

Sic enim Regius Vates docet, quaerit enim: *Ut quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret,*[82] idest cogitat animo quod Deus non attendit humana, non considerat quae in mundo fiunt. Alibi vero docere videtur quod atheismus causa sit impietatis, ait enim *Psalmis 13*[83] et *52*:[84] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hoc enim idem est quod Oseas[85] ait: Quia *non est scientia Dei in terra, maledictum et mendacium, homicidium, adulterium et furtum inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit.* **et Regius Vates.**

Hinc vivimus quasi non esset Deus, quia vel non credimus, vel saltem non cogitamus. Nam quid est, fratres, quod hominum reveremur praesentiam ut non audeamus peccare coram homine, Deum autem, qui ubique praesentissimus est, non reveremur? *Putasne Deus de vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis et ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus?*[86] Quod si praesentem Deum ubique non credimus, profecto Deum negamus, nam si Deum semper et ubique praesentem crederemus – ut etiam Regius Vates docet: *Si ascendero in coelum, tu ... es, si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua; et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me,* idest abscondent ab oculis Domini, *et nox illuminatio mea in deliciis meis;* sed *tenebrae non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius ita et lumen eius,*[87] hoc est ita videt Deus in tenebris sicut in lumine, – si haec, inquam, cogitaremus, nullo tem-

Ex defectu fidei omnia peccata oriuntur.

nam si Deum ubique praesentem crederemus, nunquam peccare auderemus.

82) Ps 9 (hebr. 10), 13. 83) Vrr. 1-3. 84) Vrr. 1-4. 85) Ms.: *Michaeas* loco: *Oseas.* 86) Ier 23, 23-24. Vulg.: *E vicino, etc.* 87) Ps 138, 8-12.

pore aut loco ob reverentiam divinae praesentiae peccare auderemus, sed perfectam virtute vitam viveremus.

Haec fuit praecipua Sanctorum cogitatio,

Hoc enim est quod Dominus Abrahamo dixit: *Ego Dominus omnipotens : ambula coram me et esto perfectus,* [88] hoc est: si in omnibus actionibus tuis me cogitatu semper praesentem habueris, quasi semper esses ante cospectum divinae maiestatis meae, eris utique iustus atque perfectus, sicut fuit Noe. [89] Haec enim praecipua fuit semper Sanctorum cogitatio. Sic ait Elias: *Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto ;* [90] sic Eliseus: *Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto ;* [91] sic ait Ezechias rex: *Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod placitum est coram te fecerim.* [92]

e contra, ab hac maxime peccatores refugiunt.

E contra vero, omnes peccatores sunt sicut Cain, de quo legimus quod *egressus* est vagus et profugus *a facie Domini;* [93] sic Regius Vates ait: *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem irae suae non quaeret; non est Deus in conspectu eius, inquinatae sunt viae illius in omni tempore :* [94] haec, inquit, causa est omnium malorum, quia *non est Deus in conspectu eius,* sive in cogitationibus eius; et adhuc inquit: *Dixit... in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.* [95]

Fides et caritas duae alae sunt quibus ad Deum volamus,

VIII. Nos autem caveamus, fratres, et prospiciamus nobis. Si salutem quaerimus, si salvari volumus, duabus hisce alis, fide et caritate, cognitione et amore Dei, volandum nobis in coelum est. Hae sunt alae columbae quas Regius Vates desiderabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et requiescam ?* [96] Hae sunt duae alae magnae aquilae, quae datae fuerunt coelesti milieri ut fugeret in desertum a facie draconis infernalis. [97] Ambas autem has virtutes perfectas intregrasque a nobis requirit, integram caritatem erga Deum et proximum, nam, inquit Ioannes *1 Canonica,* capite 3: *Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo,*

88) Gn 17, 1. Vulg.: *Ego Deus* etc. 89) Cf. ibid. 6, 8. 90) 3 Rg 17, 1. 91) 4 Rg 3, 14. 92) Ibid. 20, 3. 93) Gn 4, 16. 94) Ps 9 (hebr. 10) 4-5. 95) Ibid. vr. 11. 96) Ps 54, 7. 97) Cf. Apc 12, 14.

quomodo caritas Dei manet in eo? [98] et capite 4: *Si quis dixerit: quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ?* [99] Ideo Christus integram requirit caritatem in Deum et proximum. Integram etiam fidem requirit, non enim satis esse docet ut Messias credatur filius David, idest homo ex stirpe David, rex constitutus a Deo, sed etiam Dominus David, idest verus Deus, creator et Dominus omnium, ut credatur verus perfectusque Deus, unigenitus Filius Dei, et verus perfectusque homo, unigenitus Filius Virginis. Sic Divus Iacobus ait quod *si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* [100] nil enim refert si pluribus aut uno tantum vulnere homo occisus sit aut modici veneni potione interemptus.

Ideo Christus ambas has virtutes perfectas a nobis requirit.

IX. Grave admodum et impossibile videtur hominibus huius saeculi totam Dei legem servare et perpetuo ab omni vitio et peccato abstinere; sed *mandata eius gravia non sunt,* inquit Ioannes; [101] *Iugum... meum suave est et onus meum leve,* inquit Christus. [102] Non fuit impossibile filio prodigo, relicta regione longinqua miseraque servitute et pastura porcorum, reverti ad patrem; [103] tota difficultas in principio consistit, ut populus de Aegypto egrediatur relinquatque Pharaonis servitutem. [104] « Rem tantum aggredito, [105] inquit Chrysostomus *homilia 10 ad Romanos,* et totum compleveris. Sistito a [106] peccare, desinito ulterius non progressus, ac tibi res tota iam manu aderit. Nam quemadmodum usuvenire videmus in iis qui morbo laborant, ut cum morbus non ingravescit, tum sanitatis initium fiat, sic in ipsa vitiositate ulterius ne processeris et tibi malitia finem habuerit. Qui si id duos dies feceris, tertio facilius abstinueris, ac si post dies tres decem addideris, fiet ut viginti deinceps addas ac deinde centum, tum autem vitam totam ».[107] Deliberatione opus est ac firma animi resolutione, ut velimus vere et ex animo ad Deum converti; tunc facile succedent omnia, sicut in

Grave non est perpetuo ab omni vitio abstineri, sed bona et constanti voluntate opus est.

98) Vr. 17. Vulg.: *Necessitatem habere,* etc. 99) Vr. 20. 100) 2, 10. Vulg.: *Quicunque... totam legem,* etc. 101) 1 Io 5, 3. 102) Mt 11, 30. 103) Cf. Lc 15, 11-19. 104) Cf. Ex 14, 1 sqq. 105) Ms.: *Aggreditor.* 106) Ms.: *Ac*
107) P. G. 60, 481-482.

prodigo filio videre est; facile enim totum confecit iter et a patre benigne susceptus fuit cum gaudio et exultatione magnaque totius domus laetitia et festivitate.[108]

accedere ad Christum bono animo

Accedamus ad Christum et dabit nobis superabundanter quam petimus gratiam et virtutem omnem ad operandam salutem nostram: *Accedite ad eum et illuminamini,*[109] quoniam lux est,[110] sol est,[111] ignis est.[112] Accessit ad eum hodie legis doctor hic, nec satis bono animo, nam inquit: *Tentans eum;* et tamen quia, audita doctrina Christi, placuit ei ex animo dixitque, ut Marcus ait: *Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus et non est alius praeter eum, et ut diligatur ex toto corde et ex toto intellectu et ex tota anima et ex tota fortitudine, et diligere proximum tanquam seipsum maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. Dominus autem, videns quod sapienter respondisset, dixit ei: Non es longe a regno Dei.*[113]

et doctrinam eius audire ac perpetuo meditari.

Accedamus igitur et nos ad Christum et audiamus doctrinam ipsius et sic regno Dei appropinquabimus, cum nobis doctrina Christi placuerit; Christi enim doctrina tanquam radius solaris illuminat, calefacit et etiam ignem accendit; sic in cordibus nostris ignem divini amoris accendet. Suscipiamus perfectum hoc divinae legis compendium firmaque memoria teneamus et perpetua meditatione ruminemus, nam propterea *verbum abbreviatum* fecit *Dominus super terram,* ut ex Isaia[114] Apostolus ait *Romanis: Consummationem... et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae.*[115]

Obiectum legis sunt actiones humanae, quae ab animo pendent;

Pendet autem universa lex et Prophetae in his duobus mandatis, quoniam universa lex nihil aliud intendit nisi actiones et mores hominum ad normam et amussim sanctitatis et iustitiae regulare, ut quisque sobrie, iuste, et pie vivat[116] coram Deo et omni populo. Omnes autem actiones morales ab animo pendent; hic enim veluti arbor est: si bonus animus, arbor bona est quae fructus bonos facit et non potest fructus malos facere; si autem malus, arbor mala est quae fructus malos facit et non potest fructus bonos facere;[117]

108) Cf. Lc 15, 20 sqq. 109) Ps 33, 6. 110) Cf 1 Io 1, 5. 111) Cf. Mal 4, 2. 112) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 113) 12, 32-34. Vulg.: *Iesus autem videns... dixit illi,* etc. 114) 10, 23. 115) 9, 28. 116) Cf. Tit 2, 11. 117) Cf. Mt 17, 17-18.

hinc ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum et malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.*[118] Animus affectione et amore regitur; si sancta affectione sanctoque amore regatur, bona omnia facit sua sponte: *Lex iusto non est posita, sed iniustis;*[119] matri enim amantissimae non sunt opus viri praecepta ad gubernandum dilectissimum filium, sed novercae, quae non diligit, opus sunt.

si ergo bonus animus, bonae erunt actiones.

II. ALIA HOMILIA

> *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei omnes: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu, etc.*[1]

I. Duo quaesita habemus in hodierno Evangelio: unum quidem a scribis et Pharisaeis propositum Christo: *Quod est mandatum magnum in lege?*[2] alterum vero a Christo propositum scribis et Pharisaeis: *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est?* Itrunque vero quaesitum magnum est. Magnum primum: *Quod est mandatum magnum in lege?* sive quod est mandatum primum, quod sit sicut inter metalla aurum, inter lapides pretiosos adamas, inter animalia homo, inter membra caput, inter astra sol, inter omnia entia Deus? Quare ad respondendum huic quaesito multa opus fuit sapientia, magna divinae legis cognitione, ut veluti iusta bilance omnia singulaque praecepta legis ponderarit homo, ut sciret quodnam maius sit, quod excellentius et Deo gratius hominique magis necessarium et salutare.

Sapienter respondet Christus ad Pharisaeorum quaesitum,

Nam omnia sunt praecepta unius et eiusdem legis, data ab ipsomet Deo ad unum eundenque finem, omnia bona, omnia iusta, omnia sancta. Christus tamen, qui Dei sapientia est,[3] et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei,[4] prompte respondit; nec tantum primum, sed etiam secundum divinae legis praeceptum sapientissime declaravit: *Diliges Dominum Deum tuum... hoc est primum et maximum mandatum,*[5] veluti coelum empyreum inter

nam omnia legis divinae praecepta a Deo data sunt,

118) Lc 6, 45. 119) 1 Tim 1, 9.

1) Mt 22, 42-43. 2) Ibid. vr. 36. 3) Cf. 1 Cor 1, 24. 4) Col 2, 3.
5) Mt 22, 37-38. Vulg.: *Maximum et primum mandatum.*

coelos et sol inter astra. Nam caritas veluti empyreum coelum est, totum igneum, Deo simile, locus divinae gloriae, perpetuae quietis aeternaeque beatitudinis. Est empyreum super omnes coelos omnesque continet, sic praeceptum hoc super omnia mandata legis omniaque continet: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* [6] Empyreum primum et maximum coelum est, sic praeceptum hoc primum et maximum ratione obiecti, subiecti, actus, habitus, instrumenti, meriti et finis. Nam obiectum est Deus divinaque bonitas, subiectum voluntas, actus amor, habitus caritas, instrumentum cor, meritum gratia Spiritus Sancti, finis sive praemium gloria paradisi vitaque aeterna, sola enim caritas meretur gratiae augmentum: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* [7] et huic vita aeterna tribuitur, nam: Si *caritatem... non habeam... nihil sum... nihil mihi prodest.* [8]

Inter quae caritatis praeceptum primum locum tenet;

II. Ad quaesitum ergo hominum Christus optime, sapientissime, superabundanter respondit. Sed non sic homines ad quaesitum Christi: *Cuius filius est* Messias? *Dicunt ei* omnes: *David,* quasi Messias merus homo deberet esse. Sed ait: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis ?* [9] Magnum quaesitum, ad quod absque multa sapientia, sine magna cognitione sacrae divinaeque theologiae responderi non poterat. Necessaria erat cognitio divinae Trinitatis totiusque Divinitatis ad cognoscendam divinitatem Messiae, ad sciendum quomodo Messias futurus erat verus Deus de vero Deo, Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis: *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Quoniam ergo Messias non tantum filius David futurus erat secundum carnem quatenus homo, sed etiam Dominus David quatenus Deus, Verbum et Filius Dei, manifestum est quod diminuta valde fuit Pharisaeorum scribarumque responsio. Sic enim nos imperfecte valde cognoscimus divina mysteria et quae ad fidem sacramque theologiam spectant, hinc di-

non sic autem Pharisaei ad quaesitum Christi.

6) Io 14, 23. 7) Lc 7, 47. Vulg.: *Remittuntur,* etc. 8) 1 Cor 13, 1-3.
9) Ps 109, 1; Mt 22, 43-44.

vinae legis doctores summique theologi imperfecte ac diminute responderunt quaesito Christi.

Ex imperfecta fide et cognitione Dei oritur imperfecta dilectio.

Ex imperfecta autem cognitione et fide imperfecta oritur dilectio, imperfecta caritas, nam amor boni cognitionem sequitur,[10] sicut diurnus calor lumen solis. Quoniam vero perfectio hominis quam maxime in animo consistit, animus autem scientiis et virtutibus perficitur, maxime vero fide et cognitione mysteriorum Dei quoad intellectum, caritate et amore divino quoad voluntatem, hinc Christus nos perfectos desiderans, hodie de perfectione utriusque virtutis voluit verba facere.

Ad perfectam fidem et caritatem acquirendam maxime iuvat observantia iustitiae moralis et meditatio novissimorum.

Sciendum autem quod ante lectionem Evangelii hodierni habetur disputatio quam Dominus habuit cum Sadducaeis de resurrectione mortuorum,[11] ubi docuit Dominus quod resurgent mortui et *erunt* tunc *sicut Angeli Dei in coelo*,[12] qui tamen iusti fuerint iustitiamque perfecte coluerint. Nam ante illam disputationem alia habita est cum Pharisaeis: si licebat *censum dari Caesari an non*,[13] ad quod Dominus respondit: *Reddite ... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.*[14] Ad acquirendam autem perfectionem virtutum harum, fidei, inquam, et caritatis, maxime iuvat civilis moralisque iustitia, quae reddit unicuique quod suum est, et consideratio immortalitatis animae ac resurrectionis mortuorum et vitae aeternae post temporalem hanc. Desiderat Christus in nobis perfectionem hanc, ut simus *perfecti et integri in nullo deficientes.*[15] Pontifex synagogae gestabat in pectore *doctrinam et veritatem:* הָאוּרִים et הַתֻּמִּים,[16] l u m i n a e t p e r f e c t i o n e s, ad illuminandum et perficiendum populum divina cognitione et caritate. Sic Christus, qui *sempiternum habet sacerdotium.*[17]

10) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 3, a. 4; q. 27, a. 2. 4. 11) Cf. Mt 22, 23-32. 12) Ibid. vr. 30. 13) Ibid. vr. 17; Mc 12, 14; Lc 20, 22. 14) Mt 22, 21; Mc 12, 17; Lc 20, 25. 15) Iac 1, 4. 16) Ex 28, 30. Ms.: *Haurim et hathumim.* 17) Hebr 7, 24.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

Christus ostenditur hodie fons totius bonitatis.

I. Larga et prodiga veluti liberalitate sol lucem suam communicat quibuscunque, ignis accensus et ardens multa flamma calorem, fons perennis et magnus perpetuam copiam dulcium limpidarumque aquarum; quare nemo est qui diffidat vel dubitet de solis luce, de ignis calore et de fontis rivo, sicut nec de maris aquis. Christus vero sol est lucidissimus, ignis divinus, fons unde scaturiunt flumina paradisi [1] et mare unde exeunt omnia flumina gratiarum. Merito igitur hodie fideli paralytico ait: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* [2]

Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. [3] Adducunt autem, etc.

Christus duplicem habuit potestatem salvandi tum corpora tum animas,

II. Divinum propitiatorium duobus cherubim aureis sustentabatur super arcam foederis Domini. [4] Sicut autem arca illa sacratissimam sanctissimamque Christi humanitatem designabat, sic propitiatorium illud divinam in Christo naturam, quae tota bonitas, pietas et misericordia est, duo autem cherubim duplicem in Christo potestatem super omnia, tum corporalia tum spiritualia, duplicemque virtutem salvandi tum corpora tum animas, ut perfectus esset Salvator, *Dei* enim *perfecta sunt opera.* [5] Sic hodie totum hominem sanare voluit, et corpore et anima, et carne et spiritu, quoniam utranque substantiam in eo labefactatam invenit: animam quidem peccatis, corpus vero incurabili paralysia in peccatorum poenam.

1) Cf. Gn 2, 10-14. 2) Mt 9, 2. 3) Pericope huius diei Mt 9, 1-8. Cf. Missale Rom. 4) Cf. Ex 25, 18-20. 5) Dt 32, 4.

Facit autem Christus sicut optimus medicus, qui ad perfectam sanitatem infirmo conferendam causas morbi removere conatur. Causa autem infirmitatis et mortis corporalis peccatum est, hinc Christus, coelestis medicus, paralytico ait: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, ostenditque se tanquam verum Deum duplici potestate praeditum ad salvandum et corpus et animam. Sic Christus divinum propitiatorium est. *Dimittuntur tibi peccata tua*, quod solus Deus potest: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* [6] *Ego sum... qui deleo peccata tua propter memetipsum*, ait per I s a i a m, [7] Christus vero: *Ut... sciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* tanquam verus Deus, *tunc ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam.* [8] *Confide, fili:* en paterna Christi caritas, quae divinum propitiatorium est; et ecce duo cherubim: *Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge et ambula?* [9] Profecto aequalis est potestatis, aequales cherubim erant. Quod si, inquit Christus, potero divino miraculo extempore huic solo iussu perfectam conferre sanitatem, potero etiam et animae conferre salutem. *Confide, fili:* filium dicit quod illius creator sit; *confide*, quia fidei et spei obiectum ego sum, Deus omnipotens, qui omnibus possum, scio et volo divina potestate, sapientia et caritate paterna et mederi malis et conferre bona ad salutem aeternam necessaria.

remittit enim peccatum, quod est causa mortis animae et corporis;

hoc autem solus Deus facere potest.

III. Habemus in sacrosancto hodierno Evangelio clarissima tum humanitatis tum divinitatis Christi argumenta. Humanitatis quidem, quoniam ascendit in naviculam et *transfretavit et venit in civitatem suam;* divinitatis vero, quoniam vidit fidem, quae in profundis cordium penetralibus sedem habens, soli Deo conspecta [est]; vidit etiam cordium cogitationes, quae soli Deo patent; remittit peccata, quod solius divinae est potestatis; operatur miraculum solo iussu, quod sola divina virtus supra omnem universalis naturae vim posita operari potest; et tandem patrem se dicit cui fidendum est: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Continet hodiernum Evangelium clarissima humanitatis et divinitatis Christi argumenta.

Dicens autem: *Confide*, causas etiam affert cur confidendum

6) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 7) 43, 25. Vulg.: *Iniquitates tuas propter me.* 8) Mt 9, 6. Vulg.: *Tolle lectum*, etc. 9) Ibid. vr. 5.

Tribus de causis nobis maxime fidendum est in Christo: a) ob divinam illius caritatem et bonitatem,

in eo sit. Sunt autem duae, quibus ex hoc eodem Evangelio addemus et tertiam. Prima est divina caritas et bonitas infinita; hinc illum filium vocat et se illi patrem declarat; pater vero nomen est maximae caritatis summique amoris et benevolentiae: *Si... vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester* coelestis *dabit bona petentibus se?* [10] Imo divinae bonitatis ea natura est ut supplicum merita excedat et vota: [11] petiit Abraham vitam Ismaelis, Deus autem etiam Isaac illi dedit innumerabilemque posteritatem repromisit; [12] Salomon petiit sapientiam, Deus vero cum ea etiam summam ei contulit gloriam et copiam divitiarum; [13] paralyticus iste hodiernus nonnisi corporis sanitatem cupiebat, Christus vero una cum corporali spiritalem etiam contulit sanitatem.

b) ob eius solemnem promissionem

Altera causa ob quam fidendum in Christum est firmissimeque sperandum et expectandum ab eo omne bonum, eius promissio est: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis;* [14] *Omnis enim qui petit accipit,* etc.; [15] *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt:* [16] firmius est verbum Dei omni coeli et terrae substantia; paralytico autem sanitatem salutemque promisit. *Remittuntur tibi peccata tua:* remota, inquit, causa, removebo effectum, et deleta culpa, auferam culpae poenam. Si fidimus hominum promissis et verbis principum summorum magna adhibenda fides est, cur non Christi veri Dei promissis fidamus?

c) et merita,

Tertia ratio est, quod ex merito portantium contulit paralytico salutem: *Videns,* inquit, *fidem illorum ait paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* [17] Magna igitur fides istorum meruit paralytico sanitatem, quamvis ipse quoque paralyticus non vulgari fide in Christum instructus esset, ut fidem quoque ipsius inspexerit Christus una cum fide portantium.

Quamvis autem corporalem salutem aliquando contulerit Christus intuitu fidei alienae, sic enim curavit servum centurionis, [18]

10) Ibid. 7, 11; Lc 11, 13. 11) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 181). 12) Cf. Gn 17, 18-21. 13) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 10-12. 14) Mc 11, 24. Vulg.: *Quaecunque orantes... et evenient vobis.* 15) Mt 7, 8. 16) Mc 13, 31; Lc 21, 33. Vulg.: *Non transibunt.* 17) Mt 9, 2. Vulg.: *Dixit paralytico,* etc. 18) Cf. Ibid. 8, 5-13; Lc 2, 10.

filium reguli,[19] filiam Chananaeae,[20] a morte suscitavit filiam archisynagogi[21] et sola pietate ac misericordia motus suscitavit filium viduae naimitis,[22] spiritalem tamen sanitatem aeternamque salutem nemo mereri alteri potest nisi Christus, cuius infinita caritas infinitam nobis tum gratiam tum gloriam meruit. Et si Sanctorum meritis Deus multa multis beneficia nonnunquam concessit, sic enim meritis Abrahami, Isaac et Iacob multa [23] Hebraeis beneficia concessit, et meritis David multa eius posteritati donavit delicta, quae non concedet beneficia Deus intuitu meritorum Christi, qui *Sanctus Sanctorum* est ?[24] Si fides portantium meruit paralytico corpoream sanitatem, multo magis virtus Christi aeternam nobis meruit salutem et omne bonum, tum gratiae tum gloriae.

solus Christus enim mereri nobis potest salutem spiritualem.

Sic fidendum nobis magnopere est in infinitis Christi meritis, quo fiducia multa ad thronum divinae misericordiae accedamus et ab omni peccato, quae spiritalis est paralysis, divina virtute curemus, audientes cum paralytico: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Surge* animo menteque in Deum, erigere a terrenis affectibus et cogitationibus; *tolle lectum tuum*, corpus et carnem tuam tu ipse ratione regas, ut non amplius secundum carnem vivas, sed spiritu Dei ductus facta carnis mortifices[25] carnemque cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigas;[26] *et*, tandem, *vade in domum tuam*, ambula per viam salutis proficiens semper in melius de virtute in virtutem, ne sis amplius paralyticus, vivum veluti cadaver secundum spiritum; surge a peccatis, fer onus poenitentiae carnem macerando, dignos fructus poenitentiae faciendo,[27] et ambula in via mandatorum Dei virtutibus et sanctis operibus incumbendo, ut in sanctitate et iustitia coram Deo vivas omnibus diebus vitae tuae:[28] *Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus.*[29] Et statim, inquit, *surrexit, et sublato grabato*, inquit Marcus,[30] *abiit in domum suam magnificans Deum*, inquit Lucas.[31] O mirabilem metamorphosim!

Magnopere fidendum nobis est in infinitis Christi meritis.

19) Cf. Io 4, 46-53. 20) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 24-29. 21) Cf. Mc 5, 22 sqq. 22) Cf. Lc 7, 11-15. 23) Ms.: *Multas*. 24) Dn 9, 24. 25) Cf. Rom 8, 13. 26) Cf. Gal 5, 24. 27) Cf. Mt 3, 8; Lc 3, 8. 28) Cf. Lc 1, 74-75. 29) Eph 5, 14. 30) 2, 12. 31) 5, 25.

Qui secundum carnem vivit, in sensu carnis omnem quaerit voluptatem,

IV. Sed hoc considerare iuvat, quod lectus, qui infirmo quies et solatium erat, nunc sano onus et labor est. Animalis homo secundum carnem in peccatis vivens, in sensu carnis omnem repositam habet voluptatem; sic impius ille dives aiebat: *Anima* mea, *habes multa bona reposita in annos plurimos; quiesce, comede, bibe, epulare;* [32] et apud Isaiam, [33] ut etiam Paulus habet *1 Corinthiis* 15, [34] dicunt impii: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur;* sic nonnisi carnalibus deliciis oblectatur. Cum autem per Christi gratiam fuerit iustificatus a peccato, corpus ei non amplius quies et solatium est, sed onus et labor, moleste fert cibum potumque et omnes alias corporis necessitates; onus et labor est: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo,* ait Paulus; [35] et iterum: *Quae mihi* prius *fuerunt lucra... arbitratus sum propter Christum detrimenta.* [36] Sic quae prius magnopere diligebantur et plurimi fiebant, odio habentur, contemnuntur, nihili fiunt. Hebraei in deserto sacrificabant Deo animalia, quae in Aegypto prius cum Aegyptiis adoraverunt tanquam deos: [37] *Quorum Deus venter est... qui terrena sapiunt.* [38]

qui autem secundum spiritum, opera carnis execratur.

II. ALIA HOMILIA

Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum. [1]

Multa mysteria elucent in hodierno Evangelio;

I. Multa et magna sunt hodierni Evangelii mysteria, multa et magna sacramenta. Hic mysterium elucet verae humanitatis Christi, qua tanquam verus homo, *in similitudinem hominum factus,* [2] *ascendens in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam;* hic mysterium divinitatis ipsius, qua peccata dimittit: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* [3] hic mysterium infinitae potestatis Christi, qua miraculum operatur in corpore et spiritu paralytici utranque sanans substantiam: *Ut autem sciatis quia Filius hominis*

32) Lc 12, 19. Vulg.: *Posita in annos... quiesce,* etc. 33) 22, 13. 34) Vr. 32.
35) Ibid. 9, 17. 36) Phil 3, 7. 37) Cf. Ios 24, 24; Ez 20, 4-10. 38) Phil 3, 19.

1) Mt 9, 1-2. 2) Phil 2, 7. 3) Mc 2, 7; Lc 5, 21.

habet potestatem... dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge; [4] hic mysterium divinae sapientiae, qua videt fidem cordium et cogitationem animorum: *Videns* autem *fidem illorum,* [5] et: *Ut vidit spiritu suo cogitationes eorum;* [6] hic mysterium divinae bonitatis et misericordiae erga paralyticum, quem non solum spiritu et corpore sanat, sed etiam in filium adoptat: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua,* [7] sic bonitas et misericordia Dei merita supplicum excedit et vota; [8] hic mysterium duplicis infirmitatis totius humani generis in paralytico peccatis infirmo, mysterium totius Ecclesiae militantis in turbis credentibus et mirantibus: *Videntes autem turbae timuerunt,* sive miratae sunt, *et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus;* [9] hic mysterium fidei, quanti valeat apud Deum: *Videns* enim *fidem illorum,* qui paralyticum portabant, et ipsius paralytici, Christus miraculum hoc operatus fuit; tandem mysterium humanae malitiae ex pravitate cordis, quam displiceat Domino: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* [10]

Sed miraculum tantum perpendamus.

Sed libet cum sanctis turbis mirari utrunque miraculum, sic enim apud Lucam dicunt: *Quia vidimus mirabilia hodie.* [11] Magnum fuit hoc miraculum, et praecedentibus, quae apud Matthaeum legimus, inquit Chrysostomus, [12] maius; ante enim hodiernum hoc miraculum, legimus apud Matthaeum, 8 capite, [13] leprosum mundatum, servum centurionis a paralysi curatum, magnam tempestatem maris versam in magnam tranquillitatem et tandem duos daemoniacos a daemonum legione liberatos apud Gadarenos; [14] maius autem hoc miraculum est, quoniam hic expressa fiat mentio remissionis peccatorum et iustificationis, quod multo maius opus est quam totius mundi creatio. [15]

Septem causis movetur Dominus ad patrandum hoc miraculum.

II. Videndum autem nobis est quibusnam causis motus sit Dominus ad patrandum hodiernum miraculum, ut sic nos hinc utilitatem aliquam capiamus. Septem autem causas ab Evangelistis indicatas videor reperire: prima est ad ostendendam verita-

4) Mt 9, 6; Mc 2, 10. 5) Mt 9, 2; Mc 2, 5. 6) Lc 5, 22. Vulg.: *Ut cognovit,* etc.; Mc 2, 8. 7) Mt 9, 2. 8) Cf. not. 11 praec. hom., pag. 256. 9) Mt 9, 8. 10) Mc 2, 8; Lc 5, 22. 11) 5, 26. 12) *In Matthaeum,* hom. 29, (P. G. 57, 358). 13) Cf. vrr. 1 sqq. 14) Ex lect. cod. Mt 8, 28. Cf. Eb. Nestle *Novum Test.* 15) Cf. S. Augustinus *In Ioannem,* tract. 72, (P. L. 35, 1823).

tem divinitatis suae; secunda, propter fidem offerentium; tertia, ob suam paternam pietatem: *Confide, fili;* quarta, propter humanam miseriam: *Homo,* inquit Lucas, *remittuntur tibi peccata tua;* [16] quinta, ad confirmandam doctrinam praedicationis suae, nam post concionem miraculum hoc operatus fuit, ut Marcus ait; [17] sexta, ad convertendos scribas et Pharisaeos, nam ait Lucas quod *ipse sedebat docens, et erant Pharisaei sedentes et legis doctores qui venerant ex omni castello Galilaeae et Iudaeae et Ierusalem, et virtus Domini erat ad sanandum eos:* [18] septima tandem, ad ostendendam virtutem suam super omnem infirmitatem corporis et animae: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem,* etc.; [19] *Glorificabant Deum qui dedit potestatem talem hominibus.* [20]

et prima, ad ostendendam divinitatem suam, quam Iudaei non credebant,

Quoad primam, non credebant Iudaei Christi divinitatem, sicut multi etiam haeretici negarunt; Ebion, Cerinthus, [21] Arius [22] et alii, [23] propterea, inquit Ioannes, persequebantur eum Iudaei, quia *patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo;* [24] hinc audientes eum dicentem: *Antequam Abraham fieret ego sum, tulerunt... lapides ut iacerent in eum;* [25] et alias iterum lapidare volentes eum dixerunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia... quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* [26] Sic hodie audientes eum paralytico dicentem: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua,* coeperunt dicere et cogitare: *Hic blasphemat;* [27] *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* [28] legerant enim: *Tibi soli peccavi;* [29] et: *Ego sum ... qui deleo iniquitates tuas per memetipsum.* [30] Non enim nisi iudex potest absolvere reos, nec condonare iniurias nisi qui laesus est, nec debita dimittere nisi creditor et fenerator qui mutuo dedit pecuniam vel commodavit.

Christus autem divinitatem suam manifestat primo quidem re-

16) 5, 20. 17) Cf. 2, 2. 18) 5, 17. 19) Mt 9, 6; Mc 2, 10; Lc 5, 24. 20) Mt 9, 8. 21) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 36, (P. G. 7, 686-687); S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 28, ibid. 41, 378-379; Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 49, (P. L. 2, 67); S. Hilarius *De Trinitate*, lib. 1, ibid. 10, 41-42. 22) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 69, (P. G. 42, 202 sqq.); S. Augustinus *In Ioannem*, tract. 26, cp. 6, (P. L. 35, 1609); serm. 176, ibid. 39, 2081. 23) Paulus Samosatenus, Carpocrates, Photinus, de quibus cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 45. (P. G. 42, 11-15); haer. 71, ibid. 374-375; S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 44, (P. L. 42, 34). 24) 5, 18. 25) Ibid. 8, 58 sq. 26) Ibid. 10, 33. 27) Mt 9, 3. 28) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 29) Ps 50, 6. 30) Is 43, 25. Vulg.: *Propter me.*

velando arcanas cordium cogitationes: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Hoc autem solius divinae est potestatis: *Homo... videt... quae parent, Deus autem intuetur cor;* [31] *Omnia... corda scrutatur Dominus et universas mentium cogitationes intelligit;* [32] *Scrutans corda et renes Deus;* [33] *Ego Dominus scrutans corda et probans renes;* [34] *Infernus et perditio coram eo, quanto magis corda filiorum hominum?* [35] An, inquit, sicut legistis quod solus Deus peccata dimittit, non legistis etiam quod solus Deus videt corda? Ego autem video.

Christus autem eam manifestat prius revelando arcanas cordium cogitationes,

Deinde vero ratione probat: *Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata, an dicere: surge et ambula?* [36] Certe non minoris est potestatis operari divina miracula quam dimittere peccata, utrunque enim aequalis est potestatis. Solus Deus potest utrunque; ego autem possum hoc; ergo et illud. Non igitur falso mihi divinitatem arrogo et usurpo.

deinde argumentando

Tandem opere et miraculo: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem... dimittendi peccata,* idest quod vere Deus sit, Deo potestate aequalis, *tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et* statim *surrexit.*

et tandem miraculum operando.

III. Procul dubio autem solus Deus imperando potest operari miracula, nam: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt;* [38] sic ostendit Moyses quod verbo, dicto, mandato suo creavit Deus omnia. [39] Sic Christus verbo tantum usus et imperio miraculum hoc hodie operari voluit ad ostendendam divinam potestatem suam supra omnes naturae creatae vires. Praecipit huic paralytico ut surgeret, ut ambularet, ut tolleret grabatum suum, sicut et alteri paralytico in piscina Ierosolymis curato, [40] quod quidem nullus hominum potuisset praecipere, nisi illusorie. Si medicus vel protomedicus, princeps, imperator aut Pontifex huic dixisset ut surgeret, iocari visus fuisset, nemo enim hominum potest impossibilia naturae humanisque viribus praecipere; Christus autem serio praecipit et ita factum est.

Solus Deus potest imperio miracula operari, hoc autem Christus fecit.

31) 1 Rg 16, 7. Vulg.: *Dominus autem*, etc. 32) 1 Par 28, 9. 33) Ps 7, 10.
34) Ier 17, 10. Vulg.: *Scrutans cor*, etc. 35) Prv 15, 11. Vulg.: *Coram Domino*, etc.
36) Mt 9, 5; Lc 5, 22. 37) Mt 9, 6-7; Mc 2, 10-12; Lc 5, 24-25. 38) Ps 32, 9.
39) Cf. Gn 1, 1 sqq. 40) Cf. Io 5, 2-8.

Verbum Christi operatorium est et effectivum, est enim verbum divinum,

Nam ipsius verbum non erat tantum humanum, significativum et expressivum conceptuum animi, sed etiam effectivum et operatorium, sicut verbum regis et Pontificis. Sufficit ut rex dicat nobili viro: Esto comes, esto dux, esto princeps! dicto confert dignitatem; sufficit ut Papa dicat cuivis praelato: Esto cardinalis! statim factus est. Sic divinum verbum operatorium est et propterea loqui potest Deus ad inanima. Sicut in principio locutus fuit terrae ut produceret plantas et animalia, locutus aquis ut in unum convenirent locum piscesque et aves producerent; locutus astris, soli, lunae et stellis reliquis ut luceant dividantque diem et noctem *et sint in signa et tempora et dies et annos;* [41] sic Christus *imperavit ventis et mari,* [42] *imperavit febri,* [43] imperavit mortuis ut surgerent; [44] sic hodie imperat paralytico ut surgat, nam simul divinam confert virtutem ad surgendum.

quod imperando confert virtutem ut imperata absolvantur;

Sic apud E z e c h i e l e m legimus praecepisse Dominum Prophetae ut surgeret, statimque divino spiritu erectus fuit. *Dixit ad me . . . Sta super pedes tuos et loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos.* [45] Sic adnotavit G r e g o r i u s homilia 9 *super Ezechielem*, in principio homiliae: [46] « Divina vox iacenti prophetae iussit ut surgeret; sed surgere non potuisset, nisi in eum Domini spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona quidem opera conari possumus, sed implere non possumus, nisi ipse adiuvet. Hinc P a u l u s *Philippensibus*, cum dixisset: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*, subiunxit: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* ». [47]

nam mandata Dei servari nequeunt nisi ipse adiuvet.

Sic praecipit Deus ut divina mandata servemus, ut eum ex toto corde diligamus, cum sciat quod non sumus *sufficientes . . . cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* [48] Hinc iterum ait: *Sine me nihil potestis facere*, sicut nec palmes, nisi in vite manserit; at si manserit in vite, multum fructum affert. [49] Sic vocavit Christus Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, [50] Matthaeum, [51] et *relictis omnibus*, statim *secuti sunt*

41) Gn 1, 14. 42) Mt 8, 26. 43) Lc 4, 39. 44) Cf. Mc 5, 41; Lc 7, 14; Io 11, 43. 45) 2, 1-2. 46) Lib. 1, (P. L. 76, 870). 47) 2, 12-13. 48) 2 Cor 3, 5. 49) Io 15, 5. 50) Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 16-20. 51) Cf. Mt 9, 9.

eum,[52] profecto quoniam operatorium est Dei verbum: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.*[53] Sic legimus quod de ore eius procedebat *gladius ex utraque parte acutus;*[54] sic apud Ieremiam verbum Domini ignis conflans dicitur et *malleus conterens petras.*[55]

Ad ostendendam igitur veritatem divinitatis suae Dominus solo verbo divinum hoc miraculum operatus fuit. Sicut Moyses ad probandum quod a Deo missus erat multa miracula fecit potestate divinitus accepta;[56] Samuel ad ostendendum quod populus peccaverat regem petendo, uno momento coelum conturbavit grandinesque, fulgura et tornitrua horribili tempestate dedit;[57] Elias ignem de coelo descendere fecit ad probandum quod non Baal sed Deus Israel verus erat Deus;[58] sic Christus ad hoc innumera miracula operatus est, ad conciliandam sibi divinitatis fidem, ut verus Deus agnosceretur et crederetur ab omnibus.

Sic igitur Christus ad ostendendam divinitatem suam solo verbo miracula operatus est.

IV. Totum autem ad salutem nostram dirigebat, quoniam fides summopere necessaria est: *Sine fide enim impossibile est placere Deo;*[59] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[60] Totum ad nostram etiam consolationem dirigebat, cupiens ut non tantum divinam potestatem, sed etiam caritatem agnoscamus. Nam multi credunt quidem divinam potestatem, Deum omnia posse, absolutissime, absque ullo penitus dubio; at non sic divinam caritatem. Hinc leprosus ille ait: *Domine, si vis, potes me mundare:*[61] non dubitavit de potestate, sicut pater daemoniaci qui dixit: *Si quid potes, adiuva nos misertus nostri,*[62] sed de bona voluntate dubitabat: *Si vis, potes me mundare.* Et in hodierno Evangelio scribae et Pharisaei non credunt divinam in Christo potestatem; paralyticus autem credens una cum iis qui eum portabant potestatem, de bonitate diffidebat; hinc Christus scrutator cordium ait: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

Multi credunt divinam potestatem, non sic autem divinam caritatem.

Quibus verbis ostendit Dominus magnam miseriarum molem,

52) Lc 5, 11. 53) Hebr 4, 12. 54) Apc 19, 15. 55) 23, 29.
56) Cf. Dt 34, 10 sqq. 57) Cf. 1 Rg 12, 17-18. 58) Cf. 3 Rg 18, 21-39.
59) Hebr 11, 6. 60) Io 3, 15. 61) Mt 8, 2; Mc 1, 40; Lc 5, 12. 62) Mc 9, 21.

Triplici miseria paralyticus iste premebatur: infirmitate corporali,

qua infelix iste intrinsecus extrinsecusque pressus ac obrutus erat, non unam tantum, sed triplicem. Prima est externa corporalis infirmitas, qua tanquam cadaver iacebat in lecto immobilis vivusque sepultus quodammodo erat; hinc ait Marcus quod portabatur a quattuor in lecto; [62a] sic autem mortui ad sepulturam portari solent. Secunda est miseria interna in conscientiae cruciatu mens enim sibi male conscia carnificina quaedam est ac laniena vivum animum trucidans, infernus quidam vivus intolerabilium tormentorum, sic animum excrucians ut multos adegerit cum Cain in barathrum desperationis, [63] multos cum Achitophele [64] et Iuda [65] ad laqueos. Sic mala conscientia homini mundum universum et vitam propriam insuavissimam reddit mortemque praeeligit. Tertia est metus divinae iustitiae et diffidentia divinae clementiae, quae spem omnem divinae misericordiae divinique subsidii deiicit, et hoc maximum molestiarum genus est; animi enim desperatio nullum in malis remedium reperit; hinc Dominus misericordia motus ad talis tantaeque miseriae spectaculum, ait: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

cruciatu conscientiae et metu divinae iustitiae.

Ad talem autem tantamque levandam miseriam motus fuit etiam Dominus intuitu et contemplatione humanae naturae: *Homo, remittuntur tibi peccata tua,* quoniam magna res homo est, factus *ad imaginem et similitudinem Dei,* [66] propter quem omnia facta sunt. Quoniam ergo hic ratione humanitatis Christo proximus erat, egit cum eo Dominus sicut clementissimus samaritanus cum homine, qui descendit ab Ierusalem in Iericho. [67] Sic miraculum hoc opus fuit caritatis in proximum, nam placuit Christo caritas offerentium, quare perficere ipse voluit opus hoc caritatis.

Christus autem a miseriarum mole eum liberat motus caritate sua;

Motus etiam fuit Christus desiderio salutis quod in homine isto vidit, quo permisit se sursum supra tectum domus trahi et per tegulas deorsum ante Christum demitti; [68] praecipue vero inquit quod fide motus fuit: *Videns... fidem illorum,* [69] idest offerentium, et etiam ipsius paralytici, ut Chrysostomus ait, [70] nam nisi

motus etiam fide ipsius infirmi et eorum qui illum portabant;

62a) 2, 3. Ms.: *Lucas* loco: *Marcus.* 63) Cf. Gn 4, 13-16. 64) Cf. 2 Rg 17, 23. 65) Cf. Mt 27, 5; Act 1, 18. 66) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 67) Cf. Lc 10, 30-35. 68) Cf. Mc 2, 4; Lc 5, 19. 69) Mt 6, 2. 70) Hom. 29 *in Matthaeum,* (P. G. 57, 358).

credidisset, non permisisset se trahi sursum ac demitti deorsum cum magno periculo, nec dixisset[71] ei: *Dimittuntur tibi peccata tua*, nam *sine fide . . . impossibile est placere Deo*; ex fide autem iustificatur homo et sanctificatur, accepta remissione peccatorum.

Indicat autem quod non solum intuitu fidei paralytici, sed etiam contemplatione fidei offerentium Dominus miraculum hoc operatus est salutis; sic enim Deus meritis et intercessione Sanctorum multis peccatoribus confert beneficium salutis. Ad preces Moysi dimisit populo peccatum adorationis vituli,[72] et si in Pentapoli reperisset decem iustos, pepercisset universae regioni propter eos;[73] ad preces Samuelis liberavit populum de manu Philisthaeorum,[74] ad preces Ezechiae et Isaiae liberavit Ierusalem de manu regis Sennacherib;[75] sicut in Novo Testamento ad preces centurionis sanavit servum paralyticum,[76] ad preces cananitidis liberavit filiam eius a daemonio,[77] ad preces archisynagogi suscitavit filiam eius,[78] ad preces discipulorum sanavit socrum Simonis a febribus,[79] ad preces Marthae et Magdalenae suscitavit Lazarum a morte.[80] sic Deus meritis et intercessione Sanctorum multis peccatoribus salutem confert;

Haec est Sanctorum communio, quam humani corporis symbolo significantissime Paulus expressit dicens: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra;*[81] *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et pater omnium.*[82] Hoc est quod Regius Vates ait: *Particeps ego sum omnium timentium te;*[83] et alibi: *Ierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum,*[84] idest in unum. Sic electorum merita multis prosunt in Ecclesia multisque peccatoribus sunt causa salutis, et Sanctorum oratio fidem etiam infidelibus impetrat ut convertantur. Sic enim Divus Augustinus docet quod oratio Stephani Saulo persecutori fidem gratiamque conversionis obtinuit, ut fieret Paulus fidei praedicator ex Saulo persecutore.[85] haec est Sanctorum communio.

71) Ms.: *Dixisse*. 72) Cf. Ex 32, 1-14. 73) Cf. Gn 18, 23 sqq. 74) Cf. 1 Rg 7, 7-14. 75) Cf. 2 Par 32, 1-8; Is 37, 17 sqq. 76) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 1-10. 77) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 25-29. 78) Cf. Mt 9, 18-25; Mc 5, 22-42; Lc 8, 41-54. 79) Cf. Mc 1, 30-31; Lc 4, 38-39. 80) Cf. Io 11, 1-45. 81) Rom 12, 5. 82) Eph 4, 4-6. 83) Ps 118, 63. 84) Ps 121, 3. 85) Serm. 317, cp. 2-3, (P. L. 38, 1436); serm. 382, cp. 4, ibid. 39, 1686.

Christus operatus est hoc miraculum etiam ad confirmandam veritatem doctrinae suae,

V. Ad maiorem autem fidei confirmationem et adauctionem miraculum hoc operatus fuit, ad veritatem doctrinae suae magis magisque confirmandam et ad inimicos suos convertendos spirituque sanandos et salvandos: *Virtus Domini erat ad sanandum eos.* [86] Sic perfecta elucet Christi caritas tum erga amicos fideles, tum etiam erga inimicos incredulos et infideles.

et ad ostendendam potestatem suam etiam super infirmitatem spiritualem.

Tandem, ad ostendendam divinam potestatem suam super omnem infirmitatem tum carnis tum spiritus miraculum hoc voluit operari: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata... ait paralytico:* Tibi dico, *surge.* [87] Peccatum hic per paralysiam designatur, incurabilem mortalemque infirmitatem, nam peccatum suapte natura impotentem reddit hominem ad bene operandum et ad mortem aeternae damnationis perducit.

Peccatum causa est omnium malorum

Est autem peccatum causa omnium malorum; nam licet verum sit quod aliquando Deus tribulationes immittit iustis ad probandam exercendamque eorum virtutem et ad merita adaugenda, sicut tentavit Abraham, [88] flagellavit Iob, [89] excaecavit Tobiam, [90] martyrio coronavit Ioannem, [91] et aliquando etiam ad declarandam gloriam suam, sicut ipse Christus manifestavit de caeco nato [92] et de Lazaro mortuo pro gloria Dei; [93] vel etiam pro virtutum custodia, sicut Paulo dedit angelum satanae ne revelationum magnitudine extolleretur, [94] sed humilis permaneret et fidelis: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* [95] sicut aurum in fornace; in universum tamen omnia mundi mala sunt a Deo immissa propter peccata. Nisi enim extitisset peccatum, nullum malorum genus reperiretur in mundo; sed sicut propter peccatum expulit de coelesti paradiso angelos delinquentes, in perpetuum damnatos ad ignem aeternum, [96] et homines de terrestri paradiso propter transgressionem divini praecepti, [97] ita ad punienda peccata mundi multas magnasque tribulationes immittit. Propter peccatum perdi-

omnia enim mala a Deo immittuntur propter peccata,

86) Lc 5, 17. 87) Mt 9, 6; Mc 2, 10-11; Lc 5, 24-25. 88) Cf. Gn 22, 1-18. 89) Cf. Iob 1, 12-2, 1-10. 90) Cf. Tob 2, 10-12. 91) Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 36, (P. L. 2, 94); S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 3, ibid. 26, 143. 92) Cf. Io 9, 1-3. 93) Cf. ibid. 11, 3-4. 94) Cf. 2 Cor 12, 7. 95) Ibid. vr. 9. 96) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 4. 97) Cf. Gn 3, 6 sqq.

dit mundum diluvio,[98] Pentapolim igne de coelo incendit,[99] flagellavit Aegyptum,[100] sexcenta millia Hebraeorum in deserto occidit,[101] septem Chananaeorum gentes ad nihilum redegit.[102] Ad haec punienda mittit in dies bella inimicorumque persecutiones, quae secum mille afferunt mala; mittit famem, penuriam et caritatem annonae, magnam terrae sterilitatem; mittit pestem gravesque infirmitates et mortalitates hominum et animalium; mittit malas bestias, quae animalia et homines occidunt. ut patet ex historia sacra et profana.

Sic quoniam ob peccatum homini huic incurabilis haec paralysis acciderat, ait ei: *Dimittuntur tibi peccata tua*, ut remota causa, removeretur effectus, quemadmodum et languido illi in piscina, qui triginta et octo annos habebat in infirmitate sua, dixit: *Noli amplius peccare ne deterius tibi aliquid contingat.*[103] Sic peccatum omnium causa malorum est: non esset in mundo paupertas, non fames, non sitis, non ignominia, non infirmitas aut dolor ullus, non mors, non infernus, nisi extitisset peccatum. Ob peccatum Maria soror Moysi leprosa evasit[104] et Giezi servus Elisei[105] et Ozias rex Iudaeorum.[106] Saepe autem permittit Deus ut ex ipsismet actionibus peccatorum oriantur infirmitates, sicut Amnon filius David in aegritudinem incidit ob intemperatum amorem;[107] sic multi ob crapulas et commessationes in multas incidunt infirmitates et ob incontinentiam in multos perniciosissimos morbos vel omnino incurabiles vel curatu difficillimos. in flagellis publicis et privatis, multi enim morbi effectus sunt vitiorum,

Multae sunt etiam poenae, multa tormenta, non solum divinae iustitiae legumque divinarum, sed etiam temporalis iustitiae et humanarum legum contra peccata, ita ut totus ubique mundus armatus sit contra peccatum. Ad hoc enim instituti sunt principatus et potestates, ad punienda coercendaque mala; ipsamet natura et conscientia armata semper est et pugnacissime militat contra omne peccatorum genus. sic et multae poenae humanae iustitiae.

Deus ad destruenda peccata quid non operatus est semper? Praeter severas malorum punitiones et minas, praeter favores ma-

98) Cf. ibid. 6, 5-7; 7, 1 sqq. 99) Cf. ibid. 18, 20-21; 19, 24-25. 100) Cf. Ps 104, 25-36. 101) Cf. Nm 14, 1-38; 32, 8-12; Dt 1, 22-39. 102) Cf. Ios 8, 1-9, 1 sqq.; Act 13, 19. 103) Io 5, 14. 104) Cf. Nm 12, 1-10. 105) Cf. 4 Rg 5, 20 sqq. 106) Cf. 2 Par 26, 16-21. 107) Cf. 2 Rg 13, 1-2.

Ideo multa Deus operatus est ad destruendum peccatum.

ximos praemiaque virtutis, quae cernimus in Patriarchis et sanctis omnibus universoque populo Dei, dedit de coelo legem,[108] misit Prophetas, operatus est miracula, instituit Sacramenta, consecravit sacerdotes, promovit iudices et reges, tandem unigenitum Filium suum misit ut tanquam Sol iustitiae fugaret a mundo omnes tenebras peccatorum: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae et sanitas in pennis eius*,[109] hoc est quod ait: *Quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, sicut sol expellendi tenebras. Homo factus Filius Dei ad hoc ipsemet praedicare voluit Evangelium, operari miracula, instituere Sacramenta, dare virtutum exempla et tandem pati acerbissimarum passionum crucisque tormenta.

Et tamen adhuc regnat peccatum in mundo!

Et tamen adhuc vivit, adhuc regnat peccatum in mundo: *Lux in tenebris lucet*, Christus lux mundi, *et tenebrae eam non comprehenderunt*,[110] sicut in Aegypto accidit: lucebat sol et tamen in universa terra Aegypti erat Aegyptiis nox obscurissima tenebraeque palpabiles, cum Hebraei clarissima luce diei fruerentur.[111] Adhuc mundus paralyticus est, viribus bene operandi destitutus, gravi vitiorum morbo affectus: *Mundus totus in maligno positus est.*[112]

Tale malum est peccatum, ut solus Deus possit illud curare,

VI. Ne putemus modicum malum esse peccatum ac facilius curatu quavis incurabili infirmitate et morte, etiam ipsa corporali, eo quod Dominus dicat: *Quid est facilius*, etc.? quasi diceret quod facilius erat dimittere peccata quam paralysim curare, nam maius opus est peccatorem iustificare quam mundum creare.[113] Sed vult dicere quod unius et eiusdem est potestatis divinae utrunque, solus enim Deus potest utrunque, sicut solus sol tenebras pellere nocturnas diemque efficere; sic omnia miracula respectu divinae potentiae aequalia sunt, sicut sol aeque stellas omnes illuminat.

cura autem haec est maximum miraculum divinae potentiae;

At si comparentur miracula inter se, quatenus opera sunt, unum maius est altero: aequali potentia Deus creavit coelum et terram, solem et lunam, hominem et animal; haec tamen non sunt aequalia, sed coelum maius, licet homo pluris faciat terram et quae in ea sunt bona. Maius autem forte opus hoc corporeum miraculum dici

108) Cf. Ex 20, 1 sqq. 109) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc. 110) Io 1, 5.
111) Cf. Ex 10, 22-23. 112) 1 Io 5, 19. 113) Cf. not. 15 huius hom., pag. 259.

potest respectu divinae voluntatis, quae regula est divinae potentiae. Sicut enim maius nos esse existimamus si rex semel tantum velit pauperem aliquem secum ad suam mensam cibum sumere manuque sua illum bonis vestibus induere, quam si dilectissimo filio haec iugiter praestet, nam paterna caritas facillime haec operatur erga filium, at non sic erga extraneum, sic spiritus noster est tanquam filius carissimus Dei, corpus autem veluti servus vilis; quare magna Dei dignatio est corpori per seipsum conferre salutem, sed inaestimabiliter maius opus est spiritui salutem afferre perpetuam, quam non affert Christus nisi dilectis et electis suis, efficaci pietate et caritate vincens omne peccatum omnemque iniquitatem: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* [114]

Ne putes, homo, leve quid esse ac nihili peccatum, nam malum est adeo magnum, ut nullum vel excogitari possit maius. Vide quanto odio illud prosequatur Deus, quibus punitionibus castigat, quas poenas in inferno praeparavit in aeternum, praeter temporarias has; quoniam sicut Deus ipsissima bonitas infinita est, tanquam sol qui est ipsamet lux, ita peccatum ipsissima malitia est infinita, hinc eam Deus in aeternum punit.

malum adeo magnum est peccatum, ut nullum maius vel excogitari possit.

In mundo autem specialis poena peccati paralysis est, debilis impotentia. Sic legimus quod populus Dei, quandiu secundum legem Dei vivebat, potentissimus erat ad omnes superandos hostes; violata autem lege, debilissimus ad resistendum, a tyrannis gravi opprimebatur servitutis iugo. [115] Et hodie cur tam debilis est populus christianus contra Turcas, immanes inimicos nominis christiani? Cur tam debile christianum imperium? Quia paralysis est poena peccati violatae legis.

In hoc mundo specialis poena peccati est paralysis spiritualis.

VII. *Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum*, etc. Hodiernum Evangelium est sicut *Rationale*, quod magnus sacerdos ad pectus gerebat multis lapidibus pretiosis ornatum, in quo erant הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, l u m i n a et p e r f e c t i o n e s, vel s i m p l i c i t a t e s, [116] multa enim continet mysteria et sacramenta, multa do-

Multa mysteria continet hodiernum Evangelium,

114) Mt 9, 6; Lc 5, 24. 115) Cf. Idc 2, 1-3, 1 sqq.; 6, 1-10. 116) Cf. Ex 28, 15-30. Ms.: *Haurim et hathumim.*

ctrina plenum est ad illustrandum intellectum muniendumque contra perniciosas haereses variosque errores, et multa sapientia ad consolandum affectum et cor animumque fidelium contra omnes afflictiones in quavis angustia et tribulatione mentis et corporis.

quae illuminant intellectum

Ad illustrandum quidem intellectum ponuntur hic fidei fundamenta: quod Christus sit verus homo, quod Valentinus,[117] Manichaeus[118] et Apollinaris[119] Apellesque,[120] haeretici et haeresiarchae, inficiabantur mordicusque negabant; quod sit verus Deus aequalis Patri in potestate et virtute, quod alii haereticorum antesignani perfide et obstinate negantes, purum hominem dicebant: Ebion, Cerinthus, Carpocrates, Paulus Samosatenus et Arius;[121] quod peccatoribus per poenitentiam resipiscentibus conceditur indulgentia et remissio peccatorum per quam iustificantur, quod Novatiani et Donatistae fieri minime posse contendebant;[122] quod fides viva una cum bonis operibus est quae Deo placet et Christo commendatur, et quod Sanctorum merita apud Deum plurimum valent ad impetrandam peccatoribus salutem et veniam, quod hodie multi cum Luthero et Calvino negant;[123] quod Deus scrutator est cordium, videt secreta mentium curamque et providentiam gerit humanarum rerum, quod displicent ei vitia et peccata: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* quod placent ei virtutes et bona opera: *Quorum fidem ut vidit, dixit: Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

et animum consolantur.

Haec et alia fidei mysteria et instructiones intellectum illuminant. Affectum vero et animum consolantur contra omnes tum externas tum internas calamitates et miserias: quod Christus infinita caritate divinaque potestate praeditus, et potest et vult, cum expedire

117) Cf. S. Io. Damascenus *De Haeresibus*, haer. 31, (P. G. 94, 698); S. Philastrius *De Haeresibus*, haer. 38, (P. L. 12, 1157); S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 11, ibid. 42, 28.
118) Cf. S. Io. Damascenus *De Haeresibus*, haer. 66, (P. G. 94, 718); S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 66, ibid. 42, 39. 74; S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 46, (P. L. 42, 37). 119) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 77, (P. G. 42, 647-683); S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 55, (P. L. 42, 40). 120) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses*, haer. 44, (P. G. 41, 823); S. Philastrius *De Haeresibus*, haer. 47, (P. L. 12, 1163); S. Augustinus *De Haeresibus*, haer. 23, ibid. 42, 29. 121) Cf. not. 21-23 huius hom., pag. 260. 122) Cf. S. Philastrius *De Haeresibus*, haer. 82, (P. L. 12, 1194); S. Pacianus epist. 1, ibid. 13, 1057; epist. 3, ibid, col. 1063 sqq.; S. Ambrosius *De Poenitentia*, lib. 1, cp. 1, ibid. 16, 466. 123) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, vol. 2, part. 3, pag. 111.

videbitur, omnia nobis mala procul repellere et propulsare; quod facillimus est ad omnia condonanda peccata; quod salutis nostrae cupidissimus et desiderantissimus sit; quod nos ad misericordiam suam invitat: *Confide, fili;* quod etiam inimicorum suorum salutem exoptat: *Virtus Domini erat ad sanandum eos.*[124] Magnam etiam animo consolationem affert quod Deus ad miserendum nobis salutemque praestandam movetur meritis virtutibusque Sanctorum.

Desumuntur ex hoc Evangelio aliqua documenta: *a*) patria diligenda est,

VIII. Dignum est autem ut ex hoc Evangelio documenta aliqua desumanus ad componendos mores vitamque optime instituendam. Primum autem sit, ut ad Christi exemplum quisque patriam civitatemque suam pro viribus adiuvet diligatque, etiam, si opus fuerit, periculo vitam exponendo, nam Christus hodie seipsum super naviculam ascendens exposuit periculis maris ut veniret in civitatem suam eamque iuvaret praedicatione et miraculorum operatione, ut multos salvaret corpore et spiritu, sicut paralyticum hunc.

nam post Deum maxime debitores sumus patriae;

Nam post Deum quidem maxime debitores sumus patriae. Sic Plato docuit in *Critone* patriae caritatem parentibus praeferendam et vitae,[125] et in *Menexeno* praeclarum esse dicit ac summa laude dignum pro patria mortem obire.[126] Et certe suapte natura amor patriae dulcissimus est; sic Ovidius libro 1 *de Ponto ad Ruffinum:*

> « Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
> Ducit et immemores non sinit esse sui »;[127]

et eodem loco:

> « Rursus amor patriae ratione valentior omni »;[128]

sic et Homerus 9 *Odyssea:*

> « Sane nihil dulcius sua patria et parentibus »;[129]

ubi ostendit quod Ulisses, humili quamvis loco natus, multos labores pertulit optans fumum de patriis posse videre focis,[129a] patriae nanque fumus alieno igne splendidior videtur.[130] Dulcissima unicuique patria est, maxime autem absenti, sicut piscibus mare et volatilibus aer ferisque agrestibus silvae.

124) Lc 5, 17. 125) Lib. 28, pag. 280. 126) Lib. 30, pag. 301. 127) Epist. 4, vr. 35. 128) Ibid. vr. 29. 129) Vr. 34. Ms.: 1 *Odyssea.* 129a) Cf. ibid. 1 *Odys.*, vrr. 20-59. 130) Proverbium graecum, de quo cf. L. Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Patria.*

sed patriae amor requirit ut eius bonum privato bono anteponatur;

Patriae autem amor requirit ut reipublicae bonum propriis atque privatis longe anteponatur; solus Deus patriae caritati anteponendus est. Hinc tria facit in sua civitate Christus: praedicat Evangelium dans divinae religionis praecepta viamque salutis ostendens, sanat infirmos corpore et spiritu dimittendo peccata, et arguit vitia: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

hodie autem oppositum observatur;

Sed, ehu! nunc φιλαυτία [130*] malaque cupiditas omnem fere extinxit pietatem in patriam et religionem in Deum, *omnes enim quae sua sunt quaerunt.* [131] Super omnia quaerenda est civitatis pax, abundantia annonae et honor ac reputatio ex virtute procedens et legum sancta observantia. Nunc autem privatis odiis et inimicitiis plenus est mundus, avaris mercatoribus, caritate omni spoliatis, qui nonnisi caritatem rerum ut ditentur desiderant, plenus scandalis et turpitudine morum, cum quisque virtuti studere pro viribus deberet ad patriam suam honestandam, quod et Romanorum multi, quamvis ethnici, ex gloriae tamen cupiditate fecerunt. Sed haec satis sint.

b) quaerenda primo est salus animae quam corporis;

Alterum documentum est, ut quisque cum paralytico hoc salutem propriam quaerat, sed non tantum corporalem, verum etiam spiritualem. Quaerebat paralyticus corporalem salutem, sed Christus prius contulit spiritualem dicens: *Dimittuntur tibi peccata tua;* postea corporalem: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Nos felices si ita quaereremus salutem animae sicut salutem corporis! Non poterat hic ad Christum per seipsum adire; invenit quattuor homines qui eum portarent; perductus autem ad domum ubi Christus erat, non potuit prae multitudine populi vel ad portas accedere; excogitavit ut, sublatis tegulis, per tectum demitteretur et ante Christum poneretur. [132] O mirabilem inventionem! O ingens salutis desiderium! Utinam nos sic ad Christum, urgente necessitate, accederemus scientes quod nulla nobis noceret adversitas si nulla nobis dominaretur iniquitas! [133] Causa igitur prius removenda est adversitatis.

Tertio, patienter nobis ad Christi exemplum toleranda est egentium pauperum importunitas et pie subveniendum necessitatibus

130*) Ms.: *Philautia.* 131) Phil 2, 21. 132) Cf. Mc 2, 3-4; Lc 5, 18-19.
133) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 57).

c) patienter toleranda est pauperum importunitas et illorum inopia sublevanda;

eorum. Non indigne tulit Christus horum importunitatem, quae merito indiscreta nimis et improba videri poterat; non dixit indignatus: Quaenam haec est vestra discretio? Non poteratis ad ostium expectare? Cur impedire sacram concionem? cur alienam perfodere domum? Sed boni aequique accipit hanc improbitatem fidemque collaudat et pie miseretur perfectamque salutem praestat. Aequissimo ergo et piissimo animo Christus hanc pertulit insolentiam, imo probavit, quoniam a magna fide et caritate procedebat: fide in Christum et caritate erga paralyticum; ex magno enim desiderio salutis ipsius hanc operati sunt insolentiam. Imitemur igitur misericordiam et caritatem Christi et caritatem etiam offerentium paralyticum. Simus pii erga pauperes infirmos, nam hic pauper erat, alioquin non praeeepisset ei Dominus ut tanquam gerulus lectum suum super humeros per mediam civitatem portaret; et tamen hi tanta cum caritate super humeros in lecto eum portarunt ad Christum ut sanaretur, hoc opere fidem suam in Christum testatam esse volentes.

d) cavenda magnopere nobis sunt iudicia temeraria et malitia interna,

Quarto, quod cavenda sunt nobis magnopere iudicia temeraria et occulta etiam cordium peccata, nam Christo magnopere displicent: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Sic per Isaiam Dominus ait: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis;* [134] sic per Ieremiam: *Lava a malitia, Ierusalem, cor tuum ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?* [135] Displicent Deo valde iudicia temeraria, hinc Dominus ait: *Nolite iudicare et non iudicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini;* [136] *in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, mensurabimini. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* [137] Haec fuit potissima causa perditionis Iudaeorum, quia temere Christi opera iudicabant. *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate:* [138] praecedat semper iudicium matura deliberatio et certa evidensque causae cognitio. Sic enim legimus quod Deus, postquam parentes nostri peccaverunt, antequam eos condemnaret, voluit causam cognoscere et veluti processum formare; [139] sic voluit descendere ad

134) 1, 16. 135) 4, 14. Vulg.: *Lava a malitia cor tuum, etc.* 136) Lc 6, 37. 137) Mt 7, 2-3. Vulg.: *Mensi fueritis, remetietur vobis... et trabem quae, etc.* 138) Io 7, 24. Vulg.: *Iustum iudicium iudicate.* 139) Cf. Gn 3, 9-13.

videndum turrim Babel quam aedificabant homines, prius quam linguas confunderet;[140] descendere ad certo certius cognoscendam causam Sodomorum et Gomorrhaeorum, antequam super eos ignem plueret de coelo;[141] descendere ad videndam afflictionem qua Aegyptii Hebraeos inhumaniter affligebant.[142]

nam solus Deus scrutator est cordium;

Ne ergo nos temere iudicemus, maxime vero occulta cordium mentesque et intentiones, nam solus Deus est qui scrutatur corda hominum.[143]

e) peccatores ex caritate corripiendi sunt;

Quinto, discamus, cum opportunum fuerit, ex caritate corripere peccantes in nos, sicut hodie Christus scribas et Pharisaeos corripuit: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Corripuit eos ut eos lucraretur et salvos faceret credentes, ideo divinitatis suae veritatem probare eis voluit ratione et miraculo, ut crederent et salvarentur. Sic bona pro malis reddidit eis Christus, non malum.

f) in omnibus prompte obediendum est Christo,

Sexto tandem, discamus exemplo paralytici prompte Christo obedire, etiamsi impossibilia nobis praecipere videatur; nam antequam curasset eum dixit: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam*, sed una cum praecepto dedit ei exequendi imperata virtutem, quoniam, ut diximus, operatorium est verbum Dei.[144] Sic Regius Vates ait: *Misit verbum suum et sanavit eos et eripuit eos de interitionibus eorum;*[145] et: *Mittet verbum suum et liquefaciet ea,*[146] veluti si nuncium aut Angelum mitteret ad aliquid agendum. Verbum Dei est veluti manus Dei; sicut homo manu operatur omnia, ita Deus verbo suo: *Verbo Domini coeli facti sunt et spiritu oris eius*, idest flatu, *omnis exercitus eorum.*[147]

qui virtutem dabit ut imperata eius servemus.

Legimus quod locutus est Dominus pisci et evomuit Ionam ad litus maris,[148] idest verbo suo hoc effecit; Moysi et Aaron dixit: *Loquimini ad petram... et ipsa dabit aquas,*[149] quoniam petra ipsa aures habet ut audiat verbum Domini. Elias locutus fuit ad ignem coeli: *Descendat ignis de coelo et devoret vos*, et ita semel et iterum factum est duosque impii regis quinquagenarios cum militibus combussit.[150] Omnia potest verbum Dei: *Omnia possibilia sunt credenti;*[151]

140) Cf. ibid. 11, 1-7. 141) Cf. ibid. 18, 20-21. 142) Cf. Ex 3, 7-8. 143) Cf. 1 Rg 16, 7; 1 Par 28, 9; Ps 7, 10; Ier 17, 10; Prv 10, 11. 144) Cf. supra, pag. 262. 145) Ps 106, 20. 146) Ps 147, 18. Vulg.: *Emittet verbum*, etc. 147) Ps 32 (hebr. 33), 6. 148) Cf. Ion 2, 11. 149) Nm 20, 8. Vulg.: *Illa dabit aquas.* 150) 4 Rg 1, 10. 12. Vulg.: *Devoret te.* 151) Mc 9, 22.

Omnia possum in eo qui me confortat.[152] Quomodo ergo, o homo, impossibilia reputas divina mandata? Impossibilia utique essent, nisi ipse opem ferret; sed ipso adiuvante, non solum possibilia, sed etiam facilia et levia valde sunt.

Nos autem diu vivimus in peccatis, quia desperamus diu vivere posse sine peccatis.

Etiam tamen hinc ortum habent omnia mala, hinc diu vivimus in peccatis, quoniam desperamus nos diu posse vivere sine peccatis. Sed age, experire vel per duos dies vivere sine peccato et experimento probabis facillimum esse et per hebdomadam et per mensem et per annum et per omne tempus vivere sine peccato magna cum animi voluptate, qui mirum in modum virtutum conscientia gaudet. Causa propter quam Hebraei voluerunt in Aegyptum reverti fuit quoniam a decem exploratoribus audierunt quod terra promissionis a gigantibus insuperabilibus inhabitabatur, quare impossibile visum illis fuit eam obtinere posse; at non sic visum fuit Iosue et Caleb veris Dei cultoribus,[153] nam *omnia possibilia sunt credenti ;* sic Davidi impossibile minime visum fuit posse Goliam superare, hinc in arenam descendit ad singulare certamen.[154]

152) Phil 4, 13. 153) Cf. Nm 13, 18 sqq. 154) Cf. 1 Rg 17, 26-51.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

Ostendit hodiernum Evangelium divinam misericordiam et iustitiam erga Hebraeos et Gentiles.

I. Sicut duobus cardinibus, polo arctico et antarctico, de quibus legimus: *Domini enim sunt cardines terrae et posuit super eos orbem,*[1] universa mundi machina regitur eosque circa coeli cum omnibus astris perpetua peripheria circumaguntur, sic universa Sacra Scriptura totaque divina lex a duabus divinis virtutibus et proprietatibus pendet, iustitia et misericordia, quibus veluti cardinibus regitur: *Universae viae Domini misericordia et veritas.*[2] Sacrosancti autem hodierni Evangelii is praecipuus scopus est, ut ostendat divinam tum misericordiam tum iustitiam erga tum Hebraeos tum Gentiles.

Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos, etc.[3]

Nuptiae istae significant desponsationem Christi cum Ecclesia.

II. Sicut Abraham fecit nuptias filio suo unigenito Isaac, sic Deus Pater, qui rex est coeli et terrae, Christo Filio suo unigenito, dans illi in sponsam sacrosanctam Ecclesiam, quae [est] mystica Rebecca. Cuius quidem matrimonii typus in paradiso praecessit in matrimonio Adami et Evae,[4] sicut ait Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et... Ecclesia.*[5] Dicitur autem *sacramentum magnum* praecipue ratione nimiae caritatis; cum enim praeter amorem sponsus quaerere in sponsa soleat et generis nobilitatem et copiosas divitias una cum pulcritudine, gratia et honestate, Christus solo amore captus Ecclesiam sibi in

1) 1 Rg 2, 8. 2) Tob 3, 2. Vulg.: *Omnes viae tuae.* 3) Pericope huius diei Mt 22, 1-14. Cf. Missale Rom. 4) Cf. Gn 2, 21-24. 5) Eph 5, 32.

sponsam copulavit, sicut Iacob amore captus Rachelem quaesivit in sponsam duxitque in uxorem [6], sic et Samson alienigenam quaesivit uxorem amore ductus. [7] Sicut autem pater Samsonis convivium nuptiale fecit cum filio suo unico uxorem dedit, [8] sic Deus Pater; mos enim etiam antiquitus fuit ut in nuptiis convivia celebrarentur, nam et Laban, cum dedit uxorem Iacob, convocatis amicorum turbis, fecit convivium magnum. [9]

nuptiale autem convivium gratiam et consolationes Spiritus Sancti in Novo Testamento,

Per nuptiale autem convivium gratia Novi Testamenti designatur, qua Spiritu Sancto coelitus accepto, fideles animae divinis consolationibus perfruuntur, maxime vero dum in mensa sacri altaris carne et sanguine Christi divino hoc cibo et potu infinita cum dulcedine saturantur; hoc enim est dulcissimum manna, hic panis qui de coelo descendit, omnem habens dulcedinem et saporem suavitatis. [10] Nuptiale convivium dicitur gratia Novi Testamenti ob largissimam bonitatis divinae effusionem; hinc Christus ipse ad has nuptias homines vocans ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.* [11]

ad quas omnes vocantur.

Omnes qui ad Christi fidem et cultum vocantur, ad spiritales consolationes et delicias vocantur; hinc vocari dicuntur ad nuptias, hoc est ad nuptiale convivium, de quo Isaias ait: *Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum vindemiae defaecatae :* [12] hoc est convivium deliciis omnibus refertum optimisque cibis et potibus praeparatum; convivium, pinguium convivium שְׁמָרִים, [13] asservatorum, sed asservatorum purificatorum, idest optimorum, vinum enim vetus novo melius est. [14]

Ut innuat maximas esse consolationes spirituales fidelium animarum, eas Christus comparat regali convivio.

Qualibus autem deliciis et voluptatibus refertum sit convivium istud spirituale optime Christus in parabola vivis veluti coloribus depingit, dum ait convivium esse regium et celebratum in nuptiis filii unigeniti. Talia enim convivia summa cum pompa maximisque sumptibus fieri solent, ut nec celeberrimo illi Assueri convivio cedant. [15] Designat igitur Dominus summas esse omniumque volu-

6) Cf. Gn 29, 16-30. 7) Cf. Idc 14, 1-3. 8) Cf. ibid. vr. 10. 9) Cf. Gn 29, 22. 10) Cf. Sap 16, 20 11) Mt 11, 28-29. 12) 25, 6. Vulg.: *Faciet Dominus... omnibus populis*, etc. 13) Ms.: *Scemarim*. 14) Cf. Lc 5, 39. 15) Cf. Est 1, 3-8.

ptatum, quae in hac vita haberi possunt, maximas fidelium animarum internas spiritualesque consolationes; hinc dictae sunt a Paulo pax omnem sensum exuperans:[16] *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!*[17] *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam;*[18] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus!*[19] Hinc mandata Dei dicuntur *desiderabilia super aurum et* super *lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum;*[20] *Quam dulcia faucibus mei eloquia tua super mel ori meo!*[21] Sic summa ostenditur Dei bonitas erga fideles etiam in hac vita: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se.*[22]

Ostenduntur misericordia et iustitia divina in omnes homines,

III. Divina autem natura, summa cum bonitas sit, sicut sol summa lux, infinita tum misericordia tum iustitia praedita, sic in sacrosancto hodierno Evangelio divina tum misericordia tum iustitia in omne hominum genus demonstratur; sed prius misericordia quam iustitia. Sicut enim vita mortem praecedit et dies noctem, sic misericordia iustitiam punitivam. Columna nubis, quae populum Dei praecedebat, interdiu erat nubes lucida et pulcra valde, noctu autem ignis ardens;[23] sic misericordia semper praecedit et iustitia sequitur.

prius autem misericordia, quia semper praecedit iustitiam.

Ieremiae Deus prius virgam vigilantem ostendit et deinde ollam succensam.[24] Virga quae regit nos divina misericordia est: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*[25] Haec est virga Moysi quae in salutem populi operabatur miracula[26] et ex lapide aquas eduxit;[27] iustitia vero *ignis consumens est.*[28] Deus prius conditum hominem in paradiso collocavit,[29] quod opus benignitatis est, deinde ob peccatum inde eiecit,[30] quod est opus iustitiae; prius *appellavit lucem diem* et postea *tenebras noctem;*[31] prius voluit arcam Noe aedificari,[32] deinde, apertis cataractis coeli, impium mundum di-

16) Cf. Phil 4, 7. 17) Ps 72 (hebr. 73), 1. 18) Ibid. vr. 28. 19) Ps 30, 20. 20) Ps 18, 11. 21) Ps 118, 103. 22) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Oculus vidit... ascendit... Deus iis qui diligunt illum.* 23) Cf. Ex 13, 21. 24) Cf. Ier 1, 11-13. 25) Ps 22, 4. 26) Cf. Ex 4, 17. 27) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 28) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 29) Cf. Gn 2, 7-8. 30) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 31) Ibid. 1, 5. 32) Cf. ibid. 6, 14-21.

luvio perdidit;[33] prius salvavit Loth, postea Pentapolim incendit;[34] in mari Rubro prius salvavit Hebraeos, postea submersit Aegyptios;[35] in arca foederis prius reponi fecit manna[36] et postea virgam;[37] prius benedicti fuerunt observatores divinae legis in monte Garizim et postea maledicti transgressores in monte Hebal, stante arca Domini in medio castrorum;[38] prius in terram promissionis introducti fuerunt Hebraei et postea eiecti Chananaei.[39]

Sub hac parabola elucet misericordia et iustitia Dei prius erga Hebraeos

Sic in sacrosancto hodierno Evangelio rex prius invitat ad nuptias: *Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias;* cumque illi venire contempsissent, nam *nolebant venire,* ipse tamen benignissimus, iniuria hac nihil offensus, *misit alios servos dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt: venite ad nuptias.*[40] Sed quoniam invitati neglexerunt et comtemnentes[41] iussa servos etiam iniuriis affecerunt et occiderunt, propterea iusta ira commotus rex, *missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit.*[42] Haec est misericordia et iustitia in Hebraeos.

et postea erga Gentiles

Verum enim vero, etiam erga Gentiles Dei tum misericordia tum iustitia ostentatur: misericordia quidem, quoniam rex ait servis suis: *Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum et quoscunque inveneritis vocate ad nuptias... malos et bonos,*[43] idest nobiles et ignobiles, sicut Assuerus non tantum principibus, sed etiam universo populo fecit convivium; Deus autem omnibus populis facit *convivium pinguium.* Iustitia vero ostenditur contra hominem non vestitum veste nuptiali. Cum enim vidisset eum rex et corripuisset dicens: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* illeque nesciens quid diceret obmutuisset, nec ad petendam quidem veniam os et linguam solvisset, tunc rex indignatione commotus ait servis: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.*[44]

IV. Magna plane ostenditur tum misericordia tum iustitia et erga Iudaeos et erga Gentiles. Erga Iudaeos quidem misericordia,

33) Cf. Ibid. 7, 17 sqq. 34) Cf. ibid. 19, 1-25. 35) Cf. Ex 14, 21 sqq. 36) Cf. ibid. 16, 33. 37) Cf. Nm 17, 10. 38) Cf. Ios 8, 33-34. 39) Cf. ibid. 12, 1 sqq. 40) Mt 22, 3-4. 41) Ms.: *Contemnente.* 42) Mt 22, 7. 43) Ibid. vrr. 8-10. 44) Ibid. vrr. 12-13.

Magna fuit misericordia Dei erga Hebraeos instanter eos vocando;

quoniam eos prius invitavit, deinde, cum morarentur venire, misit servos ad vocandum eos, nec dedignatus fuit et iterum mittere eosque urgere ut venirent, declarata nuptialis convivii magnificientia et pompa apparatus. Benignissimus censetur princeps, qui suppliciter exoratus, postulata benigne concedat digna rege liberalitate et munificentia; sed qui cupidus sit thesauros suos dispensandi invitetque, roget et urgeat amicos ad accipiendum, minime invenitur. Haec Deo propria bonitas et munificentia est, sic invitat vocatque iterum iterumque ad nuptias; haec infinita Dei bonitas est quae sese in indignos etiam diffundere satagit, sicut lux solaris in tenebras igneusque calor in glacies.

magna item iustitia, ut apparet ex eorum excidio,

Iustitia vero in homicidas desaevit: *Missis exercitibus... perdidit homicidas illos.* Sic apud Isaiam vinea Domini exercituum devastatur ob labruscas, idest ob iniquitatem et peccata:[45] *Quoniam manus vestrae sanguine plenae sunt.*[46] Sic Dominus ante hanc parabolam, alia de vinea tum clementiam tum severitatem in Iudaeos ostendit, et in illa quidem Christi mors assignatur extitisse in causam eversionis synagogae,[47] in ista vero persecutio et occisio Christi fidelium; quoniam, inquit, servos regis occiderunt invitati, propterea, *missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem eorum succendit.*

quod Christus praedixit.

Quare prophetice hic Christus praedixit Ierosolymorum excidium per Romanos, quod quadraginta circiter annis post Christi mortem, divina exig nte iustitia, in vindictam impiae Iudaeorum crudelitatis sicut praedictum fuerat evenit, ferro, igne flammisque funditus eversa Ierosolyma universaque Iudaeorum republica ferro, igne, fame consumpta et tota fere ad nihilum redacta, superstitibus vilissimo pretio in mancipia venditis et in captivitatem in omnes mundi oras ductis atque dispersis.[48]

45) Cf. 5, 2-4. 46) Ibid. 1, 15. Vulg.: *Manus enim vestrae*, etc. 47) Cf. Mt 21, 33-41. 48) Cf. Gius. Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 6, cp. 9-10, pag. 480-483.

II. ALIA HOMILIA

Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit, etc. [1]

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio regale convivium factum a summo rege coeli in nuptiis Filii sui unigeniti. Et vere evangelica haec parabola regale convivium est mensaque coelestibus ferculis copiosissime instructa, similis celeberrimo illi convivio, quod Assuerus rex potentissimus fecit universis principibus regni sui. [2] Est enim hodiernum Evangelium totius sacrae theologiae compendium et summa epilogusque et ἀνακεφαλαίοσις [3] omnium mysteriorum fidei. Videtur esse hodiernum Evangelium divinus ille liber in *Apocalypsi* sigillis septem signatus, [4] vel aureum candelabrum in divino tabernaculo septem lucernis ardens. [5]

Hodiernum Evangelium compendium est mysteriorum fidei.

Nam septem sunt in universum de quibus sacra theologia pertractat. Deus, qui est mundus ter maximus; mundus hic magnus, qui magnus homo est, magnum Dei simulacrum; homo, qui parvus est mundus, [6] parva Dei imago; Ecclesia, quae mundus est sanctitatis; synagoga satanae, quae mundus est iniquitatis; paradisus Angelorum, qui est mundus aeternae vitae et felicitatis, et tandem infernus daemonum, qui mundus est perpetuae mortis et infelicitatis. Haec omnia in hodierno Evangelio habemus.

agit enim de septem mysteriis, de quibus universa theologia tractat,

Agitur enim de Deo, quem hominem regem appellat, et de mundo, qui regnum est huius regis: *Simile est regnum coelorum homini regi ;* agitur de homine: *Vidit ibi hominem ;* [7] agitur de Ecclesia: *Fecit nuptias filio suo,* nam Ecclesia fidelium sponsa Christi est, Christo per fidem desponsata; agitur de synagoga infidelium: *Misit servos suos vocare invitatos . . . et nolebant venire,* [8] et iterum: *Nuptiae quidem paratae sunt . . . impletae sunt nuptiae discumbentium :* [9] haec est Ecclesia fidelium; *S*e*d qui vocati sunt non fuerunt digni :* [10] haec

idest de Deo, de mundo, de homine, de Ecclesia, de peccato, de inferno et paradiso.

1) Mt 22, 2-3. 2) Cf. Est 1, 3-8. 3) Ms.: *Anachephaleosis.* 4) Cf. 5, 1. 5) Cf. Ex 25, 37. 6) Sic mundus et homo ab antiquis appellantur. Cf. Plato *De Legibus* lib. 1, t. 2, pag. 645; Philo Iudaeus *Quis Rerum Divinarum Heres,* pag. 433; Macrobius *Comment. in Somnium Scipionis,* lib. 2, cp. 12, pag. 145. 7) Mt 22, 11. 8) Ibid. vr. 3. 9) Ibid. vrr. 8-10. 10) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Sed qui invitati erant,* etc.

synagoga satanae; agitur de inferno daemonum et loco damnatorum: *Ligatis manibus et pedibus... mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium;* [11] et tandem de aeterna felicitate electorum: *Multi... sunt vocati, pauci vero electi.* [12]

De Deo ostendit septem divina, attributa,

Nec simpliciter agitur de Deo in hodierno Evangelio, sed etiam de pluralitate Divinarum Personarum: *Homini regi, qui fecit nuptias filio suo*; et praeterea ostendit septem divina attributa. Nam etiam mundus septenario constat: septem diebus creatus, [13] motu septem planetarum rectus et septem rerum generibus constat: Angelis, coelis, astris, elementis, mineralibus, plantis et animalibus. Homo item tribus animae potentiis et quattuor humoribus corporis; Ecclesia septem Sacramentis septemque virtutibus et donis Spiritus Sancti; synagoga satanae septem vitiis et peccatis capitalibus; paradisus septem dotibus gloriosis, tribus in anima et quattuor in corpore, et infernus septem poenis oppositis.

idest maiestatem, potentiam, sapientiam,

Ita, inquam, de Deo septem sunt quae sacra theologia ostendit, nempe infinita aeternaque maiestas, potentia, sapientia, bonitas, iustitia, misericordia et caritas. Maiestas ostenditur hodie cum dicitur *rex coelorum: Simile factum est regnum coelorum;* potentia cum dicitur *rex* simpliciter: *Homini regi; Intravit autem rex,* [14] quia ipse solus est rex omnium per naturam; sapientia, qua tiam hominum corda scrutatur: *Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali;* [15] bonitas, qua *fecit nuptias Filio suo,* qua multos invitavit et missis etiam servis vocavit dicens: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altili* saginata *occisa sunt et omnia parata: venite ad nuptias;* [16] iustitia qua iratus perdidit homicidas, missis exercitibus suis; [17] misericordia: *Ite ad exitus viarum et quoscunque inveneritis,* malos et bonos, *vocate ad nuptias;* [18] et tandem caritas, nam: *Intravit... rex ut videret discumbentes,* [19] venit ad visitandos invitatos suos, quos tanquam amicos carissimos filiosque diligit, ita ut etiam indignum convivam amicum appellet: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* [20]

bonitatem, iustitiam, misericordiam et caritatem.

Innuuntur etiam septem opera Dei: generatio, qua Filium

11) Ibid. vr. 13. 12) Ibid. vr. 14. 13) Cf. Gn 1, 1 sqq. 14) Mt 22, 11. 15) Ibid. 16) Ibid. vr. 4. 17) Cf. ibid. vr. 7. 18) Ibid. vr. 9. 19) Ibid. vr. 11. 20) Ibid. vr. 12.

habet; praedestinatio, sive electio: *Pauci... electi;* creatio, qua regnum coelorum, idest mundi totius sibi construxit; gubernatio, qua dicitur *rex;* vocatio: *Misit servos suos vocare invitatos;* iustificatio, ob quam Sacramenta instituit, sicut ob vocationem Scripturas: *Prandium meum paravi... omnia parata,* paratae sunt nuptiae; et tandem glorificatio electorum et reproborum iusta damnatio in finali iudicio.

Innuuntur etiam septem opera Dei.

II. Quid igitur in tali tantaque rerum copia agendum nobis est? Principalis scopus hodierni Evangelii est reprobatio Iudaeorum et electio Gentium, qualis est et scopus parabolae vineae, quae immediate praecedit,[21] ubi Dominus dixit principibus Iudaeorum et Pharisaeis: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*[22] Sed illa quidem parabola principaliter directa fuit ad primates Iudaeorum, haec autem ad universum populum; ibi dixit perdendos principes populi: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis,*[23] hic vero ait perdendum universum populum ob impietatem: *Iratus est* rex *et, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem eorum succendit.*[24] Et parabola quidem [illa] exprimitur quid populo illi acciderit usque ad passionem Domini, hac vero significatur quid post passionem Salvatoris eventurum erat: *Tauri mei et altilia occisa sunt: venite ad nuptias;* in ea significatur Ecclesia per vineam ob meritum iustitiae et virtutis quam Deus a nobis requirit et expectat, in hac autem designatur per convivium ratione praemii et beatitudinis quam electis suis largitur Deus, non solum in futuro saeculo, sed etiam in praesenti.

Sed principalis scopus hodierni Evangelii est reprobatio Iudaeorum et electio Gentium,

Cum igitur hic sit principalis scopus hodierni Evangelii, hac de re, favente et opitulante Deo, aliquid nobis dicendum est. Non est autem animus de electione et reprobatione, praedestinatione et praescientia seriosum habere sermonem theologicumque tractatum, sed tantum quae ad hodierni Evangelii declarationem dilucidam satis esse possunt in medium afferre.

de quo nunc sermo instituitur.

21) Cf. ibid. 21, 33-39. 22) Ibid. vr. 43. 23) Ibid. vr. 41.
24) Ibid. 22, 7.

Caput autem sit quod Deus est qui eligit et reprobat sua voluntate: *Iacob dilexi, Esau autem habui odio.*[25]

Circa praedestinationem sex consideranda sunt: principium, obiectum, media, scopus, finis et exemplar,

III. *Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ut venirent ad nuptias.* Non immerito Deus hoc loco dicitur homo rex et invitans ad regale ac nuptiale convivium in nuptiis unici filii. Circa hoc mysterium consideranda sunt quinque: principium, obiectum, media, scopus et finis. Principium est Deus, obiectum creatura condita *ad imaginem et similitudinem Dei,*[26] Angelus et homo, medium virtutes et gratia Spiritus Sancti, scopus gloria paradisi, finis autem gloria Christi, cui etiam addi potest sextum: exemplar, quod est ipse Christus filius regis. Haec enim omnia Paulus *ad Ephesios* docet: *Benedictus Deus* et *Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum* nostrorum *secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quae in coelis et quae in terra sunt in ipso, in quo etiam nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius.*[27] Longa plane oratione haec docuit Paulus. Nam quoad principium ait: *Benedictus Deus*, etc.; quoad exemplar: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, hoc est quod alibi ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui;*[28] quoad scopum: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum*, nam *si... filii, et heredes;*[29] quoad finem: *Praedestinati secundum propositum eius qui operatur*

quae docet etiam D. Paulus.

25) Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. Vulg.: *Odio habui.* 26) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
27) 1, 3-12. 28) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 29) Ibid. vr. 17.

omnia secundum consilium voluntatis suae... in laudem gloriae eius, et: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum,* sive, ut graece est, *beneplacitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae,* hoc est quod alibi ait: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus,*[30] et: *Sit in omnibus ipse primatum tenens;*[31] quoad media: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali... ut essemus sancti et immaculati... in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum,* et *gratificavit nos in dilecto*[32] *Filio suo,* et *nos vocati sumus sorte,* idest gratia, dono et beneficio Dei, absque meritis, sicut alibi ait: *Quos... praedestinavit, hos et vocavit... et iustificavit* ac tandem *magnificavit;*[33] quod autem spectat ad obiectum sive subiectum electionis, semper de hominibus loquitur.

Principium electionis est unicum beneplacitum divinae voluntatis.

IV. Sed accedamus ad mysteria Evangelii. Quoad principium dicitur hic: *Simile est regnum coelorum homini regi.* Homo dicitur Deus non solum quia tanquam mundus ter maximus continet omnia, sicut homo, qui propterea dictus est μικρόκοσμος,[34] parvus mundus, et mundus est magnus homo, magna Dei imago, Deus autem maximus homo, mundus ter maximus; sed etiam ad designandam intellectualem liberamque naturam. Principium electionis est liberum arbitrium Dei; non eligit ex necessitate, sed ex voluntate: *Praedestinavit nos... secundum propositum,* sive *beneplacitum,* εὐδοκίαν,[35] *voluntatis suae... praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Concurrit ad electionem simul divinus intellectus cognoscens intellectuales rationalesque creaturas et voluntas diligens cupiensque dare eis gratiam et gloriam: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*[36] Non est alia causa divinae electionis, nisi beneplacitum divinae voluntatis stultumque est ulteriorem causam quaerere, sicut quaerere cur ignis est calidus et sol lucidus, cur coelum est coelum et Deus est Deus.

Si qua tamen est ratio motiva, haec est divina imago et simili-

30) Ibid. vr. 29. 31) Col 1, 18. 32) Ms.: *Idest* adilcitur. 33) Rom 8, 30. Vulg.: *Glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 34) Ms.: *Microcosmos.* 35) Ms.: *Eudochian.* 36) Mt 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum ante te.*

Deus hic dicitur rex, quia eligit homines ut bonorum suorum eos participes faciat,

tudo, nam nonnisi has creaturas eligit quas ad imaginem et similitudinem suam condidit. Propterea hic Deus dicitur *homo*, ratione similitudinis, nam *ad imaginem et similitudinem suam* creavit hominem; *homo* autem *rex* dicitur absolute, ad designandam Dei infinitam potentiam et maiestatem, quoniam nulla motus indigentia eligit Deus homines, sed ut eos bonorum suorum participes efficiat; hinc electi hodie designantur per invitatos ad nuptiale convivium.

et etiam ad ostendendum diversos esse gradus electionis,

Et praeterea dicitur *rex* ad designandum quod non omnium aequalis est electio, sed hi eliguntur ad maiorem, illi vero ad minorem gloriam. Sicut rex in sua curia gradus habet diversos personarum: hi sunt consiliarii, illi iudices, alii duces, alii praefecti et gubernatores provinciarum et civitatum, alii cubicularii, alii secretarii, et sic multi sunt ordines servorum et ministrorum regis, hi maiores illi minores, ita erunt in patria: *In domo Patris mei mansiones multae sunt,*[37] ita in Ecclesia. Sic Christus non omnes constituit Apostolos, sed tantum duodecim, qui essent in Ecclesia supremi principes,[38] post quos elegit septuaginta discipulos,[39] qui secundum habebant dignitatis gradum ceterisque praeerant fidelibus, sicut sacerdotes et religiosi saecularibus.

ut alibi ipse Christus docuit;

Hinc P a u l u s Ecclesiam humano corpori comparat, in quo varia sunt membra, haec quidem superiora et nobiliora, illa vero inferiora et ignobiliora.[39a] Sic docuit Christus quod rex *uni dedit quinque talenta, altero vero duo, alii autem unum, unicuique secundum propriam virtutem;*[40] et homo nobilis uni ex servis dedit decem minas, alteri vero quinque, alii autem unam;[41] et semen cadens super terram bonam fecit fructum *aliud centesimum, aliud* autem *sexagesimum, aliud* vero *trigesimum.*[42]

scopus et finis est gloria Christi et beatitudo aeterna;

Quod autem spectat ad scopum et finem, inquit quod *fecit nuptias filio suo:* ad honorem et gloriam filii sui proponitur regium convivium in nuptiis unici filii, quo maius excogitari non potest: *Prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata: venite ad nuptias.* Quid est *omnia parata ?* Omnia quae desiderari possunt: haec est gloria paradisi et aeterna beatitudo: «status

37) Io 14, 2. 38) Cf. Mt 10, 2-4; Mc 3, 14-19; Lc 6, 13-16. 39) Cf. Lc 10, 1. 39a) Cf. Rom 12, 4-5; 1 Cor 12, 12-27. 40) Mt 25, 15. Vulg.: *Alii autem duo, alii vero unum*, etc. 41) Cf. Lc 19, 13. 42) Mt 13, 8.

omnium bonorum cumulatione perfectus », [43] ubi cumulatissime omnia desiderabilia reperiuntur; paradisus est infinitus thesaurus omnium desiderabilium bonorum, est regale convivium in aeternum durans.

medium vero gratia divina.

Medium vero est, nam: *Misit servos suos vocare invitatos... et iterum misit alios servos* plures prioribus ut venirent, sed cum vestibus nuptialibus: *Quos vocavit... et iustificavit*, nam qui sine veste nuptiali intravit, tanquam indignus eiectus a nuptiali convivio est.

Deus eligit quos vult.

V. Non immerito autem designatur electio per invitationem ad nuptias, sed ad designandum quod, sicut nemo iure regem suum accusare potest et conqueri de eo si faciens convivium in nuptiis filii sui, hos aut illos non invitavit cives, quoniam neminem invitare tenetur, sed quos invitat, ex sua benignitate invitat, sic nemo est qui Deum possit arguere cur hunc elegerit, non autem illum, Iacob non Esau, Petrum non Iudam, mendicum Lazarum non divitem epulonem, [43a] latronem bonum non malum. [44] Hoc Paulus *ad Romanos* docuit: *Cui vult miseretur et quem vult indurat. Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? Voluntati... eius quis resistet? O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? Nunquid dicit figmentum... ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa [facere] aliud quidem vas in honorem* aliud *vero in contumeliam ?* [44a] *Hoc docuit* et Christus in parabola vineae et operariorum: *Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum ? Tolle quod tuum est et vade... An non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum ?* [45] Dives cui magis libet pauperi potest eleemosynam facere.

Beatitudo est summa voluptas et maximus honor.

Adhuc non sine causa per convivium regium designatur beatitudo, sed ad designandum quod sicut naturaliter homo cibum potumque optimum appetit, ita naturale est in omnibus desiderium felicitatis vitaeque beatae. Quisque enim desiderat beate et feliciter vivere, et una cum magnis voluptatibus homo honores etiam desiderat principumque favores et gratiam; in regali autem convivio

43) Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724). 43a) Cf. Lc 16, 19 sqq. 44) Cf. ibid. 23, 39-43. 44a) 9, 18-21. Vulg.: *Cuius vult... resistit*, etc. 45) Mt 20, 13-15.

coniuncta sunt haec: voluptas summa cum maximo honore, cum quis a rege nominatim invitatus est ad convivium.

Invitati priores designant Iudaeos,

VI. Nunc autem videndum nobis est quinam sint invitati ad has nuptias. Duos hominum ordines legimus invitatos: priores qui noluerunt venire, sed semel et iterum post acceptatam invitationem vocati, neglexerunt et contempserunt abieruntque *alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam*, et alii tenentes servos *contumeliis affectos occiderunt*, [46] per quos Doctores omnes intelligunt perfidos Iudaeos, qui prius per Prophetas invitati ad fidem Christi et Ecclesiam Dei et postea per Apostolos vocati praedicatione Evangelii, in Christum credere noluerunt, sed fidei christianae praedicatores ad mortem usque persecuti sunt multosque Christi discipulos occiderunt. Hinc ait quod audiens rex *iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitates eorum succendit;* ita enim Iudaeis evenit: destructi [fuerunt] a Romanis exercitibus sub imperatoribus Vespasiano et Tito. [47]

posteriores autem Gentiles

Alii vero statim invitati et vocati advenerunt, nam ait: *Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum et quoscunque inveneritis vocate ad nuptias. Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletae sunt nuptiae discumbentium.* [48] Per hos autem Doctores omnes uno ore dicunt intelligendos esse Gentiles, qui per praedicationem Evangelii ad Christi fidem vocati eam promptis animis suscepere.

Causa electionis est bonitas et gratia Dei, absque ullis praevisis meritis;

Omnes igitur, tum Iudaei tum Gentiles, ad nuptias has invitati vocatique sunt; hoc est quod P a u l u s ait: Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire;* [49] omnes tum Hebraeos tum Gentiles invitavit vocavitque absque ullis meritis, sed ex sola bonitate et caritate sua, ex mera gratia sua. Electio enim ad salutem absque ullis meritis est; sic P a u l u s docet: *Non* est *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; Moysi enim dicit: Miserebor cui miserebor et misericordiam praestabo cui miserebor.* [50] Sic etiam

46) Mt 22, 5-6. 47) Cf. not. 48 praec. hom., pag. 280. 48) Mt 22, 8-10.
49) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... venire.* 50) Rom 9, 15-16. Vulg.: *Cui misereor*, etc. Ordine inverso affert hos vrr.

docuit Moyses: *Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis iunctus est Dominus et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus.* [51] Haec igitur causa est divinae electionis, caritas et bonitas Dei immensa et infinita, absque ulla alia extrinseca causa vel ratione, absque ullis praevisis meritis, cum a nobis nec cogitare quidquam boni possimus.

At vero non sic in reprobatione, nam ratio reprobationis est vitium et peccatum, quod Deus odio infinito prosequitur; nam Deus quoad se etiam reprobos salvare cupit, sicut in Evangelio hoc luce clarius cernitur. Nam licet sciret Iudaeos reprobos esse atque praescitos indignosque salute, tamen non contentus eos invitasse, mittit semel et iterum ad eos vocandos ad nuptias. O infinitam Dei bonitatem et misericordiam! Quod si damnati reprobatique sunt, sua culpa sunt reprobati atque damnati, quia noluerunt venire ad nuptias, quia neglexerunt *et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam,* quia regis servos *tenuerunt et contumeliis affectos occiderunt,* quia suis vitiis et peccatis indigni fuerunt. Hae sunt reprobationis et damnationis causae; quisquis enim reprobatur a Deo, suo vitio et culpa reprobatur.

e contra, causa reprobationis est peccatum, quisque enim sua culpa reprobatur.

VII. Habemus itaque in hodierno Evangelio multa dogmata de electione divina. Primum est, quod ex solo beneplacito divinae voluntatis, ex mera gratia et caritate fit, hinc designatur per invitationem ad nuptiale convivium. Sic docet Divus Augustinus libro 1 *De Praedestinatione Sanctorum* [52] et libro *Hypognosticon contra Pelagianos,* [53] quamvis Chrysostomus *super Ioannem,* homilia 44, [54] Cyrillus libro 3, capite 39, [55] et libro 4, capite 6, [56] et omnes fere Patres antiqui, maxime Graeci qui ante Augustinum fuerunt, cum pelagiana haeresis minime grassaretur, docuerint electionem esse ex meritis, quod Deus eos elegerit quos praescivit futuros bonos beneque usuros libero arbitrio; reprobarit autem

Multa ergo dogmata insinuantur hac parabola: a) electio est ex solo beneplacito divinae voluntatis;

51) Dt 7, 6-8. 52) Lib. 1, cp. 17, (P. L. 45, 1018); cp. 18, ibid. col. 1022. 53) Lib. 6, cp. 2, ibid. col. 1657-1658. 54) P. G. 59, 253-255. 55) Ibid. 73, 522-526. 56) Ibid. col. 554.

quos praevidit futuros malos; quare praevisis meritis aut demeritis tribuebant electionem vel reprobationem. At Paulus ait quod *non* est *volentis ... sed miserentis ... Dei*, nam Deus est qui dat etiam velle,[57] et omnia merita sunt divinae praedestinationis effectus. Hoc igitur primum est dogma, quod electio est ex mera gratia Dei.

b) praedestinatio est praeparatio beatitudinis;

Secundum dogma est, quod electio sive praedestinatio est praeparatio beneficiorum Dei perfectaeque felicitatis et beatitudinis: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata: venite ad nuptias.* Sic etiam Augustinus docet.[58]

c) determinatus est numerus electorum;

Tertium dogma est, quod electorum determinatus est numerus, hoc enim est quod ait: *Impletae sunt nuptiae discumbentium.* Sic in *Apocalypsi* legimus: Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum;[59] et in eodem libro signatos numeratosque legimus electos servos Dei ex omnibus tribubus Israel.[60] Sic ait: *Qui numerat multitudinem stellarum,*[61] et in deserto iussit Deus numerari filios Israel ex Aegypto egressos, numerati autem fuerunt tantummodo viri perfecti.[62]

d) valde pauci sunt qui salvantur reprobis comparati;

Quartum dogma, quod in comparatione reproborum electi sunt valde pauci: *Multi ... sunt vocati, pauci vero* sunt *electi,*[63] non quia Deus multos salvare minime velit, *qui vult omnes homines salvos fieri,* sed quoniam multi salvari nolunt; sic enim ait: *Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire,* hinc indigni reputati sunt nuptiis.

e) causa reprobationis est peccatum et mala voluntas;

Quintum dogma est, quod ratio reprobationis est vitium et peccatum, mala voluntas, quae φιλαυτία[64] affecta, quae Dei sunt et Deum ipsum contemnit. «Aufer ergo malam voluntatem et non erit infernus»,[65] non erit reprobatus quisquam. Hinc Regius Vates Deo ait: *Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris ... cum electo electus eris et cum perverso perverteris, quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis.*[66] Non reprobat quemquam Deus ex odio personae aut naturae, quon-

57) Cf. Phil 2, 13. 58) *De Dono Perseverantiae*, cp. 14, (P. L. 45, 1014). 59) Cf. 6, 11. Affert ex Breviario Rom. in festo SS. Innocentium ad Mat., resp. 2 lect.
60) Cf. 7, 5-8. 61) Ps 146, 4. 62) Cf. Nm 1, 1 sqq. 63) Mt 22, 14.
64) Ms.: *Philautia.* 65) S. Bernardus *In tempore Rersurr. ad Abbates*, serm. 2, (P. L. 183, 290). 66) Ps 17, 26-28.

iam natura bona est, sed ex odio vitii et iniquitatis, ex iustitiae zelo.

Sextum dogma, quod ad gloriam unigeniti Filii sui Deus elegit quoscunque elegit, hinc ait quod *fecit nuptias filio suo*, et propterea *misit servos suos vocare invitatos ut enirent ad nuptias*. Omnia creavit Deus, mundum, Ecclesiam, paradisum et quaecunque in eis sunt, ad Christi gloriam: *Ut in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium,*[67] ut unigenitum Filium suum constitueret et declararet auctorem naturae, fontem gratiae et regem gloriae paradisi; hinc ait: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[68]

f) Deus quos elegit, ad gloriam Filii sui elegit;

Septimum dogma tandem est, quod quamvis determinatus sit numerus electorum, non tamen videtur simpliciter determinata electio quoad personas, sed aliquorum quidam determinata et firma electio est, aliorum vero indeterminata; veluti si rex velit colligere exercitum centum millium militum, habetur hic determinatus numerus militum, sed non quoad personas. Quoniam vero exercitus opus habet imperatore et ducibus equitum et peditum, eligit in imperatorem, in capita militiae, in duces et signiferos determinatas personas, quas ipse probe novit; milites vero inferioris gradus non sic, sed quicunque sint, sive ex hac sive ex illa gente et provincia, modo boni et fideles sint, milites bello apti, ita ut numerus militum praefixus impleatur. Ita ego quidem autumo, non sine multorum theologorum suffragio,[69] non omnino determinatam esse divinam electionem, ita ut Deus ab aeterno sententiam tulerit definitivam et peremptoriam, ut hi quidem certo certius salvi sint, illi vero damnati, sed multos quidem firma electione elegit qui essent capita et duces huius electae militiae. Sic in hodierno Evangelio habemus duo genera personarum, nam hi dicuntur servi missi ad vocandos invitatos per quos Prophetae et Apostoli electique Christi di-

g) quamvis determinatus sit numerus electorum, non simpliciter determinata est electio quoad personas.

67) Phil 2, 10. 68) Ps 8, 6-8. 69) Circa hanc valde agitatam quaestionem cl. Hurter tres sententias exponit: primam illorum qui tenent Deum voluntate antecedente omnem praevisionem meritorum praedestinare ad gloriam; secundam illorum qui docent praedestinationem post praevisa merita; et tertiam, propositam ab Ambr. Catharino, « secundum quam alii ante praevisa, alii post praevisa merita ad gloriam praedestinati sunt, quod etiam arrisit Occam, Biel, Gabriel, Flam. Nobilio, Ysamberto, Marianae etc. ». *Theologiae Dogmaticae Compendium*, t. 2, *De Deo Uno*, pag. 95. Huic postremae sententiae adhaerere videtur S. Auctor.

scipuli intelliguntur, quos ad praedicandum misit regnum coelorum,[70] alii vero per hos invitati vocatique sunt ad nuptias, cumque primi invitati noluissent venire, alii in illorum locum invitati fuerunt, sicque *impletae sunt nuptiae discumbentium.*[71] Non est igitur quoad personas omnino determinata electio, hinc Paulus ait: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne... cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*[72] Hinc Christus Angelo Ecclesiae Sardis ait: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,*[73] Sed inferius adhuc nonnulla dicemus ad hoc dogma spectantia super verba illa: *Pauci vero electi.*

Docet hodie Christus ad salutem necessariam esse sanctitatem, praeter fidem,

VIII. *Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,* etc.[74] Quoniam saepe Divinarum Scripturarum utriusque Testamenti volumina fidem mirum in modum collaudant: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam,*[75] et Christus Dominus noster saepe tribuit salutem, vitam aeternam et beatitudinem fidei dicens: *Fides tua te salvum fecit,*[76] *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam,*[77] *Beati qui non viderunt et crediderunt,*[78] ne putaremus quod per solam fidem sine operibus salvatur homo, manifeste docet Christus in hodierno Evangelio quod necessaria est iustitia et vitae sanctitas ad salutem, cum ait eiectum esse a nuptiis damnatumque ad tenebras exteriores hominem ob id tantum, quia non erat indutus veste nuptiali, idest honorabili et festiva, quibus indui solent homines in magnis solemnitatibus: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*[79]

nam per hominem non vestitum veste nuptiali intelligitur malus christianus.

Per hominem non indutum veste nuptiali, sed sordida, intelligitur malus christianus, qui bene credens, male vivit. Multi enim mali bonis permixti reperiuntur in Ecclesia; nam ait quod *congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletae sunt nuptiae discumbentium.*[80] Est enim Ecclesia arca Noe, in qua simul munda et immunda animalia commorantur,[81] sagena in mari[81a] con-

70) Cf. Mt 10, 7; 23, 34; Lc 9, 2; 10, 9. 71) Mt 22, 10. 72) 1 Cor 9, 27.
73) Apc 3, 11. 74) Mt 22, 11. 75) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac, 2, 23.
76) Lc 17, 19; 18, 42. 77) Io 3, 15. 78) Ibid. 20, 29. 79) Mt 22, 12.
80) Ibid. vr. 10. 81) Cf. Gn 7, 2. 81a) Ms.: *In mare.*

gregans bonos et malos pisces,[82] ager in quo simul cum tritico sunt zizania.[83] Ad fidem autem omnes acceptat Deus, non tantum eos quos bonos futuros esse praenoscit, sed etiam quos praescit malos et scelerosos fore.

Mali sunt non tantum qui pessime vivunt, sed etiam qui bonis operibus non student.

Quamvis per malos hic non ii tantum intelligendi veniunt qui pessime vivunt et sunt infidelibus deteriores, sed etiam ii qui etsi a gravibus peccatis abstinent, bonis tamen operibus minime student; hinc designantur per hominem, non quidem indutum sordidis vestimentis, sed non indutum veste nuptiali, idest iustitia et caritate, sicut Apostolus ait: *Abiiciamus... opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus;*[84] et item: *Induimini Dominum Iesum Christum,*[85] idest vitam Christi sanctissimam; et alibi: *Renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis;*[86] et in *Apocalypsi* legimus: *Venerunt nuptiae Agni et uxor... illius praeparavit se; et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim iustificationes sanctorum sunt.*[87] Sic Isaias ait: *Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis,*[88] sive ornamentis suis. Qui huiuscemodi vestibus indutus minime inventus fuerit, nequaquam salvabitur, sed tanquam iniquus damnabitur.

Deus intuetur cor sicut nos videmus indumenta.

Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?[89] Hoc est peccatoris hominis singulare iudicium: *Amice,* inquit – hoc nomine eum appellat ad designandum quod non ex odio personae, sed ex zelo iustitiae et odio iniquitatis eum arguit, – *quomodo,* qua fronte, qua audacia *huc intrasti* ad tales tantasque nuptias, ad participationem divinorum Sacramentorum, maxime corporis et sanguinis Domini, *non habens vestem nuptialem,* gratiam Spiritus Sancti et caritatem, quae animam iustitia induit et sanctitate vitae? Indicat locus iste quod Deus sic videt habitus animorum sicque co-

82) Cf. Mt 13, 47. 83) Cf. ibid. vrr. 24-27. 84) Rom 13, 12-13. 85) Ibid. vr. 14. 86) Eph 4, 23-24. 87) 19, 7-8. Vulg.: *Uxor eius... sunt sanctorum.* 88) 61, 10. 89) Mt 22, 12.

gnoscit vitia et virtutes cordis sicut nos cognoscimus corporum indumenta.

In inferno nulla erit redemptio.

Ille autem obmutuit, regi respondere ad suam iustificationem non potuit, ad se defendendum quam excusationem afferret minime invenit. Sic Beatus Iob ait: *Si voluerit* homo *contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.* [90] Cum igitur obmutuisset infelix iste, tunc rex ait ministris sive diaconibus, idest Angelis: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*, in profundissimum et teterrimum inferni carcerem, ex quo effugere minime possit, sicut ligatus manus et pedes, nam in inferno nulla est redemptio: [91] *Ibi erit fletus et stridor dentium*, infinitus cruciatus et dolor animi et corporis. O terribilem sententiam severissimae iustitiae Dei! o tremendum iudicium! [92]

Causa principalis damnationis est defectus bonorum operum,

IX. Curnam, quaeso, damnatus est homo iste? Quodnam scelus, quodnam grave piaculum admisit? Quia non fuit indutus veste nuptiali, idest quia non iuste, sobrie et pie vixit. [93] Quam ob causam in die iudicii Christus contra reprobos fulminabit sententiam illam: *Ite, maledicti, in ignem aeternum ? Quia*, inquit, *esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere*, [94] idest ex bonorum operum defectu, ob neglectam caritatem erga Deum et proximum.

ob id multi damnabuntur et pauci salvabuntur,

Et huic infelici erunt ne multi socii similesque in die iudicii? Utique, ait; nam ita concludit: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* [95] Mirabile dictu videtur, nam ait impletas esse nuptias discumbentibus et unum tantum inde eiectum esse, non multos, non maiorem partem; et tamen statim post latam contra infelicem illum sententiam subiungit: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Sed alludit Christus ad omnes vocatos, etiam priores qui noluerunt venire et mala pro bonis reddidere, quare *iratus* rex, *missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitates eorum succendit.* [96]

Sed adhuc aliud vult dicere Dominus hac sententia, quod de similibus idem est iudicium, [97] quod sicut huic multi sunt similes in

90) 9, 3. Vulg.: *Non poterit ei*, etc. 91) Breviarium Rom. Officium Def. ad Mat., resp. 7 lect. 92) Cf. Mt 22, 13. 93) Cf. Tit 2, 12. 94) Mt 25, 41-42. Vulg.: *Discedi a me... Esurivi enim... mihi potum.* 95) Ibid. 22, 14. 96) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Civitatem illorum succendit.* 97) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Beda *Sententiae Philosophicae* ex Aristotele collectae, (P. L. 90, 990).

culpa, multi etiam similes erunt in poena, quoniam apud Deum non est personarum acceptio; [98] quod multi sunt qui fidem habent in Ecclesia militanti, sed ob caritatis defectum et ob vitae sanctitatem neglectam valde pauci erunt in Ecclesia triumphanti: *Multi... sunt vocati* ad fidem, *pauci... electi* ad gloriam. quia pauci sunt fideles qui sancte vivunt.

Multi... sunt vocati, pauci vero electi. Ad hoc alludens Divus Paulus ait: *Nolo... vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.* [99] Nam ex sexcentis millibus hominum, qui a Deo vocati, Moyse duce, egressi sunt de Aegypto, duo tantum, Iosue et Caleb, ingressi sunt terram promissionis, [100] quae paradisi symbolum est in Divinis Litteris. *Haec autem omnia,* inquit, *in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.* [101] Sic ostendit Paulus paucos salvari.

Ad hoc manifeste alludit D. Paulus.

X. Sed si pauci sunt electi et praedestinati, ad quid multi vocantur ad nuptias? Iocatur ne Deus, an dolo nos vult decipere? Nequaquam, sed ad ostendendum quod, licet paucorum sit determinata firmaque electio, ita ut hi perire minime possint – ut Veritas ait: [102] *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, sed propter electos breviabuntur dies illi,* [103] – multorum tamen indeterminata electio est. Non enim Deus ab aeterno contingentia omnia simpliciter determinavit, alioquin ad quid humanae artes? ad quid providentia humana? ad quid humana consilia ad regendas respublicas? ad quid ars medica ad curandos infirmos? ad quid in Ecclesia praedicatio Evangelii et Sacramentorum administratio? Quaecunque autem extra se Deus operatur, contingenter operatur,

Ex hoc ostenditur paucorum determinatam esse electionem, multorum autem indeterminatam.

98) Cf. 2 Par 19, 7; Rom 2, 11; Eph 6, 9; Col 3, 25. 99) 1 Cor 10, 1-6.
100) Cf. Nm 14, 27-33; 32, 10-12; Dt 1, 34-36. 101) 1 Cor 10, 11. 102) Ms.: *Ut* loco: *Ait.* 103) Mt 24, 22-24. Ordine inverso affert hos vrr.

nam *operatur omnia consilio voluntatis suae;* [104] potest operari et non operari ut libet.

Deus tamen omnibus dat media salutis,

Sic hominum salutem operatur; vocat multos, quia multi salvari possunt si velint, nam ipse *vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire,* nam: *Unus ... Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* [105] Sic in Ecclesia Scripturae sunt pro omnibus; iussit praedicari Evangelium *omni creaturae;* [106] Sacramenta pro omnibus. Habet Ecclesia portas ad orientem, occidentem, meridiem et aquilonem; [107] Christus *tollit peccata mundi;* [108] *Sic ... Deus dilexit mundum.* [109] Dedit Christus seipsum propitiationem pro peccatis totius mundi, [110] sic *vult omnes salvos fieri* et neminem vult perire: [111] *Nunquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus ... et non* magis *ut convertatur ... et vivat?* [112] Omnibus dat media necessaria et sufficientia ad salutem, ergo omnes vult salvari. Quomodo enim censendus est iudex velle aliquos omnino perire, si ministris iubet ut carceres aperiant solvantque compedes ad libere effugiendum, si libuerit suas salvare vitas ab interitu ignominiae?

omnes enim vult salvari.

104) Eph 1, 11. Vulg.: *Secundum consilium voluntatis suae.* 105) 1 Tim 2, 4-6. Vulg.: *Omnes homines vult..., venire... redemptionem semetipsum pro omnibus.* 106) Mc 16, 15. 107) Cf. Apc 21, 12-25. 108) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. 109) Ibid. 3, 16. 110) Cf. 1 Tim 2, 6. 111) Cf. 2 Petr 3, 9. 112) Ez 18, 23.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

Duplex miraculum Christus operatur hodie: in corpore et in anima.

I. Cogunt paterna viscera amorque acutis calcaribus urget nobilis huius reguli pectus, ut ad Christum hodie currat voletque ad salutem morienti filio impetrandam, sciens, magistra fide, quod Christus lignum vitae est in medio paradisi *et folia* eius *ad sanitatem gentium.*[1] Accedit ad coelestem medicum auctoremque salutis, qui nedum sanitatem infirmo, sed etiam vitam mortuo dare poterat. Duplexque hodie miraculum operatur: sanat enim filium infirmum corpore et patrem spiritu male valentem ob incredulitatem: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*[2] Sicut autem prius in Cana Galilaeae Christus primum operatus miraculum aquam in vina convertit,[3] sic nunc hodie mortalem infirmitatem in diuturnam vitam mortiferamque incredulitatem in salutarem fidem, nam: *Credidit ipse et domus eius tota.*[4]

***Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset,* etc.**[5]

Ad perficiendam fidem reguli Christus sanat eius filium.

II. Sicut Moyses percutiens petram ad educendam aquam sitienti populo peccavit correptusque a Deo fuit, quoniam infirma fide ac veluti incredulus id egit,[6] sic hodie regulus accedens ad Christum ad impetrandam filio morienti sanitatem, de incredulitate arguitur: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Ob fidem enim imperfectam incredulus dicitur, nam etsi [6a] credidit posse Christum morienti filio sanitatem conferre, non tamen credidit absen-

1) Apc 22, 2. 2) Io 4, 48. 3) Cf. ibid. 2, 2-10. 4) Ibid. 4, 53.
5) Pericope huius diei Io 4, 46-53. Cf. Missale Rom. 6) Cf. Nm 20, 8-13.
6a) Ms.: *Enim* adiicitur.

tem id facere posse, et posse quidem infirmo sanitatem, non autem mortuo vitam largiri. Christus autem absens infirmum sanare voluit, ut patris fidem perficeret, sicut Eliseus absens voluit Naaman syrum a lepra mundare in aquis Iordanis,[7] quo magis divina virtus miraculi operatrix clareret.

Regulus centurione maior erat dignitate,

Miraculum quod hodie Christus operatus est, simile valde est miraculo pueri centurionis, quem iam iam moriturum ad preces centurionis in eadem civitate Capharnaum Christus absens corpore divina virtute curavit.[8] Sed accidisse in duobus hisce heroibus videtur id quod Manassi et Ephraimo accidit: ille maior erat, hic minor; ille ad dexteram patriarchae Iacob benedicendus positus fuit, hic autem ad sinistram; sed sanctus patriarcha minorem praetulit maiori;[9] sic Christus centurionem praetulit regulo. Hic enim maior, ille minor erat; hic iudaeus, ille gentilis; hic dignitate maior, puta regulus sive regius, qui apud regem unus ex primis principibus erat servosque multos habebat, nam: *Occurrerunt ei servi,*[10] ille centurio erat ἑκατόνταρχος,[11] dux centum militum, quare multo minori dignitate fulgebat.

sed Christus regulo centurionem praetulit, hunc enim laudavit, illum corripuit,

Attamen Christus regulo centurionem praefert; illum enim laudavit: *Non inveni tantam fidem in Israel,*[12] hunc autem corripuit incredulitatis: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Sed illum Christus laudavit ut virtutem ipsius adaugeret, nam virtus laudata crescit, hunc autem corripuit ut virtutem eius perficeret. Monuit enim correptione hac Christus docuitque prius quaerendam esse salutem animae propriae quam corporis alieni. Quare ordinare voluit Christus in anima huius reguli caritatem, cuius ordo requirit ut super omnia Deum diligamus, secundo loco animam nostram, tertio animam proximi, quarto corpus nostrum, quinto proximi corpus et tandem ea bona quae ad corpoream vitam sustentandam condita sunt. In regulo autem perversus hic ordo erat, nil enim curans animae suae salutem, quae sine integra fide consistere nullatenus potest: *Iustus* enim *in fide vivit,*[13] et: *Sine fide ... impossibile est placere Deo,*[14] quoniam *fides est substantia sperandarum rerum,*

docens prius quaerendam esse salutem animae propriae quam corporis alieni,

7) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 8) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 2-6. 9) Cf. Gn 48, 13-19.
10) Io 4, 51. Vulg.: *Servi occurrerunt ei.* 11) Ms.: *Ecatontarcos.* 12) Mt 8, 10.
13) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Gal 3, 11; Hebr 10, 38. 14) Hebr 11, 6.

argumentum non apparentium,[15] corporalem carnalis filii salutem quaerebat. Christus itaque eum corripiens docuit quod prius quaerendum nobis est regnum Dei cum iustitia eius.[16] Sicut enim pluris faciendum est corpus quam vestimentum, ita a sapiente viro carius habenda est anima quam corpus.

et satagendum nobis esse ut perfectae sint nostrae virtutes.

Docet item correptione ista Christus quod satagendum nobis est non tantum ut virtutes habeamus, sed etiam ut perfectas habere quaeramus; non enim ad amussim placet imperfecta virtus. Hic enim fidem habuit, sed imperfectam, ideo ipsum Dominus incredulum dixit fidemque eius perficere voluit et operato miraculo perfecit, nam: *Credidit homo sermoni,*[17] et accepto a servis nuncio salutis filii, *credidit ipse et domus eius tota.* Prius credebat quod Christus praesens poterat conferre quaesitam salutem; secundo credidit quod etiam corpore absens: *Credidit... sermoni quem dixit... Iesus ;* tertio, quod omnia posset, quod auctor vitae esset, verus Messias, Deus et homo. Sic reguli huius fides post miraculum perfecta fuit; fides autem centurionis ante miraculum.

Iam ante miraculum fides centurionis perfecta erat,

Quare quamvis similia admodum sunt haec duo miracula, ita ut nonnulli arbitrati sint unum idemque esse,[18] vere tamen diversa sunt et valde etiam dissimilia. Nam cum illum curavit Dominus, erat ipse quoque in civitate Capharnaum, at cum hunc hodie curavit, erat in Cana Galilaeae,[19] ubi aquam in vinum converterat;[20] et centurio non venit personaliter ad Christum, sed spiritu accessit, ait enim: *Meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te,*[21] sed seniores Iudaeorum misit et amicos; regulus autem in propria venit ad Christum. Ille volentem Christum venire ad curandum servum: *Ego veniam et curabo eum*, ex humilitate prohibuit: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus;*[22] hic autem *rogabat... ut descenderet et sanaret filium eius... Domine, descende prius quam moriatur filius meus.*[23] Uterque fidem habuit, sed centurio perfectam: *Non inveni tantam*

reguli autem valde imperfecta.

15) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, etc. 16) Cf. Mt 6, 33; Lc 12, 31. 17) Io 4, 50. 53. 18) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 2, cp. 22, (P. G. 7, 783); S. Dionysius Carthusianus *Enarrat. in Evang. Ioannis*, cp. 4, art. 12, t. XII, pag. 359; Nicolaus Lyranus *Glossa in Ioannem*, h. l. 19) Cf. Mt 8, 5; Lc 7, 1-2. 20) Cf. Io 2, 1-10. 21) Lc 7, 7. 22) Mt 8, 7-8. 23) Io 4, 47-49.

fidem in Israel; regulus autem imperfectam valde, adeo ut incredulitatem eam dicat Christus: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

Fides una virtus est, sed diversos habet gradus;

III. Unde intelligimus quod, quamvis fides una est virtus unusque habitus divinitus infusus, diversos tamen habet gradus. Sic docet Origenes homilia 2 *super Numeros,*[24] ubi docet quod sicut omnes homines natura similes sunt, sed vultu, statura, positione et habitu diversi sunt vultibusque quam maxime differunt, ita ut alius sit vultus Petri quo cognoscitur quod sit Petrus, alius Pauli quo cognoscitur quod sit Paulus, et hic quidem vultu formosus et pulcherrimus est, ille autem deformis et minime speciosus; sicut etiam omnibus hominibus natura similem vocem dedit, voce tamen et loquela hic ab illo dignoscitur; sic in animis hominum usuvenit. Et sicut in litteris alphabeti accidit – cum enim eaedem sint litterae apud omnes, non tamen omnes similiter scribunt, sed diversorum diversa chirographa sunt et a figuris formisque characterum scriptor a scriptore dignoscitur, – ita in virtutibus accidit. Et sicut una et eadem cum sit lux mundi ab uno sole dimanans, in coelo tamen differt stella a stella in claritate,[25] altera enim altera clarior et splendidior est; et sicut in unius et eiusdem scientiae aut artis professione hic illo excellentior et perfectior est; ita in eadem fidei virtute centurio multo perfectior regulo fuit, nam fides centurionis erat veluti mulier pulcherrima et ornatissima, fides autem reguli mulier minime formosa.

Christus fidem perfectam requirit.

Sicut autem placet humanis oculis pulcritudo, deformitas autem displicet, ita placet Christo fides perfecta, ideo fidem centurionis laudavit; imperfecta autem fides displicet, hinc ait: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Fidem a nobis requirit Christus, sed integram, sed perfectam, propterea ad perficiendam reguli fidem operari quidem miraculum voluit, sed non descendere in domum ipsius; operari miraculum absens corpore, non praesens, nam si miraculum operatus minime fuisset, amisisset ille parum illud fidei quod habebat, credens quod Christus miraculum illud

24) P. G. 12, 591-592. 25) Cf. 1 Cor 15, 41.

operari nequaquam potuisset; sed si descendisset et praesens curasset, credidisset ille quod absens minime curare potuisset. Ut igitur perfectam fidem conferret, absens miraculum in ictu oculi operari voluit, et sic regulus, viso miraculo, *credidit* perfecte *ipse et domus eius tota.*

Hinc elucet cur Dominus ire voluit in domum centurionis ad curandum illius servum, non autem in domum reguli ad sanandum ipsius filium. Voluit enim non rogatus illius domum adire ad exercendam manifestandamque illius fidem, rogatus autem non annuit ut perficeret huius fidem, quoniam perfectionem fidei summopere desiderat et exposcit a nobis Christus, ut in eum integre perfecteque credamus. Ad hoc misit Prophetas, post latam legem, ad hoc incarnationis suae mysteria Patriarchis revelavit, ad hoc tandem Praecursorem misit et post illum ipsemet Evangelium praedicare voluit et praedicationem divinis miraculis confirmare, quamvis miracula minime necessaria sint ad credendum, nam Ninivitae crediderunt Ionae absque ullis miraculis [26] et Samaritani Christo, sicut Ioannes hoc eodem capite refert. [27] Propterea Christus regulum arguit dicens: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* ad insinuandum quod miracula ad conciliandam fidem minime necessaria sunt, sed ipsa tantum praedicatio sufficere debuisset; imo ad Ioannis tantummodo testimonium; nam legatis principum fides non est deneganda, Ioannes autem fuit missus a Deo tanquam legatus, ut testimonium perhiberet de Christo. [28] Propterea igitur Iudaeos arguit incredulitatis: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

Ad fidem conciliandam praedicatio sola sufficit, miraculum necessarium non est,

Sed cur, quaeso, non sic etiam Iairum archisynagogum arguit Christus? Nam veniens ad eum ait: *Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam et vivet;* Christus autem statim *surgens . . . sequebatur eum.* [29] Profecto quia, ut Salomon ait: *Spirituum ponderator est Dominus.* [30] Nec fuit vulgaris fides archisynagogi, cum firmissime crederet quod Christus solo tactu manus suae posset mortuam filiam ad fidem revocare; quia tamen non omnino perfecta erat, eam Christus exaudivit quidem, sed minime commendavit.

attamen Christus miracula operatur ad eam perficiendam,

26) Cf. Ion 3, 1 sqq. 27) Cf. 4, 39-42. 28) Cf. Io 1, 6-7. 29) Mt 9, 18-19. 30) Prv 16, 2.

Christus igitur a nobis fidem requirit, sed perfectam, ut ipsum non tantum hominem sanctum credamus, sicut eum regulus credebat magnum quendam prophetam, qui divina virtute posset miracula operari, sicut Moyses, Elias, Eliseus et alii, sed etiam verum Deum, qui ubique est per essentiam, praesentiam et potentiam et ubique semper operari potest quaecunque libuerit: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit in coelo* et *in terra, in mari et in omnibus abyssis;* [31] ut credamus eius omnipotentiam, quod non solum praesens corpore possit infirmum perfecta sanitate donare, sed etiam absens mortuum ad vitam revocare; nec tantum ut divinam credamus omnipotentiam, sed infinitam etiam bonitatem, qua sicut potest, ita etiam vult salutem nobis conferre.

ut fecit hodie cum regulo.

Regulus quidem pluribus rogabat Dominum tanquam morosum et renitentem, aut qui nollet nec desideraret humanam salutem; at Dominus, ut simul divinam suam potentiam et caritatem ostenderet, ait: *Vade, filius tuus vivit;* [32] *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* [33] Operatorium et effectivum est Christi verbum: contulit filio salutem corporis et patri ac toti familiae salutem animae, nam: *Credidit ipse et domus eius tota; Hodie salus domui huic facta est.* [34] Haec perfecta est fides, quod Christus solo verbo et nutu voluntatis omnia possit ubique operari.

Hoc igitur miraculo Christus ostendit potentiam et caritatem suam.

IV. Agitur in hodierno Evangelio de conversione a lege Moysi ad fidem Christi; nam regulus iste iudaeus erat, hodierno autem miraculo ad Christi fidem conversus est: *Credidit ipse et domus eius tota.* Quae quidem conversio praefigurata fuit in conversione aquae in vinum in Cana Galilaeae, nam in Cana Galilaeae erat Christus cum hodiernum hoc miraculum operatus est; aqua autem legem Moysi significat, frigidam, insipidam modicaeque virtutis, vinum autem evangelicam legem, calore caritatis praeditam saporeque divinae sapientiae et multa Spiritus Sancti virtute.

Mystice designatur hodie conversio a lege Moysi ad fidem Evangelii.

Hoc idem est hodie cum vita debilis, impotens et infirma convertitur in vitam sanam, validam et potentem. Quo enim vinum liquor est aqua perfectior et pretiosior et vita sana vita infirma praestantior, eo lex evangelica perfectior est lege mosaica. Eadem

31) Ps 134, 6. 32) Io 4, 50. 33) Ps 32, 9. 34) Lc 19, 9.

est utriusque Testamenti fides, sicut eadem est vita in homine infirmo et sano, eadem est anima, idem spiritus, sed multo praestantior est vita sana vita infirma. Hoc idem declarat Apostolus, sumpta comparatione ab unius hominis varia aetate, in pueritia et in virili aetate: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli;* [35] et alibi: *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo... sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre,* [36] usque ad plenitudinem temporis, usque ad aetatem adultam.

Lex evangelica multo praestantior est lege mosaica,

Erat sub Veteri Testamento imperfecta valde fides, in Evangelio autem sub Novo Testamento multo perfectior. In lege praecipitur ut credatur Deus unus, non autem trinus; in Evangelio autem ut credatur unus et trinus; in lege praecipitur ut credatur Messias filius Abrahami, Isaac et Iacob, idest homo sanctissimus, non autem manifeste unigenitus Filius Dei et verus perfectusque Deus; in Evangelio autem ut credatur perfectus Deus et perfectus homo; in lege iustis promittuntur temporalia bona, peccatoribus autem mala; at in Evangelio iustis promittuntur aeterna praemia in paradiso, peccatoribus autem perpetua supplicia in inferno, non enim manifeste lex loquitur de paradiso beatorum in coelo nec de inferno damnatorum in abysso, sicut Evangelium.

nam sub Veteri Testamento fides imperfecta erat, sub Evangelio autem perfectissima.

Sicut igitur a viro perfectae aetatis maius exigitur iudicium quam a puero et maiora requiruntur ab homine sano quam infirmo, ita maiorem multoque perfectiorem fidem exigit a nobis Deus quam a Iudaeis exigebat in Veteri Testamento. Placuit Deo semper fides: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* [37] Sicut autem semper fides placuit, ita semper magnopere displicuit incredulitas, quam hodie hic arguit Christus: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* quae fides est Thomae: *Nisi videro... non credam,* cui Dominus: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* [38] Incredulitas nanque causa est omnium malorum, nam patres nostri propterea in paradiso peccaverunt, quia serpenti magis quam Deo crediderunt. [39]

Incredulitas Deo valde displicet, est enim causa omnium malorum.

35) 1 Cor 13, 11. 36) Gal 4, 1. 37) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23.
38) Io 20, 25. 27. 39) Cf. Gn 3, 1-6.

Hinc Divinae Litterae incredulitati tribuunt fere omnia peccata. Cum populus in deserto audisset ab exploratoribus quod terra promissionis a gigantibus inhabitabatur et quod habitatores suos devorabat[40] velletque in Aegyptum iterum reverti ad serviendum Pharaoni,[41] dixit Deus: *Quousque non credent mihi?*[42] Regius Vates omnia peccata populi in deserto tribuit incredulitati, *Psalmo 77: Quia non crediderunt in Deo nec speraverunt in salutari eius,*[43] et iterum: *In omnibus his peccaverunt adhuc et non crediderunt in mirabilibus eius;*[44] et *Psalmo 105: Non crediderunt verbo eius et murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini;*[45] sic per Isaiam Dominus ait: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas;*[46] et per Ieremiam: *Populo ... huic factum est cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum.*[47] Praeponitur incredulitas tanquam subsequentium malorum causa. Hinc Apostolus *Colossensibus* omnes peccatores vocat *filios incredulitatis,*[48] et *ad Romanos* docet quod Iudaei propter incredulitatem damnati sunt;[49] et Dominus Ioannis 3 ait: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*[50]

ut patet ex historia sacra,

ex Prophetis,

ex ipsis verbis Domini;

Credulitati, vivae fidei fere bona omnia tribuit Divina Scriptura: quia credidit populus Moysi, propterea ex Aegypto egressus fuit;[51] quia crediderunt viri Ninivitae Ionae, propterea poenitentiam fecerunt. Sic etiam legimus in *Exodo* quod, cum Moyses ex persona Dei comminatus fuisset Pharaoni horribilem tempestatem et grandinem quae homines et animalia in agris occiderent, omnes Aegyptii, qui crediderunt divinae huic comminationi, congregaverunt servos et animalia in domos suas.[52]

fidei autem tribuuntur omnia bona,

O utinam, fratres, nos omnes ex corde crederemus Divinis Scripturis! Procul dubio omnes divina servaremus mandata, sicut de regulo hodiernum Evangelium testatur quod, cum dixisset ei

ut cernitur hodie in regulo.

40) Cf. Nm 13, 22 sqq. 41) Cf. ibid. 14, 1-3. 42) Ibid. vr. 11. 43) Vr. 22. 44) Ibid. vr. 32. 45) Vrr. 24-25. 46) 65, 2. 47) 5, 23-24. 48) 3, 6. 49) Cf. 9, 30 sqq. 50) Vr. 36. 51) Cf. Ex 12, 50 sq. 52) Cf. 9, 18-21.

Christus: *Vade, filius tuus vivit,* quia *credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus,* [53] abiit in domum suam, obedivit Christo, quia credidit sermoni Christi, verbis Christi.

V. Quattuor sunt quae regulus iste prius de Christo minime credebat, scilicet divinitatem ubique praesentem, nam ideo rogabat ut Capharnaum descenderet, quia ibi divinitatem praesentem minime credebat; secundum est divina Christi omnipotentia, nam credebat quod Christus absens corpore non posset infirmum curare, nec praesens mortuum suscitare: *Descende prius quam moriatur filius meus ;* tertium est divina Christi caritas et philanthropia paternaque providentia, nam rogabat quasi nolentem ac nescientem; et quartum est divina Christi excellentia, qua rex est infinitae maiestatis, si enim hoc credidisset, non rogasset ut descenderet in domum ipsius Christus, sed cum centurione indignum se Christi praesentia reputasset.

Perfecte non credebat regulus divinitatem Christi eiusque divinam potentiam et caritatem,

Nobis autem credenda haec omnia sunt firmissima fide: Dei ubique praesentia, potentia, maiestas et providentia. Pudere autem nos deberet quod ab incredulo etiam regulo vincimur; hic enim in tribulatione positus venit ad Christum, nam etiam divites suos patiuntur manes; [54] sicut enim non solum hiems, sed etiam aestas suas molestias habet ob nimium calorem, sic non tantum pauperes, sed etiam divites multa patiuntur incommoda: si pauperes patiuntur frigus hiemis, divites sustinent calores aestatis. In tribulatione tamen hic positus ad Christum recurrit, sciens non fato, sed providentia Dei mundum hominesque regi; non tenuit illud poetae:

et tamen in tribulatione positus ad ipsum recurrit,

« Desine iam fata deum flecti sperare precando », [55]

nec illud:

« Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum »; [56]

sed potius illud:

« Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari », [57]

53) Io 4, 50. 54) Ex Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 743: « Quisque suos patimur manes
55) Ibid. vr. 376. Ms.: *Desine iam fata.* 56) Ibid. lib. 8, vr. 334. 57) Ibid. *Georgica*, lib. 2, vrr. 490-492.

idest mortis malorumque omnium metus a fato contempsit, sciens quod Deus est rerum omnium causa.

docens quid nobis agendum sit in tribulationibus nostris

Nos autem cur ad Deum et Dominum nostrum Iesum Christum non recurrimus in tribulationibus nostris? Cur non ex toto corde divinum auxilium imploramus? Regulus iste non solum abiit ad Christum et instanter oravit: *Rogabat eum*, sed etiam veluti repulsam passus et ob incredulitatem declaratus gratia indignus, non despondit animum, sed instantius oravit: *Domine, descende prius quam moriatur filius meus;* quare audire meruit: *Vade, filius tuus vivit* gratiamque optatam consecutus est. Oratio pia, si perseveret orans, obtinet omnia a Deo, Deus enim abundantia pietatis suae merita supplicum excedit et vota. [58] Si igitur cum, tribulatione urgente, compulsi ad Deum recurrentes non statim exaudimur ob nostram indignitatem, perseveremus orantes et exaudiemur ob divinam pietatem.

II. ALIA HOMILIA

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Is cum audisset quia Iesus adveniret, etc. [1]

Tria proponuntur hodie: iter Christi, miraculum et fructus miraculi.

1. Tria proponuntur nobis in hodierno Evangelio: primum est iter Christi a Iudaea in Galilaeam, in Cana Galilaeae, ubi aquam in vina converterat; [2] secundum est operatio miraculi quo divinitus perfectam sanitatem confert in momento reguli filio, qui in extremis laborabat animamque agebat, et tertium est fructus quem Christus consecutus ex miraculi operatione est: *Credidit ipse et domus eius tota.* [3]

Iter Christi in Galilaeam multa mysteria innuit.

Quoad primum, in hoc Christi itinere multa latent mysteria. Iudaea enim interpretatur l a u s , hinc patriarcha Iacob benedicens Iudae filio suo, ex quo secundum carnem Christus nasciturus erat, alludensque ad nomen ipsius ait: *Iuda, te laudabunt fratres tui.* [4] Et in Divinis Litteris Iudaea proprius locus divinae habitationis

58) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 181).

1) Io 4, 46-47. 2) Cf. ibid. 2, 1-10. 3) Ibid. 4, 53. 4) Gn 49, 8.

est: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius, et factus est in pace*, בְּשָׁלֵם, in civitate Ierusalem, *locus eius*, idest templum ipsius, *et in Sion habitatio eius;*[5] et Isaias ait: *Deus, cuius ignis .... in Sion et caminus .... in Ierusalem*,[6] hoc est civis est et habitator Sionis et Ierusalem, ibi domum habet, ibi agit ignem. Sic enim vulgo dici solet: haec civitas facit tot ignes; talis habet domum apertam facitque ignem in tali civitate.

Iudaea habitationem Dei significat,

Iudaea igitur Dei habitatio dicitur, quoniam solum in Iudaea Deus domum et habitationem, idest templum habuit inter homines in terra; Galilaea autem revolutio et fluctuatio interpretatur. Christus igitur tanquam verus Deus venit a Iudaea, a divina habitatione quae tota laus est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*,[7] venit factus homo in Galilaeam mundi huius, qui totus est revolutio et fluctuatio, ubi nihil stabile, nihil permanens:

Galilaea mundum figurat, in quem Christus venit factus homo,

« Omnia sunt hominum tenui pendentia filo
Et subito casu quae valuere ruunt ».[8]

Nec tamen factus homo desiit esse Deus; hinc venit in Cana Galilaeae; Cana autem interpretatur possessio et etiam zelus interpretari potest, unde legimus: כִּי אָנֹכִי יְהוָֹה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנָּא: *Quoniam ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes ;*[9] mundus autem Dei possessio est: *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti.*[10] Hinc Ioannes ait: *In propria venit et sui eum non receperunt :*[11] venit ad propria, venit ad sua, quoniam *omnia per ipsum facta sunt.*[12]

Venit etiam in Cana Galilaeae ad zelum, ad amorem nimium. Id quod maxime diligimus amorem nostrum dicere solemus: sic mater unicum filium, quem maxime diligit, bonum suum amoremque suum appellat, dum ad se vocat, amplexatur et osculatur; sic amantissimus sponsus suam sponsam, quam ardentissime diligit, amorem appellat, et in *Canticis* Salomonis saepis-

amore ardentissimo erga homines percitus,

5) Ps 75 (hebr. 76), 2-3. Ms.: *In salem.* 6) 31, 9 Vulg.: *Dominus, cuius*, etc.
7) Ps 83, 5. 8) Ovid. *De Ponto*, lib. 4, epist. 3, vrr. 35-36. 9) Ex 20, 5. Ex hebraico. Ms.: *Chi ani Iehovah elohecha el kana.* 10) Ps 88, 12-13. Vulg.: *Orbem terrae.*
11) 1, 11. 12) Ibid. vr. 3.

sime sponsa הָאַהֲבָה, idest *amor* dicitur.[13] Deus autem mundum maximo amore prosequitur: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*[14]

sicut ostendit hodierno miraculo.

Haec duo Christus ostendit in primo miraculo, quod in Cana Galilaeae voluit operari: potestatem possessionis suae, qua Dominus mundi est, convertens aquam in vinum optimum solo voluntatis nutu, et magnitudinem amoris volens interesse nuptiis tanquam dilectissimus sponsus Ecclesiae. Hodie quoque haec duo ostendit: primum, dum magno miraculo sanat filium reguli, et secundum, quoniam absque ullis meritis, sola caritate motus, ex mera gratia eum sanat.

Cana figurat divinam excellentiam Christi.

Erat etiam Cana Galilaeae situ eminentior civitate Capharnaum, quae metropolis erat Galilaeae, ubi manebat regulus quasi pro-rex, vicem regis gerens, civitatis et provinciae praefectus, hinc Christum rogat *ut descenderet* tanquam ab eminentiori loco *et sanaret filium eius.*[15] Est enim Christus suapte natura superior omni humana dignitate.

Arguitur incredulitatis regulus, non enim credebat Christi divinitatem,

II. Hinc elucere potest quare Dominus regulum incredulitatis arguerit. Primo quidem, quoniam non credebat eum a Iudaea venisse, de coelo descendisse, verum Deum esse ubique praesentem, ideo *rogabat... ut descenderet* ac si merus homo esset. Non credebat quod Christus esset in Cana secundum mysterium, quod esset in sua possessione, quod possessor esset omnium, sicut Abraham ait: *Levo manum meam ad... Deum excelsum, possessorem coeli et terrae;*[16] non credebat Christum Dominum esse vitae et mortis, hinc ait: *Domine, descende prius quam moriatur filius meus;*[17] si enim credidisset hoc, non dixisset: *Filius meus*, sed: servus tuus, creatura tua, nec dixisset: *Prius quam moriatur*, sed: *Tantum dic verbo*[18] et mortuus etiam resurget. Tertio, non credebat Christum in Cana quoad secundum significatum zeli et amoris, non agnoscebat divinam Christi caritatem, nam dixisset cum Martha et Maria Magdalena: *Domine, ecce quem amas infirmatur;*[19] sed Christum ita rogabat ac si

non potentiam, non caritatem,

13) 2, 4-5; 3, 10; 5, 8. Ms.: *Haahabah.* 14) Io 3, 16. 15) Ibid. 4, 47.
16) Gn 14, 22. 17) Io 4, 49. 18) Mt 8, 8. 19) Io 11, 3.

infirmi salutem minime desideraret nec conferre vellet. Quarto, non credebat divinam Christi excellentiam qua est unigenitus Filius Dei et princeps universi, nam dixisset cum centurione: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum,*[20] *nec meipsum sum dignum arbitratus ut venirem ad te;*[21] neque enim ausus fuisset regem suum rogare ut iret ad visitandum infirmum filium, etiam si scisset quod ex tali visitatione filius ob magnam animi consolationem convaluisset. Quis enim principum nunc auderet Papam rogare ut abiret ad visitandum infirmum filium eumque a peccatis absolveret, etiam si certo sciret quod sic[22] sanaretur moriturus infirmus? Regia enim aut pontificia maiestas in subditis talem ausum minime permittit nec tales admittit preces. Regulus autem sic rogare ausus fuit confisus in dignitate officii, in auctoritate personae suae, in nobilitate sanguinis, in divitiis et potentia sui status, quasi his movere posset Christum, quem nonnisi hominem arbitrabatur; et ut magis urgeret, non misit servos suos, sed ipse abiit ad Christum, sciens quod non illius divinam excellentiam;

« Urget praesentia Turni »;[23]

non enim sciebat quod Christus, quamvis nonnisi merus homo videbatur, erat tamen verus Deus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.*[24]

Cum ergo Christus verus et simplex homo videretur in forma servi, erat tamen verus Deus, *Rex regum et Dominus dominantium;*[25] regulus tamen, quia regulus erat, mundo clarus, nobilis et valde dives, Christo maiorem se existimabat. At Christus nihili fecit, etiam si Galilaeae princeps et praefectus esset, ipsius nobilitatem et divitias dignitatemque, quoniam exterius dives, interius pauper virtutibus erat: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;*[26] modicae fidei erat, ergo modicae virtutis, nam *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium;*[27] modicae virtutis, quoniam pluris faciebat temporalem filii sanitatem quam animae propriae aeternam salutem. Correptus enim a Domino de incredulitate, vel erat ergo modicae fidei et modicae virtutis.

20) Mt 8, 8. 21) Lc 7, 7. Vulg.: *Meipsum non sum*, etc. 22) Ms.: *Si*.
23) Virg. *Aeneid.*, lib. 9, vr. 73. 24) Phil 2, 6-7. 25) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.
26) Io 4, 48. 27) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, etc.

non percepit, vel contempsit, sed ait: *Domine, descende prius quam moriatur filius meus;* praeferebat corporalia temporariaque bona spiritualibus et aeternis.

Christus tamen caritate sua motus miraculum operatur.

Quamvis autem Christi gratia indignus hic esset ob incredulitatem, Christus tamen caritate sua motus miraculum operari non destitit optatamque et petitam gratiam misericorditer petenti concedere: *Vade, filius tuus vivit,* idest iam me auctore divinitus restitutus est integrae sanitati perfectaeque incolumitati miraculo redditus.

Curatio haec mystice iustificationem designat, cuius auctor Christus est, subiectum homo,

III. Curatio autem haec mysterium est iustificationis, cuius auctor est Christus Deus et homo, nam quatenus homo infinita caritate sua et plenitudine gratiae meruit nobis iustificationem et sanctificationem; subiectum est homo infirmus, homo peccator, in Capharnaum, in mundo hoc, qui creatus fuit a Deo ut homini innocenti esset villa consolationis, sed post peccatum factus est villa poenitentiae.[28] Propterea autem peccat homo, quia villam hanc poenitentiae vult esse villam consolationis, locum carnalium voluptatum, in regno autem voluptatis non est virtuti locus.[29] Ex sensu autem et concupiscentia carnis oriuntur peccata diuque perseveratur in peccatis, hinc ait: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum,*[30] ubi etiam puer centurionis iacebat paralyticus et male torquebatur[31] et ubi socrus Simonis *tenebatur magnis febribus,*[32] quae sunt *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae.*[33] Finis autem et terminus huius infirmitatis mors est aeterna: *Prius quam moriatur filius meus.* Forma iustificationis est sanitas, idest sanctitas spiritus, gratia Spiritus Sancti, quae virtutibus animam sanctificat sanamque et validam reddit; et tandem finis est vita aeterna: *Vade, filius tuus vivit.* Instrumenta autem iustificationis sunt praecipue Sacramenta, quae designata sunt in sex hydriis in quibus Christi virtute aqua in vinum optimum conversa fuit;[34] nam sex sunt Sacramenta, quae vasa sunt gratiae plena vino Spiritus Sancti, septimum autem est Christus in nuptiali convivio; in

forma gratia Spiritus Sancti, finis vita aeterna, media Sacramenta;

28) Alibi vero aliter S. Auctor hoc nomen interpretatur. Cf. supra, pag. 209.
29) Ex Cicerone: « Nec libidine dominante temperantiae locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere ». *De Senectute*, t. 4, col. 548.
30) Io 4, 46.
31) Cf. Mt 8, 6.
32) Lc 4, 38.
33) 1 Io 2, 16.
34) Cf. Io 2, 6-7.

Eucharistia enim continetur auctor Sacramentorum et gratiae, Christus.

Cana Galilaeae Ecclesiam figurat,

In Cana Galilaeae Christus operatus fuit hoc miraculum, quia extra Ecclesiam non est salus, [35] nec iustificatur quisquam nisi per gratiam Sacramentorum; nam etsi iustificari quis potest per poenitentiam et veram cordis contritionem et per piorum preces, sicut infirmus hic sanatus est ob preces patris, cum ipse in Capharnaum esset, in villa poenitentiae, tamen non iustificatur nisi virtute Sacramenti in voto, ideo non sanatur hic nisi a Christo existente in Cana Galilaeae, ubi in nuptiis vinum fecit ex aqua in sex hydriis plenis *usque ad summum.* [36]

In qua Christus peccatores iustificat,

Sicut autem invisibiliter Christus uno momento hunc sanavit infirmum absentem corpore, spiritu tantum praesentem, sic multos per poenitentiam et spiritalem contritionem iustificat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [37] Sic autem ad piorum preces per contritionem multi iustificantur a Christo.

Viso miraculo, regulus credidit Christi divinitatem, omnipotentiam, caritatem et maiestatem.

IV. Viso autem miraculo regulus divinitus operato in filio, *credidit ipse et domus eius tota,* credidit viva perfectaque fide. Hunc fructum collegit Christus ex miraculorum operatione; nam ad hoc ipse operabatur miracula, ad confirmandam veritatem doctrinae suae fidemque sibi conciliandam. Miracula enim sunt veluti regii sigilli, [38] quibus ad astruendam fidem muniuntur litterae et chirographa regia; sic Christus, facto miraculo, integram fidem sibi conciliavit in tota familia reguli: *Credidit ipse et domus eius tota ;* credidit Christi divinitatem qua ubique praesens est, Christi potentiam qua omnia potest, Christi divinam caritatem et bonitatem et tandem divinam Christi altitudinem et maiestatem, qua summus rex est universi omniaque regit atque conservat.

Haec enim quattuor de Deo singulariter non solum divina theologia Hebraeorum in Sacris Litteris docuit semper: quod Deus sit infinitae magnitudinis: *Si ascendero in coelum tu illic es* et *si descen-*

35) Notum axioma theologicum. Quo sensu vero accipiendum sit cf. Hurter *Compendium Theologiae Dogmaticae*, vol. 1, tract. 3, *De Ecclesia*, pag. 265-266. 36) Io 2, 7.
37) Ps 50, 19. 38) De hac voce cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*.

Quattuor haec de Deo semper docuit theologia Hebraeorum et etiam ethnicorum, ut patet ex hieroglyphicis Aegyptiorum,

dero in infernum ades;[39] *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum;*[40] *Coelum et terram ego impleo;*[41] infinitam potentiam, qua saepe dicitur *Deus omnipotens;* infinitam bonitatem, qua dicitur Optimus Maximus, et tandem infinitam maiestate, qua dicitur *altissimus* rex super omnem creaturam;[42] sed etiam Aegyptiorum et Chaldaeorum theologia eadem docuit de Deo. Nam Aegyptii, ut ex Porphyrio refert Eusebius *Praeparatione Evangelica*, libro 3, capite 3, Deum creatorem rectoremque mundi hieroglyphice ita depingebant: hominem caerulae veste indutum, altera manu sceptrum, altera vero zonam auream tenentem, ore autem ovum et capite pennam habebat.[43] Pulcherrimum hieroglyphicum est et mysteriis plenum. Hominem pingebant, quoniam Deus natura est intellectu et libera voluntate praedita, in se omnia continens simplici sua essentia, ad cuius imaginem factus est homo, μιχρόχοσμος,[44] compendium mundi, summa universi. Indutus erat veste caerulea, coelestis coloris, quia Deus magnitudine sua coelum implet: *Amictus lumen*, idest claritatem coeli, *sicut vestimentum*,[45] quia totum universum implet. Sic latinus Homerus *Ecloga* 3 ait:

et ex testimoniis poetarum.

«Ab Iove principium, Musae, Iovis omnia plena»,[46]

et *Aeneidis* 6:

«Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet».[47]

Ovum tenet ore, quia verbo mundum creavit: haec Dei omnipotentia est; sic idem poeta ait:

«Principio coelum ac terras camposque liquentes – idest maria –
Lucentemque globum lunae Titaniaque astra»;[48]

alibi etiam idem Maro cecinit dicens:

«Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos».[49]

Et Valerius Soranus, ut ex Varrone refert Augustinus 7 *Civitatis Dei*, capite 9, de Deo ita cecinit:

39) Ps 138, 8. 40) Is 66, 1; Act 7, 49. 41) Ier 23, 24. 42) Ps 96, 9. 43) Iuxta Migne cp. 11, (P. G. 21, 206-207). 44) Ms.: *Microcosmos* 45) Ps 103, 2. Vulg.: *Amictus lumine sicut vestimento.* 46) Vr. 60. 47) Vrr. 726-727. 48) Ibid. lib. 6, vrr. 724-725. Ms.: *Et terram lunae globum*, etc. 49) Ibid. lib. 2, vrr. 689-690.

« Iupiter omnipotens, regum rerumque deumque
Progenitor genitrixque deum, deus unus et omnes ».[50]

Dextra sceptrum tenet, quoniam rex universi ipse, per sceptrum enim regia designatur potestas, et apud antiquos fuit etiam Dei hieroglyphicum virga regia; in capite oculo desuper adiecto,[51] ad insinuandum quod Dei natura est omnia potens omniaque sciens; zona autem in manu divinam providentiam designat, qua omnia complectitur ac veluti colligat quae sub zodiaco coelesti continentur. Hinc apud latinum vatem 3 *Ecloga*, cum dixisset Damoetas:

« Iovis omnia plena »,

statim subiunxit:

« Ille colit terras, illi mea carmina curae.
Et me Phoebus amat »;[52]

curam enim et paternam providentiam gerit Deus omnium quae in mundo sunt, maxime vero hominum. Tandem penna in capite significabat incomprehensibilem natura Deum sublimemque ac supra mentis humanae captum. Quis enim aquilam capiat in sublimi coelo volantem?

V. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Erat homo iste sicut Naaman syrus, princeps magnus et potens apud regem Syriae, sed leprosus carne et spiritu, animo tumidus, nam cum venisset ad Eliseum ut mundaretur a lepra, missus ut lavaretur in aquis Iordanis, indignatus abibat, nam magnus cum esset princeps, voluisset ut propheta honoris causa ad eum excipiendum venisset obviam manuque posita super lepram, ad Deum orationes fudisset. Sed nihili fecit Eliseus eius divitias et nobilitatem;[53] valde enim alienus est spiritus Dei a curiali urbanitate mundi, quam humanus spiritus sequitur. Si humano spiritu Christus plenus fuisset, regulo huic obviam ivisset honorificeque eum suscepisset: Quid praecipit Dominatio Vestra Illustrissima et Excellentissima? Veniam libentissime. Quomodo? Excellentia Vestra fecit mihi iniuriam sese incommodans ut veniret! sufficiebat mittere unum de servis suis minimis et volando venissem!

Erat homo iste magnus, potens et dives, sed modicae virtutis.

50) P. L. 41, 202. 51) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 33, pag. 333.
52) Vrr. 60-62. 53) Cf. 4 Rg 5, 1-4.

Ideo Christus aspere eum tractat.

Sed non sic Christus, imo ut ostenderet quod divitiae et nobilitas absque virtute nihili sunt apud Deum, eum non satis urbane tractat, respondit aspere: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Et ob hanc causam, inquit Divus Gregorius, non invitatus Christus voluit personaliter ire ad curandum servum centurionis, rogatus autem ire noluit ad sanandum filium reguli, nam ille pauper erat et ignobilis, iste autem nobilis et dives, unicus reguli filius. [54] Nam humanus spiritus facillime pauperes ignobilesque spernit atque contemnit, divites autem et nobiles, maxime vero principes, magnifacit et sequitur, quia non sapit quae Dei sunt sed quae hominum; [54*] Christus autem, e contra, non quae hominum sunt, non mundanam nobilitatem et divitias, sed quae Dei sunt, divinam imaginem propter Deum magnifacit. Erat homo iste dives extrinsecus, in oculis hominum, sed intrinsecus, in oculis Dei pauper, non sicut Abraham, David et Ezechias, in utroque dives; Christus, e contra, ditissimus erat intrinsecus spiritualibus bonis, extrinsecus autem pauperrimus; temporalibus dives, sed modicae virtutis, modicae fidei: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

Rarissimi sunt divites qui non sint modicae virtutis.

Rarissimi sunt divites qui non sint modicae fidei, nam si vere crederent verbis Christi: «Centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis», [55] omnes facultates suas pauperibus erogarent. Modicae virtutis erat, quia in Capharnaum habitabat, in villa consolationis, in deliciis carnis; voluptas autem inimica virtuti est. Modicae virtutis et fidei, quoniam temporalia nimium diligebat, hinc cum a Christo moneretur de propria salute: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* monitionem hanc quasi impertinentem contemnens ait: *Domine, descende prius quam moriatur filius meus.*

Nimius affectus temporalium impedimento est virtuti.

VI. Hinc elucet quod nimius et immoderatus affectus temporalium magno impedimento virtuti est. Hinc Christus ait: *Non potestis Deo servire et mammonae,* [56] et Iudaeis ait: *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a ... Deo est,*

54) *Hom. in Evangelia*, lib. 2, hom, 28, (P. L. 76, 1211). 54*) Cf. Mt 16, 23; Mc 8, 33.
55) Breviarium Rom. Com. App. antiph. ad *Benedictus*. Cf. Mt 19, 29. 56) Mt 6, 24; Lc 16, 13.

non quaeritis ? [57] hoc est: ambitis visibilem ac temporalem mundi huius gloriam, non invisibilem et aeternam quam Deus electis suis largitur in praemium virtutis. Ubi manifeste docet Christus quod nimius affectus carnis impedit etiam fidem, nam quamvis fides in intellectu consistat, voluntate tamen opus est quae captivet intellectum in obsequium Christi. [58] Veritas enim fidei non est veritas per se manifesta, uti veritas primorum principiorum, neque veritas potissimis demonstrationibus ac mathematicis probationibus ostensa, quam intellectus, licet proterviens, negare non potest; nam fides non est scientia demonstrata, sed potius firma opinio, non quidem necessariis rationibus, sed probabilibus argumentis fulta, quae facile non protervientem intellectum ad assentiendum veritati inclinant, qualia essent argumenta probantia caeco a nativitate coelum esse plenum astris et solem esse luminis fontem dieique auctorem; potest enim persuaderi ut credat, non cogi ut assentiat. **licet enim fides in intellectu consistat,**

Cum igitur intellectus demonstrationibus necessariis cogi non possit ad credendum, sed tantum probabilibus rationibus persuaderi, voluntas plurimum potest et iuvare et movere; nam quae placent facile credimus, quae autem displicent minime; facile adhaeremus amicorum opinionibus, non sic autem inimicorum, sed pro viribus impugnamus, ut philosophorum Platonis et Aristotelis sectatores faciunt. **voluntate tamen opus est quae moveat intellectum;**

Sicut autem stomachus male affectus caput etiam vaporibus suis inficit, sic malus affectus vitiataque voluntas intellectum pervertit. Sic Divus [58*] Paulus ait quod propter cupiditatem multi *erraverunt a fide*, [59] sicut Ieroboam; [60] Iudaei avaritia, ambitione et odio in Christum excaecati credere noluerunt. Chrysostomus homilia 7 *in Ioannem* ait quod Paulus Samosatenus amore cuiusdam feminae apostatavit a fide; [61] Ambrosius libro 1 *Poenitentiae* ait quod Novatianus dolore amissi episcopatus discessit ab Ecclesia; [62] Divus Augustinus libro 21 *Civitatis*, capite 18, dicit nonnullos negare aeternitatem poenarum infernalium ut sine timore peccarent; [63] et ob eandem causam inquit Gregorius Nyssenus **si ergo voluntas vitiata est, facile intellectum pervertit.**

57) Io 5, 44. 58) Cf. 1 Cor 10, 5. 58*) Ms.: *Deus* loco: *Divus*. 59) 1 Tim 6, 10. 60) Cf. 3 Rg 12, 26 sqq. 61) P. G. 59, 66. 62) Cp. 15, (P. L. 16, 492). 63) Ibid. 41, 752.

Oratione 3 *de Resurrectione* multos negare resurrectionem mortuorum ut a timore se liberarent;[64] sic multi negant animorum immortalitatem ut more epicureo vivant. Divus Gregorius libro 20 *Moralium*, capite 12, ait multos avaritia detineri ne ad fidem convertantur,[65] ut sunt hodie Iudaei et haeretici, qui Ecclesiarum bona rapuerunt et, ne restituere cogantur, in errore perseverant. Sic vitia animi intellectum errore afficiunt et pervertunt.

Tribulatio via est ad salutem.

Regulus iste incredulus erat, quia non divina sed mundana quam maxime diligebat, et corporalia non spiritualia quaerebat. Deus autem cupiens salvare eum cum universa familia magnam tribulationem immisit. Vix enim alia est via per quam divites salutem consequantur: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum;* infirmitas autem et tribulatio haec fuit ipsi et universae familiae causa salutis aeternae.

64) P. G. 40, 674-675. 65) P. L. 76, 153.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

I. Sicut ars imitatur naturam [1] et simia hominem, sic nos Deum pro viribus imitari necesse est, cum *ad imaginem et similitudinem Dei* [2] conditi simus. Si enim eo quod ab omnipotente Deo luna soli simillima condita est, similes operatur effectus tanquam nocturnus sol, et quaecunque natura similia sunt, similibus virtutibus praedita, similes edunt operationes, nos, cum natura Deo similes simus, opus est ut virtutibus et operibus Deo assimilemur: *Estote ... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est;* [3] *Estote ... misericordes sicut et Pater vester* coelestis *misericors est.* [4] Hic utique sacrosancti hodierni Evangelii scopus est.

Similes Deo virtutibus esse debemus, sicut similes ei sumus natura.

Simile est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc. [5]

II. In Divinis Scripturis saepe legimus Deum in humana regalique forma sanctis Vatibus apparuisse; sic enim Isaiae: *Vidi Dominum sedentem super solium,* etc.; [6] *Regem Dominum exercituum viderunt oculi mei;* [7] sic Michaeae: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris;* [8] sic Ezechieli supra firmamentum in throno sapphirino; [9] sic Danieli, cum *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* [10] Nil mirum ergo si Christus in sacrosancto hodierno Evangelio Deum homini regi comparat dicens: *Simile est*

Christus Deum hodie nobis ostendit sub forma regis et iudicis.

1) Axioma ex Aristot. *Physic.*, lib. 2, cp. 2, t. 2, pag. 205. 2) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 3) Mt 5, 48. 4) Lc 6, 36. 5) Pericope huius diei Mt 18, 23-35. Cf. Missale Rom. 6) Is 6, 1. 7) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Vidi oculis meis.* 8) 3 Rg 22, 19. 9) Cf. Ez 10, 1-2. 10) Dn 7, 10.

regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Sub persona regis et iudicis ostenditur nobis hodie Deus, sicut apud Danielem: *Iudicium sedit et libri aperti sunt;* [11] regis vero iustissimi, clementissimi et ditissimi, siquidem: *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* [12]

ditissimi et clementissimi,

Talentum vero Hebraeis centum constabat minis, idest centum libris auri. Hinc legimus quod ex uno tantum talento aureo factum fuit aureum illud magnum candelabrum cum septem lucernis in tabernaculo Moysi, [13] et quod Giezi, servus sanctissimi vatis Elisei, ex duobus talentis argenti potuit emere *oliveta et vineas et oves et boves et servos et ancillas.* [14] Unum igitur talentum auri centum libras auri continebat, quare magni utique erat valoris aureosque circiter mille valebat, si libra decem aureos valet. Debitum ergo decem millium talentorum debitum plane immensum ac pene infinitum erat, puta decies millies millium aureorum. Qualis igitur erat copia divitiarum regis, si unus tantum servus talem tantamque auri summam debebat ei? Sic ditissimus rex iste ostenditur simulque clementissimus, nam rogatus a servo: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi,* o vere digna rege animi magnitudo et munificentia inaudita! *dimisit eum et debitum dimisit ei,* [15] misertus eius. Non petit servus talis tantique debiti remissionem, sed dilationem temporis ad solvendum; rex autem, qui abundantia pietatis suae et merita supplicum excedit et vota, [16] ex infinita sua liberalitate *dimisit eum et debitum dimisit ei,* magna plane gratia ac pene infinitum beneficium, argumentum magnae caritatis et infinitae misericordiae Dei.

sed simul iusti ac severi.

At vero non tantum dives et clemens rex iste ostenditur, sed etiam iustus et severus valdeque in iudiciis suis formidabilis et tremendus. Offensus enim servi ingratitudine et crudelitate animi, eo quod ferus ille conservi sui misereri noluerat, *iratus... tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum;* [17] *Iudicium... sine misericordia ei qui non facit misericordiam;* [18] *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* [19] Sic divinum propitiatorium, divinae naturae symbolum, medium locum inter duos che-

11) Ibid. 12) Mt 18, 24. 13) Cf. Ex 37, 17-24. 14) 4 Rg 5, 23-26.
15) Mt 18, 26-27. 16) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 181).
17) Mt 18, 34. 8) Iac 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit misericordiam.* 19) Lc 6, 38.

rubim tenebat,[20] et inter duos Seraphim Deus Isaiae apparuit;[21] sic divina natura, quae tota bonitas est et bonitas quidem immensa et infinita, misericordia et iustitia circumdata est. Misericordia eius veluti dextera manus est, iustitia vero sinistra. Sicut enim humanus animus amore et odio praeditus est et animalis cuiusque anima concupiscentia et ira, sic divinum cor misericordia et iustitia. Haec enim sunt in arca foederis Domini manna[22] et virga,[23] hi duo lapides onychini in scapulis magni sacerdotis,[24] hacc הָאוּרִים et הַתֻּמִּים, lumina et simplicitates in *Rationali* iudicii,[25] haec in cherubica imagine facies hominis et facies leonis apud Ezechielem.[26]

III. Scopus autem sacrosancti hodierni Evangelii is est, haec est praecipua Christi doctrina, ut misericordes simus in proximos, si divinam misericordiam consequi volumus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur ;*[27] *Dimittite et dimittemini;*[28] *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;*[29] *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*[30] Sic enim Christus hodie evangelicam parabolam concludit dicens: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de corde suo fratribus vestris.*[31]

Scopus hodierni Evangelii est nobis persuadere misericordiam in proximos.

Cum enim praecepisset Dominus dimittendum esse fratri peccanti et poenitenti, non tantum *usque septies, sed* etiam *usque septuagies septies,*[32] praesenti hac parabola ostendere voluit praecepti huius tum aequitatem tum necessitatem. Necessitatem quidem, quoniam sic lata lege statutum a Deo est, ut si quis vult delictorum suorum veniam a divina misericordia consequi, ipse quoque fratribus suis errata dimittat; aequitatem vero, inspecta magnitudine peccatorum nostrorum, quae per decem millia talenta designantur,

Hac parabola innuit Dominus huius praecepti necessitatem et aequitatem.

20) Cf. Ex 25, 17-21. 21) Cf. Is 6, 1-3. 22) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 23) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 24) Cf. Ex 28, 9-12. 25) Cf. Ibid. vr. 30. Ms.: *Urim et thumin.* 26) Cf. 10, 14. 27) Mt 5, 7. 28) Lc 6, 37. 29) Mt 6, 12. 30) Ibid. vv. 14-15. 31) Ibid. 18, 35. Vulg.: *Fratri suo de cordibus vestris.* 32) Ibid. vr. 22.

quorum comparatione peccata fratrum in nos modicum quid ac nihil sunt, veluti debitum centum denariorum, idest decem aureorum respectu debiti decem millium talentorum, idest decies millies millium aureorum. Quapropter si nostra in Deum impietas cum iniquitate fratrum in nos comparetur ac veluti in statera ponderaretur, *quasi arena maris... gravior appareret.* [33] Quid enim est homo Deo comparatus? Terra comparata coelo vix puncti magnitudinem habet, sic unus homo terrae universae collatus; Deus autem mundus ter maximus est, finiti ad infinitum nulla penitus proportio et comparatio est; [34] qualis autem inter Deum et hominem proportio est, talis utique inter offensam Dei et hominis iniuriam. Haec est proportio inter decem millia talenta et centum denarios, inter unum aureum et aureos millies mille.

et confirmat multis rationibus.

Neque hac tantum ratione Dominus aequitatem praecepti huius nobis persuadet, sed etiam quampluribus aliis: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* [35] Tu, inquit, servus es et in dominum tuum peccasti, commisisti crimen laesae maiestatis, ideo *nequam* es. Oritur vindictae appetitus ex superbia, cum seipsum homo non agnoscit. Vult Deus ut seipsum homo agnoscat quam vilis sit tum ratione naturae tum ratione culpae, quia servus natura, nequam culpa. *Omne debitum dimisi tibi*, maximum tibi indigno beneficium contuli, absque ullis tuis meritis. Quid enim servus nequam a domino in quem peccavit mereri potest? *Omne debitum dimisi tibi*, ego dominus tibi servo nequam, *quoniam rogasti me*, tuis tantum verbis motus. Si tua apud me tantum valuit oratio, cur apud te nil valuit conservi tui oratio? Cur quod tibi fieri voluisti non praestitisti conservo, cum haec sit lex naturaliter humanis cordibus insita? Erat ille non servus tuus, sed servus meus et conservus tuus, tibi aequalis. Cur illum nil reveritus es tanquam servum meum et conservum tuum? Erat eiusdem tecum naturae, conditionis et sortis, tibi par et aequalis, frater tuus: *Nisi remiseritis unusquisque de corde suo fratribus vestris.*

33) Iob 6, 3. 34) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 12, a. 1, ad 2. 35) Mt 18, 32-33.

IV. *Simile est regnum coelorum homini regi.* Homo dicitur Deus ob infinitam erga nos humanitatem, rex vero propter supremam auctoritatem qua coelum terramque regit et omnia; homo quia optimus, rex quia maximus, Deus enim suapte natura Optimus Maximus est. Regia autem dignitas suapte natura iudiciariam secum affert potestatem, hinc Abraham Deum dixit iudicem universae terrae, cum[36] ei revelavit Deus iudicium quod executurus erat super universam Pentapolim.[37] Propterea sequitur: *Qui voluit rationem ponere cum servis suis*, ut redderet unicuique secundum opera sua[38] iusta praemia meritorum. **Deus iudex est;**

Cum autem *coepisset rationem ponere.*[39] Instante mortis hora, dum homo in extremis laborat, conflictante anima, tunc incipit Deus ponere rationem requirens ut quisque rationem reddat villicationis suae.[40] Quilibet autem peccator hic unus est qui debet ei decem millia talenta; letalis enim peccati culpa infinitae gravitatis – Dei offensa cum sit, crimen divinae laesae maiestatis, – censenda est, hinc debito utique maximo offensam Dei comparat Christus. **peccatum vero debitum est infinitum,**

Deinde, debitum quidem multis contrahitur modis, praecipue vero, et maxime cum principibus, debitum duplex est: vel ex contractu, vel ex delicto. Ex contractu, uti sunt debita per mutuum, per commutatum, per emptionem non soluto pretio, per locationem, per emphyteusim, per fidei iussionem, per census et per tributa non soluta aliaque id genus; ex delicto vero, uti ex furto, ex damno illato et ex delictis lege inhibitis, quae poena pecuniaria mulctantur. Sic nos multa cum Deo debita facimus utriusque generis, tum ex contractu tum ex delicto, abutentes divinis beneficiis, mala pro bonis reddentes, quod summum ingratitudinis genus est; multa peccantes contra praecepta utriusque tabulae, tum contra Deum tum contra proximum, omittendo bona, committendo mala corde, ore et opere. **quod multis modis cum Deo contrahitur.**

Procidens autem servus ille ait: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.*[41] Sic multi mortem et supplicia aeterna timentes, gravi infirmitate correpti, peccatorum poenitentia ducuntur, proponunt vitae meliorem frugem, promittunt Deo, si vitam sicut Ezechiae prolongaverit,[42] condignos fructus poenitentiae se facturos. Ac- **Multi non sincera poenitentia ducuntur in hora mortis.**

36) Ms.: *Cui.* 37) Cf. Gn 18, 20-25. 38) Cf. Mt 16, 27. 39) Ibid. 18, 24. 40) Cf. Lc 16, 2. 41) Mt 18, 26. 42) Cf. 4 Rg 20, 5-6; Is 38, 5.

cepto autem a Deo vitae beneficio, obliti tum benefactoris tum beneficii, ut canes ad vomitum redeunt,[43] nautis similes facti, qui in naufragii submersionisque periculo constituti navim exonerant, sed facta tranquillitate, iterum navim iisdem oneribus onustam reddunt; Pharaoni sunt hi quam simillimi, qui dum plagis coelitus immissis flagellisque divinis urgeretur, poenitentiam pollicebatur, data autem requie, in pristinam impietatem indurato corde redibat.[44]

Misertus autem dominus eius, *dimisit eum et debitum dimisit ei.*[45] Non aspernatur Deus cor contritum et humiliatum, placuit ei non tantum Davidis humilis poenitentia,[46] sed etiam Manasse,[47] imo etiam ipsius Achab:[48] *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[49] Hic autem humilitatem ostendit nam procidit et condignos fructus poenitentiae promisit: *Omnia*, inquit, *reddam tibi;* quae vera contritio est, poenitudine omnia peccata complectitur ut omnia deleat destruatque omnes Amalecitas.[50] Quoniam vero placet Deo cordis contritio, quae ex meritis passionis et sanguinis Christi gratiam confert, hinc ait quod *dimisit eum et debitum dimisit ei*, quoniam facillime intuitu meritorum Christi, nam peccator primam gratiam mereri de condigno nullatenus potest, sed ex Christi meritis indignis etiam a divina miseratione donatur, modo sint corde contriti.

Deus facillime intuitu meritorum Christi misericordiam concedit.

II. ALIA HOMILIA

Simile est regnum coelorum homini regi.[1]

I. Rex iste in Divinis Litteris est qui apparuit Iacob in cacumine scalae coelestis,[2] quoniam rex est naturalis, nam superiores substantiae habent naturale dominium super inferiores, coelum super elementa, Angeli super coelum, anima super corpus; Deus autem suprema substantia est. Hoc item est quod Moysi in igne apparuit,[3] nam ignis semper tendit ad supera, et Ezechieli visus est in specie

Deus natura rex est universi.

43) Cf. Prov 26, 11; 2 Petr 2, 22. 44) Cf. Ex 8, 8-13, 28 sqq.; 9, 27 sqq.; 10, 16-28. 45) Mt 18, 27. 46) Cf. 2 Rg 12, 13. 47) Cf. 2 Par 33, 12-13. 48) Cf. 3 Rg 21, 27 sqq. 49) Ps 50, 19. 50) Cf. 1 Rg 15, 2-3.

1) Mt 18, 23. 2) Cf. Gn 28, 16. 3) Cf. Ex 3, 2.

hominis ad ignis instar splendentis.[4] Hoc item quando Moysi et Aaron, Nadab et Abiu ac septuaginta senioribus Israel apparuit habens sub pedibus eius scabellum ex lapidibus sapphirinis et purissima sereni coeli substantia.[5]

Maiestatem huius regis ostendit S. Scriptura.

Magnitudinem et maiestatem huius regis ostendit I s a i a s dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et ea quae sub ipso erant*, idest *fimbriae eius, replebant templum*,[6] idest mundum, qui Dei templum est. Vestis Dei gloriam ipsius significat et virtutem: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem et praecinxit se* virtute:[7] minimus gradus divinae virtutis mundum creavit et omni bono replevit. Seraphim canebant sacrum trisagium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*,[8] quoniam rex iste sanctissimus est; hinc Danieli visus est in veste alba: *Vestimentum eius candidum quasi nix;*[9] Ezechieli visus est splendens tanquam ignis; Ioanni autem in *Apocalypsi* tanquam iaspis, qui viridis est coloris, et tanquam sardius, qui coloris est rubei,[10] ad designandam divinam caritatem, misericordiam et iustitiam. Ezechieli visus est sedens super thronum sapphirinum,[11] Danieli super thronum igneum[12] et Ioanni *super thronum magnum* et *candidum*,[13] propter eadem mysteria, maxime vero ad designandam misericordiam et caritatem. Hinc Ezechiel[14] et Ioannes[15] viderunt thronum Dei iride circumdatum ac veluti coronatum. Thronus principum est thronus iustitiae: si quis fatetur crimen, damnatur; at thronus hic est misericordiae: qui confitetur, absolvitur. Confitenti debitum hodie universum dimissum est. Aurum in igne positum purificatur et perficitur, sic thronus iste ignis est consumens iniquitates et peccata.

Tribus partibus constat haec parabola.

II. *Simile est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum coepisset rationem*, etc.[16] Parabola proponitur in hodierno Evangelio quae multis est referta sacrae theologiae mysteriis. Sunt autem in summa tres partes ipsius: in

4) Cf. Ez 1, 27. 5) Cf. Ex 24, 9-10. 6) 6, 1. 7) Ps 92, 1. Vulg.: *Indutus est, indutus est Dominus*, etc. 8) Is 6, 3. 9) Dn 7, 9. 10) Cf. 4, 3. 11) Cf. Ez 1, 26. 12) Cf. Dn 7, 9. 13 Apc 20, 11. 14) Cf. Ez 1, 28. 15) Cf. Apc 4, 3. 16) Mt 18, 23-24.

prima ostenditur magnitudo Dei in seipso et magnitudo divinae tum bonitatis tum misericordiae erga hominem; in secunda vero proponitur inhumana crudelitas hominis contra hominem, impietas contra proximum in miseria positum, et tandem in tertia iudicium severae iustitiae Dei contra hominem crudelem in proximum: *Iudicium... sine misericordia ei qui non facit misericordiam.*[17]

In prima ostenditur magnitudo Dei in seipso.

Quoad primum ait: *Simile est regnum coelorum homini regi.* Duobus hisce verbis ostenditur magnitudo Dei in seipso. Assimilatur Deus homini, quoniam *ad imaginem et similitudinem Dei*[18] factus est homo, et si homo parvus est mundus, Deus est mundus ter maximus; homo est parvus mundus, mundus autem magnus homo, sed Deus maximus mundus et τρισμέγιστος[19] homo. Homo, quatenus homo, per naturam princeps est mundi huius inferioris, non per electionem aut per hereditatem vel successionem: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;*[20] hinc ait: *Simile est regnum coelorum homini regi,* quoniam Deus suapte natura rex est, rex regni coelorum, imperator unicus, monarcha absolutissimus totius universi. Rex est Deus, cuius palatium mundus est, cuius thronus coelum est, rex infinitae potestatis, quoniam non ipse a regno pendet, sicut magnitudo principis regisque terreni pendet a magnitudine status et regni, sed regnum ab ipso totaliter pendet, sicut sol rex est stellarum, ita ut non pendeat gloria solis a stellis, sed e contra; et corpus nostrum regnum est animae nostrae, non tamen anima pendet a corpore, sed corpus ab anima; sic mundus totus a Deo pendet, a quo creatus ex nihilo est. *Homini regi,* qui non est factus rex ab hominibus, sed ipse fecit homines, Angelos, terram, coelum et omnia quae in eis sunt.

qui suapte natura rex est universi, rex super omnem opinionem ditissimus,

Ostenditur rex supra omnem humanam opinionem ditissimus, nam: *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.*[21] Talentum autem hebraicum non valebat sexaginta minas, hoc est libras argenti, sicut atticum, sed centum sicut aegineticum; sic enim habet Iosephus libro 3 *Antiquitatum,* capite 10.[22] Et praeterea ta-

17) Iac 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit misericordiam.* 18) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 19) Ms.: *Trimegistos.* 20) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus,* etc. 21) Mt 18, 24. 22) Iuxta nostram editionem cp. 6, pag. 186.

lentum hebraicum non valebat centum minas atticas sicut aegineticum, sed centum minas hebraicas, multo maiores, nam mina attica valebat tantum centum drachmas, libram unam argenti, sed mina hebraica libras duas et semis, ut docet idem Iosephus libro *Antiquitatum* 14, capite 13,[23] et patet ex capite 45 Ezechielis, ubi habetur quod mina valet sexaginta siclos; siclus autem dimidia uncia argenti est,[24] quare sexaginta sicli sunt triginta unciae, quae duas et semis libras constituunt. Talenta ergo decem millia summam efficiunt inaestimabilem, iuxta computationem enim Budaei in libro *De Asse*, ad minus sunt sex millia millium aureorum, iuxta rationem attici talenti, quod circiter sexcentos aureos valeret.[25] At secundum rationem hebraici talenti, quod multo maius erat, decem millia talenta summam efficiunt maiorem decem millibus millium aureorum.

Bone Deus, quales ergo erant thesauri et aeraria, qualis magnitudo et copia divitiarum regis huius, si unus tantummodo servus *debebat ei decem millia talenta?* De hac immensitate infinita thesaurorum et divitiarum Dei saepe loquuntur Divinae Scripturae: *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo;*[26] *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti;*[27] *Levo manum meam ad... Deum altissimum, possessorem coeli et terrae.*[28] Sunt plane infiniti thesauri divitiarum Dei, sicut infinita est ipsius potentia, quoniam potest Deus quaecunque vult.

sunt enim infiniti thesauri divitiarum Dei;

III. *Simile factum est regnum coelorum homini regi.* Homo dicitur Deus, quia natura libera est, intellectu et voluntate libera; rex autem dicitur ratione potentiae et maiestatis infinitae. Sicut homo infinitae capacitatis est in intellectu et voluntate, sic Deus infinitae sapientiae est infinitaeque bonitatis, et sicut rex in suo regno omnia potest, ita Deus infinitae potentiae est. Non solum autem ostendit prima pars huius Evangelii magnitudinem Dei in seipso, sed etiam magnitudinem divinae bonitatis ac liberalitatis divinaeque miseri-

ostenditur etiam magnitudo divinae bonitatis et misericordiae erga hominem,

23) Iuxta nostram editionem cp. 12, pag. 136. 24) Cf. vr. 12. 25) Lib. 2, f. 65a; 114a-116a. 145b-151a. 26) Ps 23, 1. 27) Ps 88, 12. Vulg.: *Orbem terrarum*, etc. 28) Gn 14, 22. Vulg.: *Deum excelsum*.

cordiae erga hominem. Bonitatis quidem et liberalitatis, quoniam inventus est *unus qui debebat ei decem millia talenta.* In Magdalenae apologia Christus, cum eam a Simone pharisaeo defendit, proposita parabola Deum homini feneratori comparavit.[29] Magnus profecto fenerator qui uni ex servis suis credit decem millia talenta, decem auri millia millium. Magnitudinem vero misericordiae, quoniam cum ex debito iustitiae iussisset rex eum venumdari et omnia quae habebat ad exigendam summam denariorum quam ille debebat,[30] ad illius tamen preces misericordia motus non solum dilationem temporis ad solvendum concessit ei, sed dimisit universum debitum: *Procidens... servus ille adorabat eum dicens: Patientiam habe in me et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.*[31] Ubi ostenditur quam facile divina misericordia poenitentium preces exaudit et plus tribuit quam petatur. Nam servus hic nonnisi temporis dilationem ad solvendum petebat, non debiti dimissionem: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.* Quibus verbis vera depingitur poenitentia ex animo facta: procidit, quia necesse est ut humilis sit poenitentia; adorabat, quia divinam implorat misericordiam ut sit poenitentia pia, facta cum spe divinae misericordiae, et non sit sicut poenitentia Cain[32] et Iudae;[33] sit etiam integra, cum animo satisfaciendi Deo pro omnibus peccatis: *Et omnia*, inquit, *reddam tibi.*

quae facile vere poenitentium preces exaudit.

Obtinet autem vera et cordialis poenitentia a divina misericordia multo maiorem gratiam quam vel petat vel speret: *Misertus dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.* Significant autem decem haec millia talenta peccata multa et gravia. Saepe nanque in Divinis Litteris *debiti* nomine peccata intelliguntur, sicut quotidie oramus: *Dimitte nobis debita nostra.*[34] Peccatum autem nihil est nisi divinae legis ac decalogi transgressio. Millenarius autem multitudinem significat et talentum gravitatem. Poenitentia ergo humilis, pia et integra, ex animo facta obtinet omnium peccatorum remissionem a divina clementia, quamvis peccata et multa sint et valde gravia: *Dimisit eum et debitum dimisit ei* misertus illius. Sic infinita elucet Dei misericordia et clementia erga hominem. Sic

Poenitentia humilis, pia et integra remissionem obtinet omnium peccatorum.

29) Cf. Lc 7, 41 sqq. 30) Cf. Mt 18, 25. 31) Ibid. vrr. 26-27. Vulg.: *Orabat eum,* etc. 32) Cf. Gn 4, 13. 33) Cf. Mt 27, 3-6. 34) Ibid. 6, 12.

videre licet in Ninivitis,[35] in David,[36] in Manasse,[37] in Magdalena,[38] in publicano,[39] in filio prodigo[40] et aliis. Non sic faciles sunt principes ad dimittenda crimina laesae maiestatis vel debita miserorum.

Sed, age, sufficiat nobis quod prima pars huius parabolae Deum depingit erga nos infinita bonitate et misericordia praeditum.

In secunda parte ostenditur hominis impietas in hominem.

IV. Secunda vero pars ostendit infinitam prope hominis in hominem crudelitatem. *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes;* nec precibus miseri illius flecti unquam voluit: *Procidens conservus* ille *rogabat eum dicens: Patientiam habe in me et omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit et misit eum in carcerem donec redderet debitum.*[41] O inhumanam et plus quam felinam crudelitatem et truculentam saevitiam! At videndum nobis est quidnam per haec designare voluerit Dominus. Diximus quod per decem millia talenta intelliguntur multa et gravia peccata contra divinam legem in Deum ipsum patrata. Contingit autem ut qui Deum in multis gravissime offendit, ab homine postmodum ipse inimicitiae causa vel alia quavis ratione offendatur. Offensae igitur atque iniuriae, quas homo ab homine sustinuit contra caritatis et iustitiae leges, per centum denarios significantur. Comparans autem Dominus debitum centum denariorum, idest decem argenteorum ducatorum, cum debito decem millium talentorum, quod est veluti aquae cyathus oceano mari comparatus, docet quod omnis iniuria ab homine accepta nullius momenti est, si comparatur propriis peccatis et offensis Dei. Homo tamen eo ingenio affectus est, ut iniuria aliqua lacessitus, statim ira accensus et crudeli odio in offensorem armatus, implacabili animo expetat vindictam, tanquam truculenta fera inimicum omnibus quibus potest modis ad mortem usque persequitur: *Tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes.* Nec petita a parte pace cum integrae satisfactionis oblatione, persaepe efferatus animus placatur, ut odium rancoremque deponat illatamque

35) Cf. Ion 3, 1 sqq. 36) Cf. 2 Rg 12, 13. 37) Cf. 2 Par 33, 11-13.
38) Cf. Lc 7, 41 sqq. 39) Cf. ibid. 18, 10-14. 40) Cf. ibid. 15, 11 sqq.
41) Mt 18, 28-30.

iniuriam dimittat: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi. At ille noluit, sed abiit et misit eum in carcerem donec redderet debitum.* Sic Christus humanam crudelitatem a divina pietate toto coelo distantem et penitus alienam, ut eam abhorreamus et execremur, proponit.

Tandem proponitur severitas divinae iustitiae,

V. Tertio tandem proponitur severitas divinae iustitiae contra humanam crudelitatem impietatemque inhumanam ostendens quod crudelitas summopere Deo et Angelis displicet: *Videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde et venerunt et narraverunt domino... omnia quae facta fuerant.*[42] Displicet Angelis, qui summi Dei servi et ministri sunt, impia crudelitas; displicet et Deo: *Tunc vocavit illum dominus suus et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.*[43] Sicut enim Deus, cum totus caritas et amor sit, nihil magis desiderat, praecipit, expectatque a nobis quam caritatem et veram dilectionem ex animo, ita nil magis odit quam crudelitatem. Quamvis autem Deus per seipsum omnia sciat, etiam antequam fiant: *Omnia... nuda et aperta sunt oculis eius,*[44] tamen innuit hodiernum Evangelium quod Angeli, qui hominum curam gerunt, nunciant Deo omnia quae fiunt in mundo: *Nunciaverunt domino... omnia quae facta fuerant.* Deus autem tanquam iudex, accepta denunciatione delicti, vocat reum atque examinat, ut afferat pro defensione sua si quid habet: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:* ad preces tuas ego dominus tuus non tantum quod petebas, sed supra quam petebas concessi perfectam gratiam: *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Ipsa natura nonne hoc docere te debuit? An non est naturalis lex: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis?*[45] Cur ergo conservi tui minime misertus es, sicut ego tui misertus sum?

quae impietatem hominis in proximum rigide iudicat

Obmutuit infelix, nihil habuit quod pro iusta defensione affer-

42) Ibid. vr. 31. 43) Ibid. vrr. 32-34. 44) Hebr 4, 13. 45) Mt 7, 12.

ret. *Tunc iratus dominus eius tradidit eum tortoribus* infernalibus, ob impietatem damnatus, *donec redderet universum debitum*, hoc est in aeternum carcerem inferni damnatus est infelix iste ob crudelitatem, quoniam in inferno nulla est redemptio,[46] nullum ibi meritum, nullum potest esse lucrum, cuius acquisitione possit tali tantoque debito divinae iustitiae satisfieri. Idem est ergo: *Tradidit eum tortoribus donec redderet universum debitum*, ac tradidit eum in perpetuum carcerem inferni a daemonibus torquendum et cruciandum. **et condemnat;**

Neque tamen intelligendum est quod peccata a Deo semel dimissa, novo postea admisso peccato, iterum redeant, quoniam dona Dei sunt sine poenitentia,[47] sed quod si homo, accepta peccatorum remissione, deliberata voluntate iterum peccat in Deum vel in proximum, displicet tantopere Deo animi ingratitudo, ut novum hoc peccatum tanta severitate puniat ac si prius dimissa peccata minime essent dimissa, sed etiam illa puniret; quemadmodum humani principes facere solent iis, quos post multa crimina laesae maiestatis in gratiam receperint, delictis omnibus condonatis: si iterum peccent in principem, severissime puniunt ac si priora delicta minime condonassent. **simul que ostenditur quantopere Deo displiceat animi ingratitudo.**

VI. Nunc, quaeso, severum hoc divinae iustitiae iudicium consideremus. Invenit hic hominem *qui debebat ei centum denarios*, hoc est qui eum vicibus centum offenderat iniuriisque affecerat, et tamen tot cum accepisset iniurias, quia rogatus parcere et condonare minime voluit, in aeternum damnatus est, quia considerare minime voluit qualia et quanta ipse in Deum peccaverat et qualem quantamque misericordiam et gratiam a Deo consecutus fuerat, remissione peccatorum accepta. **Considerandum nunc est severum hoc iudicium.**

Aliud quoque considerandum nobis est, quod, cum ab inimico centum accepisset iniurias, ad iudicium tamen vocatus et stans ante tribunal, interrogatus a rege supremo iudice, qui inappellabilem sententiam laturus erat, nihil habuit quod pro iusta sui defensione responderet cur conservo suo rogatus misertus non fuerit. Non dixit se non potuisse tantis acceptis iniuriis parcere, sicut nunc multi **modus quoque se gerendi accusati ante tribunal.**

46) Breviarium Rom. Off. Def., 7 respons. ad Mat. 47) Cf. Rom 11, 29.

dicunt, aut noluisse quia minime tenebatur dimittere iniurias, sed penitus obmutuit.

Deus videtur magis vindicare crudelitatem in hominem quam impietatem in seipsum.

Nunc quidem, diabolo suggerente, multas excusationes invenimus atque afferimus ne iis, qui nos modo aliquo offenderunt, iniurias dimittamus condonemusque offensas; sed ad tribunal divinae iustitiae vocati nullam excusationem habebimus. Sciamus quod crudelitatis summus vindex est Deus multoque magis vindicat crudelitatem in homines quam impietatem in seipsum; hinc tam facile dimisit debitum decem millium talentorum, non autem iniuriam hanc in hominem illatam.

Iustitia Dei non minor est misericordia.

Sciamus, fratres, quod non minor est divina iustitia misericordia ipsius, sed aequales omnino sunt inter se misericordia et iustitia. Magnum opus misericordiae dimittere debitum decem millium talentorum et eo maius hoc beneficium, quod homini collatum est, qui futurus erat ingratus. Nec id quidem ignorabat Deus, qui novit omnia antequam fiant; sciebat quod futurus erat ingratus, quod tandem ob sua scelera in aeternum damnandus erat, et tamen praescito ac reprobo tale tantumque beneficium contulit. Sed non minus est iustitiae opus ob unum crudelitatis crimen damnare in perpetuum hominem: *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Et videte, quaeso: non occidit hic conservum ob illatas iniurias, non mutilavit, non vulneravit, sed *misit eum in carcerem,* ut via iustitiae a debitore creditum exigeret; damnatus autem propterea est quoniam crudeli animo et sine misericordiae visceribus hoc egit nec domini sui pietatem imitari voluit: *Nonne oportuit ... te misereri conservi tui sicut... ego tui misertus sum?*

Homo conditus est ad imaginem Dei, ut divinas virtutes imitaretur.

VII. *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de corde suo fratribus vestris.*[48] Hanc ob rationem principaliter in hodierno Evangelio Deus homini assimilatur, quoniam ad imaginem ipsius Dei factus est homo et quoniam suapte natura Deus humanissimus ac benignissimus est supra omnem humanam existimationem; sic ostendit hodie talis

48) Mt 18, 35. Vulg.: *Fratri suo de cordibus vestris.*

tantique debiti tam gratiosa remissio. Quamvis autem propterea Deus fecerit *ad imaginem et similitudinem suam* hominem, ut divinas virtutes et actiones pro virili imitaretur, specialiter tamen humanitatis et benignitatis imitationem ab eo exigit, vel, ut clarius loquar, imitationem divinae caritatis. Hinc Paulus ait quod *finis . . . praecepti est caritas,* [49] et quod *plenitudo . . . legis est dilectio;* [50] et Christus quod in caritate et dilectione *universa lex pendet et Prophetae.* [51] Hinc Christus, cum dedit praeceptum diligendi inimicos, dixit: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos;* [52] ac tandem conclusit: *Estote ergo* et *vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est,* [53] quod apud Lucam sic legimus: *Estote . . . misericordes sicut et Pater vester* coelestis *misericors est.* [54]

praesertim caritatem in proximos.

Hanc igitur virtutem Deus a nobis summopere expetit atque requirit, huic promittitur divina misericordia: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* [55] *Dimittite et dimittemini; date et dabitur vobis . . . eadem . . . mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* [56] Si divinam misericordiam consequi volumus, misericordiam miseris impendamus: *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Nemo non desiderat divinam misericordiam sed haec via est consequendi eam, hinc Dominus orandum docuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris . . . Si enim,* inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis et Pater vester coelestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis . . . nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* [57]

Huic virtuti promittitur divina misericordia.

Bone Deus, si quis principi decem millia talenta deberet et ipse quoque debitorem haberet decem aureorum, non acceptaret oblationem principis dicentis ut dimittat debitum decem aureorum et accipiat dimissionem omnium debitorum suorum? Hanc, inquam, pactionem homo non supra quam existimari potest libentissime acceptaret? Et quis est qui pactionem illam non iudicaret singularissimam summamque gratiam? Cur ergo nobis durum videtur hoc

Si ergo remissionem peccatorum nostrorum volumus, illatas nobis iniurias proximo dimittamus.

49) 1 Tim 1, 5. 50) Rom 13, 10. 51) Mt 22, 40. 52) Ibid. 5, 45. 53) Ibid. vr. 48. 54) 6, 36. 55) Mt 5, 7. 56) Lc 6, 37-38. 57) Mt 6, 12-15. Vulg.: . . . *Dimittet vobis et Pater. . . delicta vestra,* etc.

pactum quod Deus nobiscum egit, ut si volumus ab ipso consequi remissionem omnium peccatorum nostrorum, quibus divinam offendimus maiestatem, [58] nos quoque iis qui nos offenderunt illatas iniurias dimittamus?

Misericordia unica via est per quam salutem consequi possumus.

Fratres mei, dicite, quaeso: qua via speratis aut praesumitis divinam gloriam vitamque aeternam consequi posse? Via iustitiae an misericordiae? De rigore iustitiae nec sancti salutem consecuti sunt: *Non intres in iudicium cum servo tuo*, Domine, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens ;* [59] *Si voluerit* homo *cum Deo contendere, non poterit respondere ei unum pro mille.* [60] Quis igitur tam innocens, tam sanctus, tam perfectus esse potest, ut de rigore iustitiae velit a Deo consequi salutem aeternam? Non igitur nisi via divinae misericordiae et gratiae possumus salvari; haec autem nonnisi misericordibus est promissa: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur ; Eadem . . . mensura qua mensi fueritis remetietur vobis :* si erga pauperes et egenos misericordes fueritis, *mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* [61] Ita se geret nobiscum Deus sicut nos gesserimus cum proximis nostris: *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.*

Defectus misericordiae praecipua causa est qua divites difficile salvantur.

Dives ille epulo damnatus est quia non egit misericordiam cum Lazaro mendico; [62] sententiam illam terribilem aeternae maledictionis et damnationis fulminabit in die iudicii Christus contra eos qui misericordiae opera non exercuerunt: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* Cur, Domine, talem fers sententiam contra hos infelices? *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.* [63] Haec praecipua causa est ob quam Dominus dixit quod impossibile est divites intrare in regnum coelorum, [64] quoniam avaritia victi et amore divitiarum superati non exercent erga pauperes opera misericordiae et pietatis: *Quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* [65] Hoc est salutare consilium quod Sanctus Daniel dedit regi

58) Ms.: *Non*, loco: *Nos*. 59) Ps 142, 2. 60) Iob 9, 3. Vulg.: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei*, etc. 61) Lc 6, 38. 62) Cf. ibid. 16, 19. 63) Mt 25, 41-43. Vulg.: *Discedite a me, maledicti... mihi potum.* 64) Cf. ibid. 19, 23-24; Mc 10, 24-25; Lc 18, 24-25. 65) Lc 11, 41.

Nabuchodonosor: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum.*[66]

Imitemur ergo divinam misericordiam.

Si igitur vere cupimus salvari, divinam misericordiam pro viribus imitemur, quae etiam ad inimicum extenditur: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.* Si durum tibi videtur parcere inimico, dimittere iniurias, benefacere malefactori et persecutori, reddere bona pro malis, cogita debita tua cum Deo, pone ante oculos mentis tuae decem millia talenta quae Deo tu debes.

66) 4, 24. Vulg.: *Misericordiis pauperum.*

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Tentantibus Pharisaeis Christus hodie manifestat divinitatem et sapientiam suam,

I. Insectantur Christum Pharisaei summo in eum odio affecti ac persequuntur sicut venatores cervum, aucupes aves, piscatores pisces, lupi ovem, leones agnum, *ut caperent eum in sermone*[1] captumque morti traderent; hinc sub larva amicitiae inimicum animum operientes tanquam lupi sub ovina pelle, hodie venenum sub melle propinant. Sed *contra Dominum non est scientia, non est prudentia, non est consilium;*[2] *Frustra... rete iacitur ante oculos pennatorum.*[3] Luce clarius Christus novit fraudes, revelavit insidias: *Cognita autem Iesus eorum nequitia, dixit: Quid me tentatis, hypocritae?*[4] *Omnia... nuda et aperta sunt oculis* Dei;[5] sic divinitatem suam Christus manifestat. Quoniam vero Dei proprium est pro malis bona reddere, pro tenebris lucem, hinc ipse tanquam *Sol iustitiae*[6] lucem effundit divinae sapientiae, duobus verbis universam complectens philosophiam, quae ad salutem necessaria est: *Reddite... quae sunt Caesaris*, etc.[7]

eorum insidias ac fraudes revelando.

Sicut sanctissimus Eliseus omnes revelabat insidias regis Assyriorum, quas Divino Spiritu illustratus luce clarius agnoscebat,[8] et virga Moysi in terram deiecta, in serpentem facta, devoravit omnes serpentes magorum Pharaonis,[9] sic Christus hodie revelat insidias fraudesque Pharisaeorum et tanquam Samson multas vulpes laqueo capit;[10] et sicut Eliseus cepit omnes ministros regis Syriae, qui missi fuerant ad eum capiendum atque perdendum,[11] sic Christus Pharisaeorum discipulos hodie cepit.

1) Mt 22, 15. 2) Prv 21, 30. Vulg.: *Non est sapientia... consilium contra Dominum* 3) Ibid. 1, 17. Vulg.: *Iacitur rete*, etc. 4) Mt 22, 18. Vulg.: *Nequitia eorum, ait*, etc 5) Hebr 4, 13. 6) Mal 4, 2. 7) Mt 22, 21. 8) Cf. 4 Rg 6, 8-9. 9) Cf. Ex 7, 12. 10) Cf. Idc 15, 4-5. 11) Cf. 4 Rg 6, 10-23.

Volunt Pharisaei Christum capere in sermone, hinc petunt ab eo multa cum blandiloquentia: Si *licet censum dare Caesari an non,*[12] ut si negaret Christus, statim ab Herodianis caperetur tanquam reus criminis laesae maiestatis, seditiosus et seductor populi ab obedientia principum, sicut Iudas Galilaeus;[13] si vero affirmaret, amitteret gratiam turbarum quae illum sequebantur tanquam magnum prophetam atque Messiam, audita eius doctrina visisque miraculis, atque ex tunc invisum haberent tanquam docentem ea quae videbantur contra patriam libertatem iudaicique populi libertatem, ac si principum gratiam favoremque captaret; si vero neutrum respondisset, calumniari eum possent apud populum quod principum metu a veritatis praedicatione abstineret, nec vere esset divini honoris zelator quales fuerunt Prophetae. **Volunt enim eum capere in sermone,**

Christus autem, cognita eorum nequitia, petiit numisma census acceptoque denario interrogavit: *Cuius est imago haec et superscriptio ?*[14] ut illos propriis armis confoderet, sicut David Goliam[15] et Banaias gigantem propria illius hasta.[16] Ideo quaerit Christus: *Cuius est imago haec et superscriptio ?* Accepto autem responso, ait: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.*[17] **Christus autem eos capit in fraude eorum.**

II. Duas interrogationes habemus in hodierno Evangelio: alteram Pharisaeorum ad Christum, alteram vero Christi ad Pharisaeos; illa tota terrena et diabolica est, haec vero tota coelestis et divina; illa ortum habuit a summa tum ignorantia tum nequitia, ista a summa tum sapientia tum bonitate. In prima elucet magna ignorantia divinarum humanarumque legum, maxima vero malitia atque nequitia, et triplex quidem nequitia: cordis, quia: *Ut caperent eum in sermone;* oris, in mendaci blandiloquentia: *Scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces:*[18] verum dicunt et bonum, sed verum falso et bonum male, mendaciter enim loquuntur et ut decipiant; operis vero, quia secum ducunt Herodianos ad eum capiendum, si quid, ut sperabant, contra Caesarem locutus fuisset. **Duas interrogationes habemus: unam Pharisaeorum plenam ignorantia et nequitia**

Sed *cognita ... Iesus eorum nequitia, ait: Quid me tentatis, hypo-*

12) Mt 22, 17. 13) Cf. Act 5, 37. 14) Mt 22, 30. 15) Cf. 1 Rg 17, 50-51. 16) Cf. 2 Rg 23, 21. 17) Mt 22, 20-21. 18) Ibid. vr. 16.

et dolosa finctione.

critae ? Nam se iustos simulabant, quasi flagitante conscientia fingebant se huiusce dubii solutionem ab eo requirere, ut scirent an absque scrupulo conscientiae possent tributa dare necne. Fingunt se stimulo synderesis discruciari ne forte contra divinam legem esset censum solvere Caesari, cum Iudaei in Divinis Scripturis *filii Dei* praedicentur, [19] filii autem tributa non solvunt.

alteram Christi plenam divina sapientia et doctrina.

Sic omni dolo atque nequitia plena est prima interrogatio, veluti terra est, quae intra sua viscera infernum continet, [20] cuius uterus daemonum habitatio est nidusque tenebrarum perpetuus; et Christi interrogatio veluti coelum est, locus beatorum, paradisus deliciarum Dei: *Cuius est imago haec et superscriptio ? Caesaris,* inquiunt. *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo :* unicuique, inquit, reddendum est quod suum est. Plenam profecto coelesti sapientia atque doctrina sententiam. Docet enim duplex esse dominium: alterum terrenum atque humanum, alterum vero coeleste atque divinum, sicut in coelo duplex est luminare magnum. [21] Docet a nobis duplicem obedientiam requiri servandasque esse tum humanas tum divinas leges, duplicemque censum nobis reddendum: alterum Caesari, alterum Deo; Caesari quidem denarium, in quo Caesaris est imago et superscriptio, Deo autem id quod divina imagine et similitudine insignitum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* [22]

Triplici ratione anima nostra dicitur imago Dei:

III. Nos facti sumus *ad imaginem et similitudinem Dei.* [23] Tu quidem, o christiane, homo es; ergo numisma es divini census, denarium es in quo divini imperatoris imago est et superscriptio. Peto igitur ego cum Christo: *Cuius est imago haec et superscriptio ?* Dicis: Dei. Dico: cur ergo non Deo reddis quod suum est ? Est autem Dei imago haec non una tantum, sed multiplici ratione. Si enim, visa aliqua imagine picta vel sculpta, quaeram: cuius est imago haec ? respondere quis poterit quod est talis pictoris aut sculptoris, quia is eam sua arte effecit; respondere item quod est imago talis viri, quia ad eum repraesentandum facta est; respondere item quod

19) Cf. Ex 4, 22-23; Ps 81, 6; Os 11, 1. 20) De hac quaestione an infernus sit intra viscera terrae, cf. S. Laurentius a Br., *Quadragesimale Secundum,* pag. 277, not. 49. 21) Cf. Gn 1, 16-17. 22) Ps 4, 7. 23) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.

est talis domini, quia is eius possessor et dominus est, posita factaque ad ornamentum domus ipsius, vel ad voluptatem capiendam ex eius aspectu.

Sic anima nostra imago Dei est triplici ratione, ipse enim creator est animae, ipse exemplar ipsius est et ipse Dominus finisque. Sic docent Divinae Scripturae Deum esse animae creatorem: *Inspiravit in faciem eius spiritum vitae et factus est homo in animam viventem,*[24] ait Moyses loquens de anima primi hominis. *Inspiravit,* inquit, quando per seipsum creavit, non eduxit de potentia materiae, ut philosophi dicunt vegetales sensilesque plantarum et animalium animas educi.[25] Sic Zacharias ait: *Dominus extendens coelum et fundans terram, formans spiritum hominis in medio eius.*[26] Sicut enim coelum et terram ex nihilo creavit, sic et animam hominis creat simulque infundit, sicut spiritus flatusque hominis simul spiratur ab homine et recipitur in re in qua insufflatur, veluti cum flatu inflantur utres. Et sicut simul et semel lux oritur a lucida substantia et recipitur in diaphano, sic anima; hinc Regius Vates ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* sicut in facie lunae resplendet lumen solare. Sicut a solo sole dependet lumen quod lunam illustrat, sic a solo Deo anima quae hominem vivificat. Sic Deus creator est animae singularis; hinc ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*[27]

a) quia Deus eam ex nihilo creavit;

Haec secunda est ratio ob quam anima nostra imago Dei dicitur, quoniam Deum ipsum per similitudinem repraesentat sicut luna solem, sicut imago in numismate sculpta imperatorem: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo,*[28] tanquam divinum simulacrum Deo simillimum. Est enim anima spiritualis substantia sicut Deus spiritus est, intellectualis natura, libero arbitrio praedita, una in essentia, in potentiis trina, producens cognitionem, spirans amorem, regens, vivificans, conservans et movens universum corpus sicut Deus mundum; sic anima Deum essentia, virtute et operatione intrinseca extrinsecaque repraesentat.

b) quia animae natura Dei naturam repraesentat;

Tertia ratio, anima dicitur Dei, quia is eius possessor et finis

24) Ibid. 2, 7. Ex hebraico. 25) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 118, a. 1-2.
26) 12, 1. Vulg.: *Fingens spiritum hominis in eo.* 27) Gn 1, 26. 28) Ibid. 9, 6.

c) quia Deus eius possessor et finis est.

est: *Omnia* enim *propter semetipsum creavit Altissimus.*[29] Ad Deum enim cognoscendum, amandum fruendumque perpetua possessione conditus homo est; hinc Regius Vates ait: *Manus tuae,* Domine, *fecerunt me et plasmaverunt me; da mihi intellectum ut discam mandata tua,*[30] quasi dicat: ad hoc me formasti, ut te agnoscerem et diligerem, lex enim Dei tota caritas et dilectio est; ratione enim corporis anima tota Dei est, quoniam corpus a Deo formatum est datumque animae ad serviendum Deo.

Homo igitur totum se Deo dicare debet, quia Dei est iure creationis,

Cum igitur omnibus hisce rationibus anima totusque homo Dei sit, dandum est Deo quod suum est: *Reddite... quae sunt Dei Deo.* Anima Dei est tanquam creatoris; tota igitur Deo dicanda est ne conqueratur de nobis: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me,*[31] dicaturque nobis tanquam ingratis filii reddentibus mala pro bonis: *Generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Nonne ipse est pater tuus qui possedit et fecit et creavit te?*[32] Itemque: *Si... pater ego sum, ubi est honor meus?*[33] Qui non se totum dedicat Deo, non agnoscit Deum creatorem, sed dicit cum Pharaone rege Aegypti: *Meus est fluvius et ego feci memetipsum.*[34] Qui plantavit vineam, dignum est ut comedat fructus eius; qui domum aedificavit, ut fruatur eius habitatione; filius patrem honorare tenetur. Creavit Deus hominem non omnino perfectum, ut Deum creatorem agnoscens, ab ipso perfectionem expeteret: *Operi manuum tuarum porriges dexteram,* dicebat Divus Iob.[35] Statua imperfecta, si sensum et cognitionem haberet, ad statuarium accederet ut eam perficeret.

quia secus non esset vera Dei imago,

Ob secundam etiam rationem necesse est ut homo se totum Deo dedicet, alioquin enim Deum minime per similitudinem repraesentaret: luna eclipsata soli minime similis est, sed cum tota solem absque ullo intermedio obstaculo respicit. Deus suapte natura optimus est, iustissimus, sanctissimus, pulcherrimus; anima vero talis minime esse potest nisi tota sit Dei; erit igitur imago trupissima et dissimillima, referens pro luce tenebras, diaboli potius quam Dei

29) Prv 16, 4. Vulg.: *Universa... operatus est Dominus.* 30) Ps 118, 73. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Et discam.* 31) Is 1, 2. 32) Dt 32, 5-6. Vulg.: *Non ipse est pater,* etc. 33) Mal 1, 6. 34) Ez 29, 3. 35) 14, 15.

imaginem referens. Si Deo similes esse volumus, necesse est ut, sicut luna solis, faciem Dei perpetuo quaeramus. Sic Regius Vates ait: *Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.*[36] Sicut inter plantas innumeras, quae in terra vegetantur et a coelo extensis brachiis manibusque apertis accipiunt munera, una est, heliotropium, quae semper solem sua facie quaerit et sequitur, sic utique esse deberet anima nostra, quae sola inter omnes mundanas creaturas somatici huius mundi Deum cognoscere et diligere potest eoque frui; quod nisi agat, perdit quodammodo rationem imaginis ob peccatum. Hinc enim ait Regius Vates: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus,* etc.;[37] sic Nabuchodonosor in bestiam conversus est: *Animalis... homo non percipit... quae sunt spiritus Dei.*[39]

Tandem ob tertiam rationem homo debet seipsum totum Deo dedicare, et corpus et animam, quod ad hoc creatus est, ut Deo serviat divinam legem totis viribus servando; hinc mox ut conditus fuit homo, in paradiso collocatus, divinum accepit mandatum ut Deum dominatorem suum agnosceret illique totis visceribus adhaereret: *Mihi* enim *adhaerere Deo bonum est,*[40] diceretque: *Quid enim mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.*[41]

et quia ad hoc creatus est, ut Deo serviat.

IV. Si vere imago Dei esse volumus, necesse est ut Christo similes simus ipse enim imago est bonitatis et figura substantiae Dei;[42] Deus autem *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*[43] Christus autem vere reddidit *quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,* perfectissime servans utranque tabulam divinae legis, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,*[44] fuitque virtutibus omnibus tum internis tum externis perfectissime praeditus. Elucet autem in Christo hodie summa prudentia, qua laqueos inimicorum cavit, prudentissimo sapientissimoque dato responso; elucet et iustitia, quam docet ut unicuique quod suum est

Multae virtutes elucent in hac responsione Christi.

36) Ps 26, 8. 37) Ps 48, 13. 21. 38) Cf. Dn 4, 26-30. 39) 1 Cor 2, 14. 40) Ps 72, 28. 41) Ibid. vrr. 25-26. 42) Cf. Hebr 1, 3. 43) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis,* etc. 44) Phil 2, 8.

reddatur, unde ipse quoque tributum solvere voluit, dato pro se et Petro didrachmate;[45] elucet animi fortitudo, qua libere veritatem docuit, solvenda esse Caesari tributa, nihil veritus Iudaeos qui id moleste ferebant; elucet temperantia et quam longe erat Christi animus ab omni cupiditate, quae radix est omnium malorum et mergit hominem in interitum;[46] ob id enim petit ostendi sibi numisma census et quaerit cuius esset imago et superscriptio, quasi ipse haec ignoraret, ut ostenderet quod haec nihil sibi cordi essent saeculariumque rerum et negotiorum cognitionem nihili aut curabat aut pendebat; elucet et summa caritas, qua inimicis suis eum perdere quaerentibus dat monitum salutare, ut redderent *quae sunt Dei Deo.* Haec est enim via Dei quam Christus in veritate docuit.[47]

Deus omnia novit scientia visionis, non praedestinationis.

V. *Cuius est imago haec et superscriptio?* Quid, quaeso, est hoc? Nonne Christus Deus est qui omnia novit? *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei?[48] Quomodo ergo non novit imaginem et inscriptionem Caesaris? Aut si novit, ut quid interrogat: *Cuius est imago haec et superscriptio?* Novit Deus omnia, ut theologi dicunt, scientia visionis et simplicis intelligentiae, sed non omnia scientia praedestinationis et cognitione amicitiae, de qua Moysi ait: *Novi te ex nomine;*[49] hac enim tantum electos cognoscit; hinc de reprobis legimus: *Amen dico vobis, nescio vos.*[50] Sic non omnem imaginem cognoscit Christus; novit imaginem Dei, regis coelestis, non autem imaginem Caesaris, terreni et mundani imperatoris.

In Divinis Litteris multas reperimus imagines.

In Divinis Litteris multas reperimus imagines. Invenimus primo, imaginem Dei: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram . . . Et creavit* Dominus *Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum.*[51] Secundo, reperimus imaginem hominis: *Vixit . . . Adam centum triginta annis et genuit* filium *ad imaginem et similitudinem suam.*[52] Tertio, imaginem Christi: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;*[53] *Primus homo de terra ter-*

45) Cf. Mt 17, 24 sqq. 46) Cf. 1 Tim 6, 9-10. 47) Cf. Mt 22, 16.
48) Col 2, 3. 49) Ex 33, 12. Cf. Alex. Alensis *S. Theolog.*, pars 3, q. 31, membrum 3; S. Bonav. *Sentent.*, lib. 1, dist. 39, a. 1, q. 2. 50) Mt 25, 12. 51) Gn 1, 26-27. Vulg.: *Creavit illum.* 52) Ibid. 5, 3. 53) Rom 8, 29.

renus, secundus homo de coelo coelestis . . . sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus imaginem coelestis. [54] Quarto, legimus in *Apocalypsi* imaginem bestiae infernalisque draconis, [55] sicut saepe in Prophetis legimus imagines idolorum, [56] sicut et Paulus ait quod Gentiles *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,* [57] nam, erectis statuis, mortuos homines pro diis adorare coeperunt; et tandem etiam animalia, divinis honoribus adhibitis, insana et stultissima religione coluerunt.

Prima est imago Dei, quae ab homine per peccatum pene destructa fuit;

Prima imago, qua etiam Angelos Deus insignivit in coelo, ab homine in terra per peccatum ad nihilum fere redacta fuit; hinc Regius Vates ait: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis,* veluti Nabuchodonosor, [qui] ob superbiam in silvestrem bestiam divino iudicio mutatus fuit. *Homo, cum in honore esset,* in paradiso, gloria et honore coronatus et constitutus super opera manuum Dei: [58] *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,* [59] cum esset veluti alter Deus, *non intellexit* fraudes antiqui serpentis, sed in peccatum lapsus, iumentis insipientibus similis factus est, ita ut sensu potius quam ratione vitam ducat, sicut idem Regius Vates hominibus animalibus dicit: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* [60] Erat Deo similis homo iustitia, innocentia, sanctitate, virtutum omnium perfectione, auctoritate et dominio in inferiores mundi huius corporei creaturas; sed amisit omnia.

hinc Christus hanc imaginem non novit, quia amplius non refert divinam similitudinem,

Hinc Christus minime hanc novit imaginem, quoniam non amplius divinam refert similitudinem, quam in conditione accepit; veluti si pictor excellentissimus regis imaginem summo cum studio et diligentia summaque arte ad vivum penicillo coloribusque expresserit, eam minime agnoscet cum ab aliquo inimico suo tota fuerit atramento deturpata atque deleta, vel novo penicillo in alterius veluti imaginem et similitudinem effigiata. Sic Deus, qui hominem ad imaginem et similitudinem suam formaverat, veluti nesciens

54) 1 Cor 15, 47-49. Vulg.: *Portemus et imaginem coelestis.* 55) Cf. 13, 14-15; 14, 9. 11; 15, 2; 16, 2; 19, 20; 20, 4. 56) Cf. Ez 7, 20; 16, 17; 23, 14; Am 5, 26; Hab 2, 18. 57) Rom 1, 23. 58) Cf. Ps 8, 6-7. 59) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus,* etc. 60) Ps 31, 9.

ubinam esset homo post peccatum, dixit: *Adam, ubi es?*[61] Sic hodie non cognoscit Christus imaginem Caesaris: *Cuius est imago haec et superscriptio?* non agnoscit imaginem veteris hominis nec diaboli Christus, sed tantum imaginem Dei et novi hominis, primam illam imaginem Deo simillimam, qua homo Deo similis erat ut luna plena soli et ferrum candens igni et aer coelo, sicut cometae,[62] incensi vapores in supera aeris regione sunt stellis firmamenti similes.

amissa enim originali iustitia, amissa fuit divinae sanctitatis imago.

Omnes amisimus per peccatum Adae[63] originalem iustitiam candidissimamque innocentiae angelicae vestem et divinae sanctitatis imaginem. Erat homo sicut Angelus in carne, coelestem vitam ducebat in terra, cum Deo et Angelis conversatus. Homo quidem erat ex terra formatus, sed divina virtute veluti in coelestem substantiam naturamque mutatus; sed per peccatum iterum in terram conversus est. Prius nonnisi coelestia cogitabat, desiderabat, tractabat; nunc autem nonnisi terrena: *Qui de terra est ... de terra loquitur;*[64] *Primus homo de terra terrenus.* Fuit veluti Dathan et Abiron,[65] mente et cogitatione a terra absorptus erat; prius totus spiritus, sicut ferrum ignitum aut carbo accensus et ardens totus videtur ignis, per peccatum totus factus est caro.

et homo totus factus est caro,

Hinc Dominus ad Noe ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est,*[66] ubi hebraice: בשגם הוא בשר,[67] *eo quod etiam ipse caro est;* non solum, inquit, animalia irrationabilia et bruta caro sunt, sed etiam ipse homo totus factus est caro tanquam pecus. Vidit enim Deus *quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis* tantum *ad malum omni tempore,*[68] et *omnis ... caro corruperat viam suam super terram,*[69] hinc decrevit mundum diluvio perdere dixitque ad Noe, quem solum vidit secundum spiritum vitam ducere: *Finis universae carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra.*[70]

Haec causa fuit universalis submersionis, quia omnis homo factus erat caro et tanquam brutum animal vivebat, non secundum

61) Gn 3, 9. 62) Ms.: *In* adiicitur. 63) Ms.: *Amisimus* repetitur. 64) Io 3, 31. 65) Cf. Nm 16, 1-33. 66) Gn 6, 3. 67) Ms.: *Scebegam (!) hu bassar.* 68) Gn 6, 5. 69) Ibid. vr. 12. 70) Ibid. vr. 13.

rationis dictamen et naturalis legis praescriptum, sed iuxta carnis libidinem sensu carnis ducti vivebant. Sic homo, quia suasu diaboli voluit Deo similis et aequalis fieri,[71] similis factus est bestiis, imo deterior, ut Isaias ait: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit . . . populus meus non intellexit.*[72] Bestiae sine intellectu et ratione vivunt, sensu tantum ductae, sic homines nonnisi quae carnis sunt cogitant, desiderant, tractant quaeruntque et adhuc bestiarum instar, ut Regius Vates ait: *Oculos suos statuerunt declinare in terram,*[73] quasi nulla spes esset melioris vitae in coelo, propter quam tamen homo erecta in coelum facie conditus est, ut Ovidius 1 *Metamorphoseon* ait: *Ipsis bestiis multo deterior.*

« Prona cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit coelumque videre
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus »,[74]

quoniam, ut idem ait eodem libro:

« Sanctius his animal mentisque capacius altae
Deerat adhuc et quod dominari in cetera posset.
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo ».[75]

Per peccatum autem homo veluti pythagoricam passus est transmigrationem ex homine in bestiam; sic multis, ac si bestiae essent, nihil curae est de Deo, de anima sua, de virtute, de lege Dei, de vita aeterna post temporalem hanc, de iudicio Dei, de paradiso, de inferno: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Facta est natura humana sicut mulier illa, quam in Evangelio legimus, quae a diabolo oppressa, ita curvo erat corpore, ut sursum respicere nullatenus posset.[76] *quae Dei et spiritus sunt nihili faciens.*

Haec est Caesaris imago quam non agnovit Christus, imago principis huius mundi, ob quam omnes peccatores dicuntur filii diaboli: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere.*[77] Et quidem Christus in die iudicii dabit *quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo;* dabit enim Deo omnes in quibus divinam reperiet imaginem et similitudinem dicens: *Venite,* *factus imago diaboli.*

71) Cf. ibid. 3, 5. 72) 1, 3. 73) Ps 16, 11. 74) Vrr. 84-86. 75) Vrr. 76-79. Ms.: *Et mentis.* 76) Cf. Lc 13, 11. 77) Io 8, 44. Vulg.: *Et desideria patris vestri,* etc.

benedicti Patris mei, etc.;[78] eos autem in quibus satanae imaginem reperiet, quae peccatum est, diabolo dabit: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*, etc.[79]

Videamus ergo cuiusnam imago et superscriptio in nobis sit, Dei an diaboli.

Videamus ergo, fratres, cuiusnam imago et superscriptio in nobis est: Dei an satanae, coelestis hominis an terreni. In *Apocalypsi* legimus omnes electos Dei signatos signo Dei in frontibus eorum et hi tantum salvati sunt,[80] sicut etiam apud Ezechielem legimus electos signatos signo *thau*,[81] quae est ultima littera hebraici alphabeti et Christum significat, qui est *finis... legis... ad iustitiam omni credenti;*[82] omnes autem qui habebant signum et characterem bestiae, occisi sunt gladio qui procedebat de ore Christi ex utraque parte acuto.[83] Caveamus igitur, fratres, ne inveniamur signati signo et imagine bestiae infernalis.

Imago Dei per peccatum deleta, reformari potest per poenitentiam.

Quod si quis tali signatus est charactere, unicum habet salutis remedium, quod sicut per peccatum deleta est imago divinae sanctitatis, amissa gratia, sic per poenitentiam deleri potest imago satanae et reformari imago Dei per virtutem Christi et gratiam Spiritus Sancti; nam propterea Deus Filium suum misit in mundum, ad divinam hanc reformandam imaginem.

Videmus hodie in Pharisaeis imaginem diaboli,

VI. Videmus hodie in Pharisaeis imaginem hanc deformatissimam, nam pleni iniquitate accedunt ad Christum *ut caperent eum in sermone* et *traderent*, ut Lucas habet, *principatui et potestati praesidis,*[84] ut perderent eum, summo odio in Christum affecti: *Quia odio habuerunt me gratis.*[85] Insidiantur Christo ut veri filii diaboli, nam scriptum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius, ipsum conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius;*[86] sic secum ducunt Herodianos, ut si Christus in gratiam populi diceret non esse solvendum censum, statim ab illis caperetur tanquam reus criminis laesae maiestatis. Eorum autem animus non erat, nisi ut Christus in gratiam populi contra Caesarem responderet solita illa libertate qua principum Iudaeorum vitia arguebat, hinc mendaciter magna cum suaviloquentia adulantur: *Scimus quia*

insidiantur enim Christo

78) Mt 25, 34. 79) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 80) Cf. 7, 3. 81) Cf. 9, 4. 82) Rom 10, 4. 83) Cf. Apc 19, 15 sqq. 84) 20, 20. 85) Io 15, 25. 86) Gn 3, 15. Ex hebraico.

verax es et viam Dei in veritate doces... non enim respicis personam hominum, idest: scimus quod ex zelo veritatis et iustitiae nec summos quidem principes revereris sicut Prophetae Dei, Deo enim non hominibus placere quaeris. Caesar autem nonnisi homo est; *dic ergo nobis... licet*, etc. [87] Sed: *Quid me*, inquit, *tentatis, hypocritae?* [88] sepulcra foris munda et intus plena omni immunditia, [89] parietes dealbati, vulpes malitiosae, cygni quorum pennae albissimae et caro nigerrima est, struthiocameli qui, etsi alas avium habent, non tamen volant, sed tanquam terrestria animalia gradiuntur vitulinos pedes habentes? Hypocrisis est persona et larva iustitiae, ficta et falsa iustitia, virtus apparens depicta, non existens prospectiva et architectura virtutis, hominum oculos eludens, quae duplex est apud Deum iniquitas, quoniam vere iniquitas est et fraudulentia. Absque speciali Christi gratia nulla potest esse vera, solida et constans virtus.

maxima hypocrisi iustitiam simulantes.

In Christo autem videmus imaginem Dei infinitis quidem gradibus perfectiorem ea imagine quae in Adam innocente resplenduit, quoniam Christus est *splendor gloriae* [90] et *imago bonitatis* [91] divinae: *Qui est imago Dei invisibilis*, [92] imago naturalis et connaturalis, Filius Dei consubstantialis et coaequalis coaeternusque. Sed tamen differt ab illa imagine sicut lapis impolitus a polito. Est adamas pretiosissimus, inaestimabilis pretii ; sed quia impolitus est, vilis lapis habetur, politus autem alter longe minoris pretii pretiosior habetur. Adam in paradiso erat innocens et videbatur innocens, tanquam innocens a Deo habebatur et tractabatur in paradiso; Christus autem venit *in similitudinem carnis peccati*, [93] sicut rex Israel qui mutato habitu descendit in proelium, [94] sicut rex servili veste indutus servus reputatur, et homo, licet ditissimus, si pauperem induat vestem, a videntibus nonnisi pauper reputatur. Venit Christus in hunc mundum subiectus passionibus et morti, quae sunt peccati poenae, hinc peccator est reputatus; sed venit sic ut de peccato damnaret peccatum [95] et de vipera theriacam efficeret,

Christus autem vera Dei imago est, naturalis et consubstantialis,

sed cooperiri voluit similitudine carnis peccati

et peccator reputari,

87) Mt 22, 16-17. 88) Ibid. vr. 18. 89) Cf. ibid. 23, 27. 90) Hebr 1, 3.
91) Sap 7, 26. 92) Col 1, 15. 93) Rom 8, 3. 94) Cf. 3 Rg 22, 30.
95) Cf. Rom 8, 3.

ut serpens aeneus serpentes veros destrueret et letiferum venenum sanaret [96] et virga Moysi devoraret serpentes magorum. [97]

ut peccatum destrueret et nobis gratiam iustificationis mereretur.

Christus igitur, cum vere innocens et sanctus esset super omnes Sanctos, supra Angelos, sanctus ut Deus homo, tamen peccator videbatur sicut ceteri propter humilitatem et passionem carnis, quam assumpsit ad destruendum peccatum et ad promerendam nobis gratiam iustificationis et sanctificationis similem iustitiae et sanctitati suae, ut fideles quidem sui corpore quidem et carne ab infidelibus et peccatoribus nihil differrent quoad communes passiones, sed spiritu coram Deo sancti essent.

Qui ergo similis virtutibus Christo est, hic veram Dei habet imaginem.

Sic nunc quicunque similis Christo virtutibus et vita est, veram habet Dei imaginem. Christus est veluti sigillus [98] summi regis Dei, in quo sculpta est divina imago ad eam in animis nostris imprimendam, sicut in cera sigillo imago imprimitur. Hoc est quod P a u l u s ait, dicens quod Christus est *splendor gloriae*, idest radius divini solis, *et imago*, sive, ut graece est, χαρακτὴρ [99] bonitatis illius, idest character imprimens imaginem divinae bonitatis, sicut radius solis in aqua, in speculo, in nube speculari, ubi fit parelium. [100] Hoc charactere signatae sunt omnes oves Dei, hoc charactere cusae omnes monetae summi regis impressam habentes regis imaginem in auro vel argento. Qui igitur vita et moribus virtutibusque Christo similis et conformis est, hic vere divinam repraesentat imaginem; reformatio autem divinae huius imaginis in perfecta iustitia consistit: *Reddite . . . quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo*, unicuique quod suum est.

96) Cf. Nm 21, 8-9. 97) Cf. Ex 7, 12. 98) De hac voce cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*. 99) Ms.: *Character*. 100) Ms.: *Parahelius*.

II. ALIA HOMILIA

Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo. [1]

His duabus sententiis Christus universam legem brevissimo compendio collegit,

I. Duabus hisce sententiis Christus brevissimo compendio universam Dei legem collegit, suntque hae duae sententiae veluti duo luminaria magna in coelo [2] et duae tabulae legis in arca testamenti, [3] duo cherubim tenentes manibus suis divinum propitiatorium, [4] duo poli et cardines circa quos vertitur universum coelum divinae legis. *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.* Haec sententia continet omnia praecepta primae tabulae, illa vero secundae; nam in prima tabula continebantur praecepta et regulae vitae humanae erga Deum, in secunda vero instituta humanae vitae erga hominem. [5]

nam una continet praecepta et regulas vitae humanae erga Deum,

II. *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.* Haec duo sunt magna corpora mundi: coelum et terra. Coelum est: *Reddite... quae sunt Dei Deo;* coelum enim nonnisi per lucem et calorem agit, motus autem quasi vehiculum est luminis et caloris, maxime autem solaris, in [quo] clarissime elucet coeli operatio et virtus. Ita Deus principaliter haec duo requirit a nobis: lucem cognitionis in intellectu et calorem amoris in voluntate; motus autem totius religionis quam Deo debemus, cognitionem et amorem operatione exercet. Illud autem: *Reddite... quae sunt Dei Deo,* non est nisi mandatum religionis divinique cultus per fidem, spem et caritatem, theologicas virtutes in cognitione et amore Dei consistentes.

altera erga hominem.

Quod vero ait: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari,* veluti [6] terra est, quae coeli lumine et calore fomentata multa producit, in visceribus quidem suis lapides et mineralia, in superficie autem plantas multigenas, herbas, fructices, arbores pro susten-

1) Mt 22, 21. 2) Cf. Gn 1, 16. 3) Cf. Ex 25, 16. 21; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 4) Cf. Ex 25, 18-20. 5) Alludit ad communem Doctorum Ecclesiae opinionem, qui sentiunt in una tabula scripta fuisse tria prima praecepta quae hominem ad Deum ordinant, in altera quae ordinant ad proximum. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 183, not. 69. 6) Ms.: *Velt.*

tandis hominibus et animalibus omnis generis. Sic iustitia distributiva erga homines multa operatur. Terram iussit Deus homini esse subiectam: Dominamini universae terrae *et subiicite eam,*[7] et ut pro commodo et utilitate hominum produceret plantas et animalia: *Germinet terra herbam virentem... lignumque pomiferum,*[8] et: *Producat terra animam viventem in genere suo,*[9] ut sic veluti tributa et census domino principique suo solveret. Sic ait: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari.* Principibus debetur observantia, humilis subiectio, honor, obedientia et subventio per tributa et census.

Tria consideranda sunt: intentio Christi, substantia et ordo horum verborum.

III. In hac autem Salvatoris sententia tria nobis consideranda sunt: primo quae sit Christi intentio in his verbis; secundo, quae sit horum verborum substantia, quid verba haec continent, et tertio, quis ordo et dispositio horum verborum, cur Caesarem Deo praeposuit dicens: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,* non autem postposuit, ut par est, dicendo: Reddite quae sunt Dei Deo et quae sunt Caesaris Caesari.

a) Intentio Christi: vult Christus tradere perfectam normam iustitiae tum erga Deum tum erga hominem,

Quoad primum, procul dubio mens et intentio Christi in his verbis est tradere perfectam normam regulamque iustitiae absolutissimam, ut idem sit: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,* ac reddite unicuique quod suum est, sive Deo sive hominibus, haec est enim perfecta iustitia. Deus enim non utcunque, sed perfectam requirit virtutem, perfectam fidem, in nullo deficientem, perfectam caritatem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;*[10] sic perfectam iustitiam divinaeque legis observantiam, nam: *Si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*[11]

idest non tantum Deo obediendum esse, sed etiam principibus a Deo constitutis,

Est Christi animus in his verbis quod non tantum Deo obedientia praestanda a fidelibus est, sed etiam principibus constitutis a Deo. Licet fideles in Sacris Litteris *filii Dei* secundum spiritum appellentur,[12] filii autem regis non teneantur obedire praefectis constitutis a patre nec tributa eis solvere, Christus docet quod tenentur fideles obedire principibus suis secundum legem iustitiae.

7) Gn 1, 28. 8) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Et lignum pomiferum.* 9) Ibid. vr. 24. 10) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 11) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque... totam,* etc. 12) Cf. Rom 8, 14-23; Gal 3, 26; 4, 4-6; Phil 2, 15; 1 Io 3, 1.

Sic Paulus *Romanis* longa oratione docet: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis, Dei enim ministri sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*[13] Sic etiam *ad Titum* scribit: *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse;*[14] et *ad Hebraeos: Obedite praepositis vestris et subiacete eis.*[15] sicut longa oratione docet D. Paulus.

Imo est mens Christi ut etiam malis principibus obedientia praestetur, modo non mala praecipiant contra Deum et conscientiam; hinc ait: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari.* Non imperabat tunc Caius Iulius Caesar, qui primus fuit Romanorum imperator, sed Tiberius, Octaviani Augusti successor et privignus atque in filium adoptatus, cuius etsi primordia imperii felicia fuerunt primisque annis optimi principis specimen dedit, sed postea in pessimum imperatorem mutatus est atque magiae totus deditus, in portentosa facinora se convertit.[16] Cum igitur horribile crudelitatis monstrum Tiberius Nerone aliisque pessimis imperatoribus nihilo melior romanum teneret imperium,[17] hodie Christo a Pharisaeis proposita haec quaestio fuit, nam, ut Lucas ait, *anno ... quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*[18] coepit praedicare Ioannes et post eum Christus. Respondens tamen Dominus quaesito ait: *Reddite.... quae sunt Caesaris Caesari.* Hoc ipsum apertissimis verbis docuit Petrus, imo etiam malis principibus, modo mala non praecipiant. sicut apertis verbis docet D. Petrus.

13) 13, 1-7. Vulg.: *Malum agit... ministri enim Dei*, etc. *Ordinata* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ordinatae*. 14) 3, 1. 15) 13, 17. 16) Svetonius *Duodecim Caesares*, lib. 3 pag. 346-367. 17) Ms.: *Cum iterum ponitur.* 18) 3, 1.

qui cum dixisset: *Subiecti ... estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei,*[19] subiunxit: *Deum timete, regem honorificate; servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*[20] Idipsum Christus alias docuit dicens: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei ..., quaecunque ergo dixerint vobis ... facite, secundum vero opera eorum nolite facere.*[21] Haec igitur mens Christi est, non tantum ut Deo, sed etiam principibus obediatur.

b) Substantia verborum: haec sententia continet universam legem,

IV. Quoad secundum, cum hac[22] sententia Dominus intendat perfectam dare iustitiae regulam normamque absolutam, continet sententia haec brevissimo, sed absolutissimo epilogo universam legem et Prophetas; quare verissime dicere possumus quod in his verbis *universa lex pendet et Prophetae.*[23] Haec sunt duae tabulae divinae legis. *Reddite ... quae sunt Dei Deo:* haec prima est tabula in qua continebantur praecepta divinae religionis et caritatis, ut unus tantum credatur, agnoscatur et colatur Deus, non idola, non dii alieni; ut cum reverentia et honore divinum assumatur nomen; ut nec nominetur quidem Deus sine magna reverentia, et tandem sanctificatio sabbati in memoriam divinorum beneficiorum;[24] *Reddite* autem *quae sunt Caesaris Caesari:* haec secunda est tabula in qua continebantur praecepta iustitiae et caritatis erga proximum.[25]

quae praecipit unicuique reddere quod suum est.

Saepissime in Divinis Litteris tota lex duobus tantum verbis comprehenditur, nam locis innumeris legimus: *Facere iudicium et iustitiam.* Sic Dominus de Abraham dixit: *Scio ... quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se ut ... faciant iudicium et iustitiam;*[26] sic D a v i d ait: *Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore;*[27] sic I s a i a s: *Custodite iudicium et facite iustitiam,*[28] et quod Dominus a vinea domus Israel expectavit iudicium et iustitiam.[29] Sic saepissime legimus facere iudicium et

19) 1 Petr 2, 13-15. 20) Ibid. vrr. 17-18. 21) Mt 23, 2-3. Vulg.: *Secundum opera vero, etc.* 22) Ms.: *Hanc.* 23) Mt 22, 40. 24) Cf. Ex 20, 2-8; Dt 5, 6-12. 25) Cf. Ex 20, 12-17; Dt 5, 16-21. 26) Gn 18, 19. 27) Ps 105, 3. 28) 56, 1. 29) Cf. 5, 7.

iustitiam pro eo quod est benefacere, secundum conscientiam et legem Dei vivere, quae quidem duo verba illud significant quod Regius Vates ait: *Declina a malo et fac bonum,*[30] nam his duabus partibus tota lex divina constat, vel enim bona praecipit vel mala prohibet. Sic et Christus duobus hisce verbis: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,* universam legem complexus est: reddite unicuique quod suum est.

Statuit Christus duas partes iustitiae: erga hominem et erga Deum.

Duas partes iustitiae statuit Christus, nam trutina fuit semper iustitiae hieroglyphicum, sicut hodie depingitur iustitia cum exerto ense in dextera et bilance in sinistra,[31] quod quidem hieroglyphicum est iustitiae quae in principibus requiritur; quam simili forma pingebant antiqui, sed in dextera statuebant fascem lignorum cum adalligata securi, quoniam convicti de crimine puniendi sunt. Ponebant autem iustitiam inter duas mulieres, quas veluti captivas tenebant alligatas, quarum altera ensem manu habebat confractum, altera conto, idest magno et oblongo baculo innitebatur,[32] ad designandum quod iustitia consistit inter nimiam severitatem, quam oportet esse retusam, et inter pigram lentitudinem ac torporem. Alii vero per Astream coelestem virginem, quae inter leonem et libram locum habet, iustitiam designatam volunt, capite invisibili ac inter sidera collocato,[33] unde Aegyptii sine capite iustitiam depingebant,[34] ut mens iudicis tota in coelum tendat fortique ac leonino sit animo, ut nullius vel minis vel precibus a recto flectatur et merita omnium aequa iudicii lance libret iustissimeque ponderet. Sed iustitiam, quae in unoquoque homine requiritur, antiqui per triangulum aequilaterum designabant,[35] cuius forte tres lineae sunt quas Propheta protraxit: *Ostendam tibi, o homo, quid bonum sit et quid Dominus requirat a te : utique facere iudicium... diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo,*[36] et quas Paulus ait: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo :*[37] *sobrie* in nobis, *iuste* cum proximis, *pie* cum Deo. Haec requirit perfecta iustitia.

30) Ps 36, 2. 31) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 42, pag. 453.
32) Cf. ibid. 33) Cf. ibid. lib. 1, pag. 621. 34) Cf. ibid. pag. 634.
35) Cf. ibid. lib. 39, pag. 418. 36) Mich 6, 8. Vulg.: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum*, etc. 37) Tit 2, 12.

c) Ordo verborum: praeponit Christus praeceptum iustitiae erga hominem altero erga Deum.

V. Tandem quoad tertium, videndus est ordo cur Dominus praeponit praeceptum iustitiae erga hominem praecepto iustitiae erga Deum. Nam in decalogo prius dantur praecepta ordinantia ac dirigentia hominem ad Deum et postea ad homines, et Christus dixit quod diligere Deum ex toto corde est primum et maximum mandatum in lege, secundum autem, diligere proximum sicut seipsum.[38] Cur nunc praeposterat hunc ordinem? Num pluris faciendus est Caesar quam Deus, ut plurimi faciunt? Utinam enim homines ita Deum timerent et honorarent sicut principes!

quia sequitur ordinem naturae, non dignitatis,

Sed Christus hic ordinem sequitur naturae, non dignitatis. Natura sic procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, quem ordinem tenuit Deus in mundi creatione; mundum enim confusum imperfectumque creavit, postea distinxit, ordinavit, ornavit, perfecit: creavit prius herbas in terra quam stellas in coelo, prius animalia quam hominem.[39] Hunc ordinem tenuit Christus in doctrina sua, a facilioribus ad difficiliora procedens, sicut paedagogi et magistri artium omnium et scientiarum faciunt. Sic in beatitudinibus a facilioribus incepit Christus: *Beati pauperes spiritu*, etc.[40] Multo autem facilior est politica et moralis iustitia exterior quam interior purgatoria, purgati animi et heroica exemplarisque, sicut natura in homine prius corpus perficit et postea animum.

a morali iustitia exteriori ad interiorem procedens,

nequit enim haberi iustitia interior sine exteriori.

Tenuit autem hunc ordinem Christus, ut sciamus quod non potest esse iustitia interior sine exteriori, licet possit esse exterior sine interiori. Ubi non est iustitia civilis et politica in exterioribus actibus et moribus, nec vera potest esse iustitia interior in animo. Propterea hunc[41] ordinem etiam Propheta tenuit: *Facere iudicium*, etc.; Paulus item: *Sobrie, iuste et pie vivamus*.

At si ita est, ubi nunc ergo iustitia, cum mundus plenus sit fraudibus et iniquitate?

38) Cf. Mt 22, 37-39; Mc 12, 29-31. 39) Cf. Gn 1, 1 sqq. 40) Mt 5, 3-11; Lc 6, 20-23. 41) Ms.: *Ut* loco: *Hunc*.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus... adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est etc. [1]

Duo miracula habemus in hodierno Evangelio,

I. Duo miracula habemus in hodierno Evangelio: curatur mulier ab incurabili infirmitate fluxus sanguinis et suscitatur defuncta filia Iairi archisynagogi. Sicut Isaias curavit Ezechiam infirmum, [2] et Elias suscitavit mortuum filium viduae sareptanae, [3] et Eliseus sanavit Naaman syrum a lepra, [4] etiam mortuum revocavit ad vitam filium sunamitidis, [5] qui etiam defunctus solo tactu reliquiarum sacri corporis sui vitae restituit hominem a latronibus occisum, [6] sic Christus, Propheta Prophetarum, infinitis partibus maior omnibus Prophetis, virtutem habuit divinam curandi omnem infirmitatem tum corporis tum animae, et etiam vivificandi mortuos tum carne tum spiritu.

quibus Christus ostenditur et agnoscitur absolutus dominus vitae, mortis totiusque naturae.

Sic ostenditur hodie Christus absolutus dominus vitae et mortis totiusque naturae. Sic agnoscitur hodie ab archisynagogo et adoratur: *Ecce princeps quidam accessit et adorabat eum*, inquit Matthaeus; *Procidit ad pedes eius*, inquit Marcus. [7] Talem etiam agnovit mulier hemorrohissa dicens in corde suo: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* [8] Dicens autem haec mulier verba ista intellexisse videtur ex afflatu Spiritus Sancti vaticinium illud Malachiae: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae et sanitas in pennis eius*, sive, ut in hebraeo est,

1) Pericope huius diei Mt 9, 18-26. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 4 Rg 20, 1-7; Is 38, 1-21. 3) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 4) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 5) Cf. ibid. 4, 32-37. 6) Cf. ibid. 13, 20-21. 7) 5, 22. 8) Mt 9, 21. Vulg.: *Tantum vestimentum eius*, etc.

et sanans alis suis; [9] intellexisse etiam id quod in Isaia legimus: *Ea quae sub ipso erant replebant templum,* וְשׁוּלָיו מְלֵאִים אֶת־הַהֵיכָל: *et fimbriae eius replebant templum.* [10] Agitur autem ibi de Christi tum gloria tum sanctitate: de gloria quidem: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* [11] de sanctitate autem, quia Seraphim clāmabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus... exercituum; plena est omnis terra gloria eius.* [12]

Haec duo credenda sunt de Christo: infinita gloria quatenus Deus est et infinita sanctitas quatenus homo.

II. Haec duo de Christo specialiter credenda nobis sunt: infinita gloria et maiestas quatenus Deus et sanctitas infiniti meriti quatenus homo. Propter haec duo dicitur Christus *Sol iustitiae* et Seraphim eum adorant et laudant canentes sacrum trisagium. Ex hac autem fide oritur perfecta salus, hoc est *sanitas in pennis,* sive *alis eius,* et propterea Christus ait hodie mulieri: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit,* [13] et archisynagogo: *Noli timere, tantummodo crede,* ut est apud Marcum, [14] et apud Lucam: *Crede tantum et salva erit.* [15] O infinitam virtutem Christi! *Fimbriae eius replebant templum, sanitas in alis eius.* Poterant fimbriae Christi sanare omnem infirmitatem, mortuos etiam suscitare et daemones eiicere, sicut umbra Petri omnem poterat curare infirmitatem et languorem, [16] et sudaria ac semicinctia Pauli sanabant infirmos et eiiciebant spiritus immundos. [17] Sicut enim sol radiis suis confert mirabilem virtutem operandi in universa natura, ita ut quaecunque generantur, virtute radiorum solis generentur, ita talis ac tanta est virtus Christi ut etiam fimbriae vestimenti eius possent infinita operari miracula.

ita ut etiam fimbriae eius operarentur miracula

et ipsa quoque eius imago.

Sed et aliud dicam. Eusebius libro *Ecclesiasticae Historiae* 7, capite 14, refert quod in Caesarea Philippi, ex qua civitate fuit mulier haec, ante fores domus istius mulieris ad perpetuam memoriam huius miraculi erat statua Salvatoris et statua huius mulieris ex aere, ante statuam Salvatoris genibus provolutae et supplices manus tendentis, cui Dominus dexteram porrigebat. Ex basi autem statuae herba quaedam nova specie nascebatur et usque

9) 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis timentibus,* etc. 10) 6, 1. Ms.: *Vescalau meleim eth hachechal.* 11) Is 6, 1. 12) Ibid. vr. 3. 13) Mt 9, 22. 14) 5, 36. 15) 8, 50. 16) Cf. Act 5, 15. 17) Cf. ibid. 19, 11-12.

ad tactum indumenti aerei statuae excrescebat; statim autem ut summo vertice eam tetigisset, virtutem inde sumebat ad pellendos omnes morbos atque languores. Refert autem se statuam hanc vidisse,[18] quae postea a Iuliano Apostata sublata fuit, ut refert Cassiodorus libro 6 *Historiae Tripartitae*, capite 41.[19] Quare etiam imago Christi poterat innumera operari miracula.

III. Non sine causa autem Vates ait: *Orietur Sol iustitiae et sanitas in pennis eius*, sed ad designandum quod infinita sanctitas Christi super omnem creatam sanctitatem meruit nobis omnem salutem. Hoc forte est quod in *Apocalypsi* legimus in mirabili illa visione, capite 6, ubi refert Ioannes se vidisse primo hominem super equum album, qui habebat arcum et coronam *et exivit vincens ut vinceret*, et post eum sequebatur equus rufus, eques autem gladium magnum habebat; tertio sequebatur equus niger et eques habebat *stateram in manu sua;* tandem sequebatur equus pallidus, super quem sedebat *Mors, et infernus sequebatur eum.*[20] Eques super equum album Christum significat, de quo in eodem libro, capite 19: *Vidi coelum apertum, et ecce equus albus et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax, et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, et in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et nomen eius vocatur Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in coelo sequebantur eum in equis albis et vestiti byssino albo et mundo; et de ore eius procedit gladius acutus... ut in eo percutiat gentes*, habens *in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus [dominantium].*[21]

Infinita sanctitas Christi nobis meruit omnem salutem.

Eques ergo super equum album Christum unigenitum Filium Dei significat, principem paradisi et regem totius universi; equus autem albus sanctissimam designat humanitatem Christi; sequuntur autem eum equus rufus, niger et pallidus, super quem mors sedet et post eam infernus. Quid est hoc nisi quod Christus sanctitate sua et virtute divina vicit peccatum, diabolum, mortem et infer-

nam sanctitate sua vicit diabolum, mortem et infernum.

18) Iuxta Migne cp. 18, (P. G. 20, 679). 19) P. L. 69, 1057-1058. Ms.: *Socrates* loco: *Cassiodorus*. 20) Vrr. 2-9. 21) Vrr. 11-16. Vulg.: *Et vocatur nomen eius... ut in ipso percutiat*, etc.

num? Unde haec post se ducit veluti trophaea in triumpho post victoriam; nam post innocentiam homo in peccatum incidit, per peccatum subiectus est diabolo et postea morti et inferno. Eques ergo super equum rufum significat peccatum in carne nostra, nam post mortem[22] peccare ultra non possumus; eques super equum nigrum diabolum, qui in perpetuum privatus est candore gratiae et gloriae coelestis; eques tandem super equum pallidum manifeste dicitur *Mors*. Haec mala incurrit homo, quia victus fuit a diabolo; Christus autem, quoniam diabolum vicit, mala haec abstulit; hinc hodie aufert poenas peccati, mortem et infirmitatem, quae via est ad mortem.

Multa mala legimus in hodierno Evangelio, tum animi tum corporis,

IV. Multa mala legimus in hodierno Evangelio, tum animi tum corporis, in archisynagogo, in filia, in hemorrhoissa; nam in adolescentula filia, ex Marco[23] et Luca,[24] habemus dolores mortis, quia venit ad Christum pater dum filia in extremis laboraret et animam ageret, ita ut, priusquam rediret domum cum Christo, emiserit spiritum. Sic ex Matthaeo habemus mortem: *Filia mea modo defuncta est.*[25] In archisynagogo autem habemus magnas animi afflictiones, quoniam *filia* haec *unica* illi erat, ut Lucas habet, eratque aetatis adolescentis, *annorum duodecim;*[26] non susceperat semen ex ea ut in nepote consolari posset, cumque eam paterno affectu tenerrime amaret, a faucibus mortis eripere extreme periclitantem nec vita functam poterat. In hemorrhoissa autem habemus tum corporis tum animi afflictiones: corporis quidem, quoniam incurabilem morbum passa erat duodecim annis, cumque semper in manu medicorum stetisset, multa ab eis perpessa erat incommoda; corporis autem, quoniam morbum patiebatur apud Iudaeos supra modum abominabilem, ita ut propterea omnibus contemptui et abominationi esset,[27] non secus ac si esset leprosa, et quia, ut Lucas habet, omnes facultates suas in medicos erogaverat,[28] quare cum dives esset, in paupertatis miseriam inciderat; et tandem quia, ut idem Lucas ait,[29] post tam diuturnas curas morbus semper

quae significant mala humanae naturae a peccato illata,

22) Ms.: *Carnem* loco: *Mortem*. 23) Cf. 5, 23. 24) Cf. 8, 42. 25) 9, 18. 26) 8, 42. 27) Cf. Lv 15, 25-27. 28) Cf. 8, 43. 29) Cf. ibid., sed clarius Mc 5, 26.

in peius creverat. Quare a medicis tria passa fuerat mala: multas poenas in variis curis et periculis factis, multas expensas, unde in paupertatem devenerat, et tandem morbi incrementum et graviorem ac intolerabiliorem infirmitatem, multo incurabiliorem. Hac tali tantaque malorum mole gravata fuit humana natura ob peccatum.

At Christus veniens in mundum ut salvum faceret *populum suum a peccatis eorum*[30] – *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,*[31] – mala haec vicit et superavit; hinc retro post se ducit ac veluti pro trophaeis trahit equum rufum, nigrum et pallidum: peccatum, diabolum et mortem.

a quibus Christus nos liberavit.

Quod si adhuc videmus haec mala in mundo, sunt in Ecclesia non ut poenae illius peccati, sed ut conditiones naturae et virtutis exercitia, *nam virtus in infirmitate perficitur.*[32] Hoc est quod, cum arca Dei venit ad Iordanem, *Iordanis conversus est retrorsum,*[33] stetit fluminis cursus.[34] F l u v i u s i u d i c i i interpretatur Iordanis; poenae omnes mundi, quae perpetuo cum natura fluunt, sunt fluvius iste iudicii. Cum Christus, qui arca Dei est in qua *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[35] in mundum veniens ad hunc fluvium accessit naturam suscipiens passibilem et mortalem, stetit cursus fluminis huius; nam Christus sicut obedientia sua et merito passionis suae perfectam meruit peccati remissionem et gratiam, ita et perfectam felicitatem paradisi, quam per peccatum amisimus.

Mala quae nunc in Ecclesia videmus, non sunt poenae peccati originalis, sed conditiones naturae et virtutis exercitia,

Sed quoniam carnis afflictiones et daemonum tentationes spiritui multo utiliores futurae erant quam consolationes, quoniam *virtus*, ut diximus, *in infirmitate perficitur*, et *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit,*[36] ideo voluit Dominus relinquere in Ecclesia corporales afflictiones et etiam spirituales per daemonum tentationes, in exercitium virtutis et in augmentum meritorum, ad maiorem gloriam consequendam; nam mala haec, quae in hodierno Evangelio leguntur, personis hisce fuerunt aeternae salutis occasio.

nam carnis afflictiones et daemonum tentationes spiritui utilissimae sunt;

Sed tandem in resurrectione mortuorum tollentur penitus om-

30) Mt 1, 21. 31) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 32) 2 Cor 12, 9. 33) Ps 113, 3. 34) Cf. Ios 3, 14-16. 35) Col 2, 9. 36) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur. Coronabitur* lect. cod.

sed tandem perpetua felicitate donabimur,

nia mala haec; cum occurremus omnes *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi,* [37] tunc perpetua fruemur vita perfectaque sanitate et animi corporisque perfecta salute et felicitate.

ad quam promerendam fide perfecta opus est.

Ad hanc autem consequendam perfecta opus est fide, hinc ait: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit ; Crede tantum et salva erit.* Ex merito fidei mulier hemorrhoissa consecuta est perfectam corporis et animae sanitatem et archisynagogus defunctae filiae vitam impetravit sibique perpetuam salutem vitamque aeternam acquisivit. Opus est autem perfecta fide ad salutem consequendam, hinc Dominus cernens quod imperfecta esset archisynagogi et hemorrhoissae fides, eam perficere voluit.

Archisynagogus Christum credebat virum sanctissimum, sed non verum Deum;

V. Duo, uti diximus, principaliter sunt credenda in Christo ratione duarum naturarum: divina maiestas et humana sanctitas, nam Christus tanta gratia plenus fuit quod, etiam si merus homo fuisset, plenitudine tamen gratiae et sanctitatis perfectione Sanctos omnes superasset et etiam Angelos, sicut sol stellas. Sic vere fuisset, ut Danieli Angelus dixit, *Sanctus sanctorum : Ungatur Sanctus sanctorum et adducatur iustitia sempiterna.* [38] Archisynagogus autem divinitatem Christi minime credebat, ut patet ex eius intercessione, nam apud M a r c u m sic legimus: *Venit quidam de archisynagogis, nomine Iairus, et videns eum procidit ad pedes eius et deprecabatur eum multum dicens : Quoniam filia mea in extremis est ; veni, impone manum super eam ut salva fiat et vivat.* [39] Petiit ergo hic primo ut Christus descenderet ad sanandam filiam, sicut regulus, [40] cumque per nuncium audisset filiae mortem, dixit ei Dominus: *Noli timere, crede tantum et salva erit,* ut L u c a s ait. [41] Dubitabat ergo vel vacillabat in fide hac, vel si non vacillabat, cum M a t t h a e u s habeat: *Domine, filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum tuam super eam et vivet,* [42] saltem non credebat quod Christus absens posset defunctam filiam suscitare; hinc Christus voluit ipsius fidem et confirmare et augere miraculo curationis hemorrhoissae et tandem perficere mortuam revocando ad vitam. Accessit ergo ad Christum pro salute filiae impetranda, motus opinione et fide sanctita-

37) Eph 4, 13. 38) Dn 9, 24. Ordine inverso affert hunc vr. 39) Mc 5, 22-23. Vulg.: *Salva sit et vivat.* 40) Cf. Io 4, 47. 41) 8, 50. 42) 9, 18.

tis Christi, certissime credens quod Christus esset propheta Dei et vir sanctissimus, qui divina virtute posset miracula facere sicut antiqui Prophetae; sic enim vidua sareptana ex fide sanctitatis Eliae petiit ab eo ut defunctum filium suscitaret [43] et mulier sunamitis ex opinione magnae sanctitatis Elisei idem ab eo miraculum postulavit: [44] *Video quod vir Dei sanctus est iste;* [45] sic archisynagogus credebat Christum esse prophetam Dei, magna virtute et sanctitate praeditum, non tamen Filium Dei et verum Deum eum credebat; nam non sic locutus fuisset si credidisset Christi divinitatem, sed cum centurione dixisset: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus.* [46]

hemorrhoissa quoque credebat magnam sanctitatem Christi, non autem eius divinitatem.

Mulier etiam hemorrhoissa Christi divinitatem minime credebat, sed ex magna opinione et fide sanctitatis Christi ad eum accessit dicens: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* [47] Non, inquam, credebat Christi divinitatem, quia *accessit retro et tetigit* [48] eum quasi furtim, ita ut Christus non sentiret tactum ipsius; hinc ait L u c a s quod, facto iam miraculo, cum Christus dixisset: *Quis . . . me tetigit ? . . . Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse, videns . . . mulier quia non latuit . . . venit et procidit ad pedes Iesu,* [49] *et,* ut M a r c u s ait, *dixit ei omnem veritatem,* [50] idest manifestavit ad gloriam Dei occultum miraculum. Si igitur credebat quod miraculum poterat Christum latere, manifestum est quod non credebat divinitatem eius, sed tantum quod talis ac tanta esset Christi sanctitas, ut ex solo tactu fimbriae vestimenti ipsius posset consequi salutem tantopere desperatam. Ex fide ergo et opinione sanctitatis Christi talem tantamque spem et fiduciam concepit, hinc ait: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius.*

Per fimbriam vestimenti apud Hebraeos sanctitas significabatur.

Fimbria enim signum erat sanctitatis Iudaeorum, quos Deus ab aliis nationibus non solum signo circumcisionis in carne distingui voluit, [51] sed etiam signo fimbriarum hyacinthinarum in vestimentis. Sic enim in *Numeris* legimus: *Loquere filiis Israel et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum*

43) Cf. 3 Rg 17, 17-18. 44) Cf. 4 Rg 4, 27-28. 45) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Animadverto quod*, etc. 46) Mt 8, 8. 47) Ibid. 9, 21. 48) Ibid. vr. 20. 49) 8, 45-47. Vulg.: *Ad pedes eius.* 50) 5, 33. 51) Cf. Gn 17, 9-14.

Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes, sed magis memores praeceptorum Domini faciant ea sintque sancti Deo suo. [52] Erat igitur fimbria insigne sanctitatis Iudaeorum propriumque ipsorum, per quod distinguebantur ab aliis gentibus.

Ob hanc eandem causam, quoniam fimbria Iudaeis erat sanctitatis nota, legimus apud Zachariam quod in diebus Messiae decem homines ex omnibus linguis apprehensuri erant *fimbriam viri iudaei dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* [53] Sic enim multi Gentiles ad praedicationem Apostolorum conversi sunt ad fidem Christi ipsosque Apostolos secuti fuerunt tanquam pueri parentes, ob fidem et opinionem sanctitatis.

Hac opinione sanctitatis mota mulier ad Christum accessit et sana evasit ab infirmitate sua.

Existimans ergo mulier hemorrhoissa quod Christus esset propheta magnus Dei et vir vere sanctus, hanc fidem animo concepit, quoniam: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Vera autem credidit, nam Christi talis ac tanta erat sanctitas, ut vel minimo gradu sanctitatis suae unius tantum bonae actionis merito potuerit totum mundum ab omni malo corporis et animae salvare, sicut Adam uno tantum peccato mundum damnavit; hoc est: *Sanitas in pennis eius; Fimbriae vestimenti eius replebant templum*, multo enim potentior Christus ad salvandum extitit quam Adam ad damnandum. Sic igitur magnae opinio et fides sanctitatis mulierem hanc ad Christum adduxit et salutem contulit: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Ubi ostenditur quod in mundo apud homines magna, et merito quidem, est sanctitatis aestimatio, magna opinio et existimatio quod apud Deum omnia possit qui sanctus est, licet sit homo mortalis, pauper et nulla generis nobilitate clarus, nulla dignitate sublimis. Hoc clare videmus in hodierno Evangelio, nam Marcus habet quod, dum Christus pergeret ad suscitandam filiam archisynagogi, *sequebatur eum turba multa.* [54] Sed qua ratione, quo titulo sequebatur Christum turba, magna populi multitudo? Titulo sanctitatis, ut audirent eum praedicantem, ut viderent miracula facientem.

Nec tantum propter existimationem sanctitatis mulier accessit

52) 15, 38-40. 53) 8, 23. 54) 5, 24.

et tetigit fimbriam vestimenti eius et turba sequebatur eum, sed etiam archisynagogus, qui erat princeps synagogae, magnus praelatus, veluti nunc Episcopus vel Archiepiscopus, accessit et adorabat eum genibus provolutus ad pedes ipsius. Quid est hoc? Tam magnus praelatus flexis genibus adorat fabrum pauperem, pauperis fabri, ut putabatur, filium? [55] Quo titulo? Utique sanctitatis. Existimabat enim Christum tanta sanctitate praeditum esse tantique meriti apud Deum, ut sicut Elias et Eliseus posset non solum infirmam filiam sanare, sed etiam mortuam suscitare: *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet,* propter verae sanctitatis existimationem.

ita archisynagagus existimabat Christum tanta sanctitate praeditum, ut posset etiam mortuam filiam suscitare.

VI. Abdias, magnus princeps apud Achab regem Israel, adoravit Eliam, [56] Cornelius Centurio adoravit Petrum, [57] Pharao constituit Ioseph principem super universum regnum Aegypti iussitque eum ab omni populo flexis genibus adorari, [58] et Nabuchodonosor imperator Chaldaeorum adoravit Danielem. [59] Hoc autem manifestum est signum quod suapte natura virtus magnae aestimationis est; hinc sanctitas, quae virtutum omnium perfectio est, apud homines semper magnae fuit venerationi et honori. Omnes laudamus virtutem, vituperamus autem vitium. Virtus suapte natura desiderat lucem, sicut mulier pulcra et ornata magna cum pompa ab omnibus videri desiderat; vitium autem tenebras quaerit: *Qui male agit, odit lucem; hoc est autem iudicium,* ut Dominus ait, *quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,* [60] idest hanc ob causam iudicabuntur et damnabuntur multi, imo infiniti pene homines, quoniam cum divinitus illustrati luce illa, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* [61] cognoscant pulcritudinem laudemque virtutum et turpitudinem ac deformitatem summe vituperandam vitiorum, tamen vitia potius quae vituperant sectantur, quam virtutes quas laudant, ut ille ait:

Apud homines magna est sanctitatis aestimatio

« Video meliora proboque,
Deteriora sequor ». [62]

55) Cf. Mt 13, 35; Mc 6, 3. 56) Cf. 3 Rg 18, 7. 57) Cf. Act 10, 25-26. 58) Cf. Gn 41, 37-43. 59) Cf. Dn 2, 46. 60) Io 3, 19-20. Ordine inverso affert hos vrr. 61) Ibid. 1, 9. 62) Ovid. *Metamorph.*, lib. 7, vrr. 20-21.

Natura ipsa tanti facit vitae sanctitatem, ut eius opinione super seipsam feratur. Nemo est qui, vel saltem nocte, iuxta mortui hominis cadaver positus non exhorrescat; ab integro autem corpore alicuius Sancti nihil omnino sibi quis timet, sed potius confidit et securissimus est. Si igitur ipsamet natura ducti tanti facimus sanctitatem, tantopere eam veneramur, cur non et sequimur virtutem profitendo? Et si tantopere cupimus salutem corporis, quae in sanitate integra consistit, cur non cupimus salutem etiam animae, quae consistit in sanctitate?

at si tanti fit sanctitas, sequenda ea est professione virtutis.

Mulier haec hemorrhoissa expenderat omnes facultates suas in medicos et medicinas pro sanitate consequenda; princeps iste accessit ad Christum et genibus ante eum provolutus, adorans eum instantissime postulabat salutem filiae infirmae et vitam defunctae; nos ipsi in infirmitatibus constituti nullum non movemus lapidem, nihil intactum relinquimus, nullum non periculum facimus pro corporis salute; et pro anima nihil faciemus? Mortale corpus pro vita momentanea studiosius cum ethnicis, qui vitam aeternam animaeque immortalitatem minime credunt, studiosius, inquam, curabimus quam animam, quae cum Deo in aeternum victura est? Dicam cum Ovidio libro 1 *de Remediis Amorum:* [63]

et si tanto desideratur salus corporis statim perituri, eo magis quaerenda est salus animae, quae cum Deo in aeternum victura est.

« Dura aliquis praecepta vocet mea; dura fatemur
Esse; sed, ut valeas, multa dolenda feres.
Saepe bibit succos, quamvis invitus, amaros
Aeger, et oranti mensa negata mihi est.
Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes,
Arida nec sitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore maius habet ».

Bone Deus, quaenam haec nostra caecitas est? Tanta facimus pro caduco corpore et nihil pro aeterna semperque victura anima?

Magna caecitas credere animae immortalitatem et vitam epicuream vivere.

« Proh Superi – inquit ille, – quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent » ! [64]

Si non crederemus animam immortalem, ut vere est, mirum

63) Vrr. 225-232. Ms.: *Horatio* loco: *Ovidio*. 64) Ibid. *Metamorph.*, lib. 6, vrr. 472-473.

forte non esset vitam vivere epicuream: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.*[65] Sed hoc mirum est, quod credimus firmissime animae immortalitatem et tamen ita vivimus ac si penitus veritatem hanc minime crederemus.

Animae immortalitas ostenditur hodierno Evangelio.

VII. D i v u s L u c a s capite 8 Evangelii sui, referens historiam hodierni miraculi, ostendit animae immortalitatem; nam ait quod, cum Dominus tenens manum mortuae puellae dixisset ei: *Puella, surge... reversus est spiritus eius et surrexit continuo.*[66] M a t t h a e u s[67] et M a r c u s[68] dicunt simpliciter quod *surrexit puella;* at L u c a s, qui philosophus et medicus fuit,[69] sciens quod facile dubitatur, maxime autem a philosophis et medicis, de animae immortalitate, non contentus dicere quod ad imperium Christi surrexit defuncta puella, voluit etiam declarare quomodo surrexit, dicens quod *reversus est spiritus eius* tanquam habitator in domum suam ex qua exierat et nauta in suam navim. Sic Elias Deum orans pro suscitatione filii unici viduae sareptanae dixit: *Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius.*[70] Quid est: *Revertatur anima? Reversus est spiritus?* Quia non deficit anima in morte corporis, sed discedit a corpore tanquam habitator a sua habitatione.

Anima immediate a Deo creatur.

In morte *spiritus*, ut S a l o m o n ait, revertitur *ad Deum qui dedit illum.*[71] Non enim educitur anima de potentia materiae, ut philosophi loquuntur, non nascitur aut oritur ex virtute seminis, ut animae brutorum,[72] sed Deus creat eam, advenit extrinsecus: *Insufflavit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem,*[73] ait M o y s e s; creans coelum et formans spiritum hominis in medio eius, ait Z a c h a r i a s.[74]

Hoc docuit non tantum theologia, sed etiam vera philosophia,

Sed non est animus agere de animae immortalitate. Sufficit quod hanc nedum sacra divinaque theologia semper constantissime docuit, sed etiam vera philosophia: hanc docuit T r i s m e g i s t u s,[75] hanc P y t h a g o r a s docens palingenesiam, animarum transmi-

65) Is 22, 13; 1 Cor 15, 32. 66) Vrr. 54-55. 67) 9, 25. 68) 5, 42. 69) Cf. Col 4, 14. 70) 3 Rg 17, 21. 71) Eccle 12, 7. 72) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 75, a. 6; q. 79, a. 4; q. 90, a. 2-3; q. 98, a. 1. 73) Gn 2, 7. Vulg.: *Inspiravit*, etc. 74) Cf. 12, 1. 75) Cf. *Asclepius*, cp. 1, pag. 474-476.

grationem,[76] hanc Plato in *Timaeo,*[77] in *Phedro,*[78] in *Phedone,*[79] in 10 *De Legibus,*[80] hanc innumeri alii praestantissimi philosophi, quorum auctoritate motus Cicero eam multis locis docuit,[81] maxime in suo *Catone Maiore* sive *De Senectute,*[82] hanc Virgilius in 6 *Aeneidon.*[83] Phocylides ait: Ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός: «anima autem immortalis et insenescibilis vivit per omne tempus»;[84] et Ovidius:

«Morte carent animae»;[85]

et alibi:

«Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis».[86]

et ipsamet natura confirmat;

Et ipsamet natura tacite hanc docere videtur. Quid enim est quod nos, cum certissime simus morituri, vix tamen arbitrari unquam possumus nos morituros? Quia anima diffundit in corpus suam immortalitatem, sicut lumen accensum intra lanternam ipsi communicat radios sui splendoris, et impense desideramus omnes vitae aeternitatem, vel saltem nominis in mundo immortalitatem perpetuam.

ergo secundum virtutem vivamus, ut aeternam gloriam consequamur.

Si igitur, o fratres, ita res se habet, in aeternum omnes victuri sumus post mortem, sed hi quidem ob virtutem semper felicissime, illi autem ob vitia infelicissime semper, cur non satagimus bene secundum normam virtutis et regulam divinae legis vivere, ut aeternam salutem et gloriam consequi mereamur?

Ad salutem consequendam fide opus est viva atque perfecta.

VIII. Ad salutem consequendam fide opus est viva atque perfecta: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Sed qualis fides? *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Est enim Christus veluti organum plenum flatu, ita ut, tactis articulis ab organista, extempore sonum edat; est sicut ignis ad quem nemo potest accedere quin sentiat calorem, sicut lampas accensa quae innumeras

76) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 332.
77) Lib. 32, pag. 403-422. 78) Lib. 26, pag. 260. 79) Lib. 29, pag. 287 sqq.
80) Pag. 503-507. 81) Cf. orat. 19, t. 2, col. 442; orat. 26, ibid. col. 549; *Quaest. Tusc.*, lib. 1, t. 4, col. 170-192; *De Legibus*, lib. 2, ibid. col. 442; *Somnium Scipionis*, ibid. col. 678.
82) Cf. t. 4, col. 555-558. 83) Vr. 730. 84) *Poema Admonitorium*, vr. 110. Ms.: *Psichi de athanatos che aghiros zi diapantos.* 85) *Metamorph.*, lib. 15, vr. 159.
86) *Tristium*, lib. 3 eleg. 7, vrr. 42-44.

potest lucernas et candelas accendere. Sic enim I s a i a s ait: *Egrediatur ut splendor Iustus eius et Salvator eius ut lampas accendatur.* [87] Quisquis habet extinctas lucernas, accedat cum archisynagogo et hemorrhoissa ad Christum et accendet eas, modo parata sit riteque concinnata lucerna, ita ut accendi possit: habeat oleum et elychnium bene dispositum.

Fides est certissima opinio qua aliquid creditur;

Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Sed quid est fides? *Substantia sperandarum rerum,* inquit P a u l u s, *argumentum non apparentium;* [88] est firmissima animi sententia, certissima indubitatissimaque opinio et persuasio, qua animus noster firmissime, absque ulla dubitatione aliquid credit: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero;* est argumentum efficacissimum animum ita convincens, ut id quod credit certius teneat quam si oculis videret et manibus tangeret.

eius obiectum Christus est;

Obiectum autem fidei est Christus fimbriatus: *Fimbriae eius replebant templum; Decem homines... apprehendent fimbriam viri iudaei;* [89] *Sol iustitiae et sanitas in pennis eius, in fimbriis eius,* nam est hic eadem vox, כנף, [90] quae est Z a c h a r i a 8: *Apprehendent fimbriam viri iudaei.*

effectus perfecta salus, idest vita aeterna.

Effectus autem fidei est perfecta salus ab omnibus malis mentis et corporis: salvata est mulier ab infirmitate corporis et ab afflictione animi; salvata filia archisynagogi a morte et pater ab ingenti dolore: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Confert fides credenti vitam aeternam: *Crede tantum et salva erit; Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [91]

Talis fides nunc maxime desideratur.

Sed ubinam, quaeso, haec fides? Quaeso, audite. Sequebatur Christum magna turba et, ut L u c a s ait, comprimebatur a turba, [92] et tamen non sensit tactum nisi huius mulieris quae occulte tetigit eum, unde ait: *Quis... me tetigit?* Cui Petrus: *Magister, turbae te comprimunt... et dicis: Quis me tetigit?* At Dominus: *Tetigit,* inquit, *me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse.* [93] Ita dico ego: Ubi est haec fides? Ubi qui in Christum credunt? Di-

87) 62, 1. 88) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc. 89) Zach 8, 23. 90) Ms.: *Canaph.* 91) Io 3, 15. 92) Cf. 8, 42. 93) Ibid. vrr. 45-46. Vulg.: *Praeceptor, turbae te,* etc.

cetis: Quid? An non omnes nos fideles sumus? An non omnes in Christum credimus? Bene, multa turba sequebatur Christum et comprimebat Christum, tamen ab una tantum hac muliere se tactum dicit Christus. Non enim nisi viva fide, caritate et devotione tangitur Christus, hunc solum tactum sentit, haec est fides quae salutem confert et vitam sempiternam.

Fides coniuncta esse oportet cum magna humilitate et devotione

Ad salutem consequendam, fratres, non qualiscunque fides requiritur, sed vera et viva, similis fidei archisynagogi et hemorrhoissae: *Domine, filia meà modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam et vivet; Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Ex his verbis conspicere licet qualis horum fides erat, firmissima animi sententia ac constantissima et indubitatissima opinio verissimaque, credens de Christo magna supra captum humanae rationis et supra omnem naturae virtutem. Non enim natura curari poterat morbus incurabilis, nec mortua suscitari, et tamen certissime haec credebant et vera crediderunt, imo multo minora ipsa rei veritate, quoniam divinitatem Christi adhuc minime credebant. Erat coniuncta fides archisynagogi cum magna humilitate, nam *procidit ad pedes* Christi;[94] fides autem hemorrhoissae simul cum magna etiam devotione: *Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius, dicebat enim... Si tetigero tantum,* etc.[95] Nunc autem quis est ex nobis qui Christum tali tactu tantae fidei, humilitatis et devotionis tangat in tanta fidelium multitudine? *Quis me tetigit?... Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse.*

ac magno amore Dei et virtutis.

Fidem designabant antiqui per annulum signatorium,[96] per linteum candidum,[97] per dextras manus complicatas,[98] sed praecipuum Romae erat fidei simulacrum tribus imaginibus constans: imagine honoris et veritatis, qui dextras sibi porrigebant et prehendebant sicut sponsus et sponsa, et tandem in medio erat imago amoris.[99] Siquidem zelus honoris et veritatis amorque virtutis et veri boni desiderium integram fidem nutriunt atque conservant. Sicut enim inter homines facile est ut quis fidem servet amico quem impense diligit, si ipse zelum habeat honoris et non diligat menda-

94) Mc 5, 22. 95) Mt 9, 20-21. 96) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 41, pag. 433. 97) Cf. ibid., lib. 40, pag. 427. 98) Cf. ibid., lib. 35, pag. 362. 99) Cf. ibid. *Hieroglyphicorum Comment.*, lib. 1. pag. 628.

cium nec ficte diligat, uxor facile servat fidem marito, si vere eum diligit, et honoris sui rationem habet diligitque virtutem et honestatem constantemque veritatem, sic facile Deo fidem servat qui virtutes has habet.

Hae virtutes cernuntur hodie in archisynagogo et in hemorrhoissa.

IX. Commendatur nobis in hodierno Evangelio fides archisynagogi et mulieris hemorrhoissae simulque declaratur quid sit fides et quis fidei effectus, quid operatur fides. Quod fides est constans et indubitata opinio firmissime credens de Christo quae supra omnem naturam sunt: *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet; Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero.* Videtur archisynagogus quod Spiritu Sancto afflatus intellexerit de Christo id quod de Sapientia in *Proverbiis* dicitur: *Lignum vitae est iis qui apprehenderint eam.* [100] Nam Christus est Dei virtus et sapientia; [101] praefiguratus est autem in ligno vitae, de quo legimus: *Sumat . . . de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum.* [102] Vim habebat lignum illud supernaturalem conferendi vitam perpetuam. Videtur intellexisse de Christo id quod apud Ieremiam legimus de figulo, qui confractum vas super rotam refecit iterum sicut sibi placuit; [103] Deus enim figulus noster est: *Formavit . . . Dominus Deus hominem de limo terrae.* [104] Hemorrhoissa autem dicens: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero,* videtur intellexisse Christum esse sacrum illud organum, quod saepe in *Psalterio* legimus, [105] quod flatu plenum, statim ut tanguntur articuli, sonum edit ad voluntatem tangentis, sicut cymbalum; intellexisse vaticinium illud Isaiae: *Donec egrediatur ut splendor Iustus eius et Salvator eius ut lampas accendatur,* lampas enim accensa suo tantum tactu innumeras potest extinctas lucernas accendere; intellexisse illud eiusdem Isaiae: *Fimbriae vestimenti eius replebant templum,* et illud Malachiae: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in fimbriis eius.* Praeterea archi-

100) 3, 18. Vulg.: *Est his qui,* etc. 101) Cf. 1 Cor 1, 24. 102) Gn 3, 22.
103) Cf. 18, 2-6. 104) Gn 2, 7. 105) Cf. Ps 150, 4.

synagogus intellexisse videtur quod Christus esset arca Dei, non illa quidem quae solo tactu mortem intulit Ozae. [106]

106) Cf. 2 Rg 6, 6-7; 1 Par 13, 9-10. Deinde, alba relicta reliqua parte fol. 80, transitur ad fol. 81, ubi solum hoc fragmentum invenitur: « *Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps quidam accessit et adorabat eum dicens; Domine, filia mea modo defuncta est, sed,* etc. Exponitur hodiernum Evangelium ab Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Beda et aliis allegorice de Ecclesia Gentium et synagoga Iudaeorum, ut per mulierem hemorrhoissam designetur Ecclesia Gentium, per filiam vero archisynagogi synagoga Iudaeorum. Haec puella erat duodecim annorum, ut Lucas habet, nondum ad perfectam aetatem devenerat, quia *neminem ad perfectum adduxit lex;* hemorrhoissa autem, aetate multo maior, tunc coepit fluxum sanguinis pati, cum nata puella fuit, quoniam tunc vel maxime gentilitas a Deo veluti deserta in incurabilem incidit infirmitatem vitiorum, cum synagoga Iudaeorum electa fuit ».

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto. [1]

Praedicit hodie Christus excidium Iudaeorum in poenam impietatis eorum,

I. Sequitur umbra corpus, laborem nimium lassitudo, aestatem hiems, noctem dies, lucem tenebrae, vitam mors; sic utique peccatum sequitur poena, ita exigente iustitia divina ut nullum bonum maneat sine condigna mercede ac praemio et nullum malum sine iusta punitione: *Ego sum . . . Deus . . . zelotes, faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me* et *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* [2] Ita Samson ignem caudis vulpium alligavit; [3] sic post peccatum eiectus fuit angelus de coelo, [4] homo de paradiso, [5] submersum diluvio mundus, [6] combusta Pentapolis igne de coelo, [7] flagellata Aegyptus, [8] destructa Ierusalem et in captivitatem babylonicam ductus populus Dei. [9] Sic Christus hodie praevidens gravissimum facinus summamque Iudaeorum impietatem, praedicit et vaticinatur eis multo miserabiliorem captivitatem multoque lamentabiliorem destructionem per exercitum Romanorum, quem *abominationem* appellat, quia effecturus erat id quod summe abominabantur Iudaei et quoniam cum idolis idololatras gentes ipsi summopere execrabantur.

dat etiam fidelibus suis monita ut salventur ab ira Dei.

Quoniam vero suorum ipse salutem desiderat, ipse hodie tanquam sol oriens nocturnas tenebras fugans, oculis pericula scandalaque demonstrat, in quae utique impingere et offendere homines

1) Pericope huius diei Mt 24, 15-35. Cf. Missale Rom. 2) Ex 20, 5-6. Vulg.: *In millia his*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 3) Cf. Idc 15, 4-5. 4) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 5) Cf. Gn 3, 6 sqq. 6) Cf. ibid. 7, 11 sqq. 7) Cf. ibid. 19, 24-25. 8) Cf. Ps 77, 43-51. 9) Cf. 4 Rg 25, 1-21; 2 Par 36, 14-21.

possunt, cum tenebris operta sunt. Sic enim *qui ambulat in luce, non offendit, quia lumen huius mundi videt; qui autem ambulat in tenebris, offendit, quia lux non est in eo.* [10] Ne, inquam, fideles sui cum impiis pereant, dat ei significationem *ut fugiant a facie arcus* [11] irae Dei, pellens tenebras ignorantiae futuraque pericula praedicens.

Dominus omnium salutem desiderat, sed maxime iustorum.

II. Sicut Dominus ab aquis diluvii per arcam salvare voluit iustum Noe cum universa familia sua, praedicens ei ut faceret sibi arcam, [12] et a combustione Pentapolis iustum Loth, praedicens ei per Angelos ut egrederetur a Sodomis, [13] sic hodie Christus verus Deus, praevidens futurum Ierosolymorum excidium, dat suis signum ut fugiant ab ira ventura dicens: *Cum videritis abominationem.* Etsi enim Dominus salutem omnium desiderat: Deus *vult omnes homines salvos fieri,* [14] unde *solem suum oriri facit super bonos et malos pluitque super iustos et iniustos,* [15] et mundum hunc non totum coelestem creavit, sed etiam terrenum, nec lucis tantum habitaculum dieique, verum etiam tenebrarum et noctis, principaliter tamen propter bonos mundum creavit, propter quos etiam conservat, ut patet in diluvio et combustione Pentapolis, et iustorum praecipue salutem desiderat. Sic ait: *Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* [16] Sic summus sacerdos, qui Dei personam gerebat, in pectore portabat sculpta nomina filiorum Israel tribuumque et super humeros in lapidibus pretiosis. [17]

Hinc hodie paucis tantum discipulis haec vaticinatur.

Hinc Christus discipulis suis tantum haec eloquitur hodie; nec omnibus quidem, sed electioribus dilectioribusque: Petro, Iacobo, Ioanni et Andreae, ut Marcus ait. [18] Nam etsi saepe Dominus vult in mundo hoc communia esse bonis et malis tum bona tum mala, ne forte boni superbirent et mali penitus desperarentur, sic vita et mors, lux et tenebrae, dies et nox, aestas et hiems, coelum et terra omnibus communia sunt: *Qui solem suum oriri facit,* etc., attamen sicut paradisum, in quo omne bonum, creavit propter electos et infernum, ubi omne malum, propter reprobos, sic in hoc mundo

10) Io 11, 9-10. Vulg.: *Si quis ambulaverit in die... quia lucem... si autem ambulaverit in nocte,* etc. 11) Ps 59, 6. 12) Cf. Gn 6, 13 sqq. 13) Cf. ibid. 19, 13-30.
14) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 15) Mt 5, 45. Vulg.: *Et pluit,* etc.
16) Ps 59, 6. 17) Cf. Ex 28, 10-12. 18) Cf. 13, 3.

bona propter bonos operatur, mala autem propter malos; nam hi ob peccata sua sunt in causa malorum quae Deus immittit in mundum. Hinc iustos saepe a malis eruit, sicut Noe a diluvio, Loth a Sodomorum subversione et Hebraeos a flagellis Aegypti, ne iusti videantur esse in causa malorum. Sic cum Aegyptii sepulti essent palpabilibus tenebris, Hebraei iucundissima luce fruebantur [19] immunesque semper ab omni flagello fuere, quamvis in eadem Aegypti terra cum Aegyptiis habitarent, [20] sicut Iacob cum Esau in eadem domo. [21]

Cum videritis abominationem: **non loquitur Christus de antichristo, sed de exercitu Romanorum,**

III. *Cum videritis abominationem*, etc. Non loquitur Christus de antichristo hic, ut multi arbitrantur, [22] sed de Ierosolymorum excidio, quod quidem, ut Augustinus *ad Hesychium*, epistola 80, ait, [23] ex Luca clarum est; siquidem ubi Matthaeus dicit et una cum eo Marcus: [24] *Cum videritis abominationem*, Lucas eadem referens ait: *Cum... videritis ab exercitu circumdari Ierusalem.* [25] Per *abominationem* ergo exercitus Romanorum intelligitur. Deinde Christus ad vaticinium Danielis alludit, vaticinium, inquam, septuaginta hebdomadarum, ubi Daniel non de secundo Christi adventu loquitur, sed de primo, nec de antichristo, sed de Ierosolymorum ruina. Nam etsi allusisse videri potest Christus ad vaticinium Danielis, 12 capite, ubi ait: *Et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta,* [26] ubi Vates de antichristo loquitur et de fine mundi ac de mortuorum resurrectione. Obstat tamen locus Lucae ne de antichristo intelligamus urgetque ut ad vaticinium Danielis, capite 9, Christum allusisse intelligamus. Ait autem Daniel: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sem-*

ex vaticinio Danielis.

19) Cf. Ex 10, 21-22. 20) Cf. ibid. 9, 23-26; 12, 23. 21) Cf. Gn 25, 27-28.
22) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 5, cp. 25, (P. G. 7, 1188-1191); S. Hilarius *Comment. in Matthaeum*, lib. 4, (P. L. 9, 1053-1054); S. Ambrosius *Enarrat. in Psalmos*, ibid. 14, 1091; *Exposit. in Evang. Lucae*, lib. 10, ibid. 15, 1809; S. Hieronymus *Comment. in Matthaeum*, lib. 4, ibid. 26, 177; S. Beda *Exposit. in Matthaeum*, lib. 4, ibid. 92, 102; *Exposit. in Marcum*, lib. 4, ibid. col. 261; *Exposit. in Lucam*, lib. 6, ibid. col. 585. 23) Iuxta Migne Epist. 199, cp. 9, (P. L. 33, 914-917). 24) 13, 14. 25) 21, 20. Vulg.: *Cum... videritis circumdari ab exercitu Ierusalem.* 26) Vr. 11.

piterna et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt ; et rursum aedificabuntur muri et platea in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus, et non erit eius populus qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo ; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadae deficiet hostia et sacrificium ; et erit in templo abominatio desolationis et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. [27] Ex huius igitur vaticinii intellectu petendus est evangelicus sensus.

qui tempus clare assignavit quo Christus occidendus esset

Dicit itaque Angelus Danieli quod, finitis septuaginta annis babylonicae captivitatis, iuxta vaticinium Ieremiae 25 [28] et 29, [29] data a Cyro facultate Iudaeis redeundi Ierusalem et reaedificandi templum et civitatem – nam utranque facultatem concessit, [30] sicut qui eum secutus est utranque prohibuit, [31] et postea Darius secundus efficacius reconcessit utranque, [32] – determinatum erat a Deo tempus septuaginta hebdomadarum, idest annorum quadringentorum nonaginta usque tempus quo per Christum perficiendum erat opus redemptionis humanae, quod ab Angelo his verbis exprimitur: *Ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas* Adae *et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophetia*, idest omnis promissio Dei populo facta. Hoc autem tempus septuaginta hebdomadarum dividit Angelus in tres partes: in hebdomadas septem, quo tempore reaedificatum fuit templum una cum civitate; in hebdomadas sexaginta duas, quae post reaedificationem civitatis et templi fluxerunt usque ad Christum ducem, sive manifestatum et mundo coram factum, quod fuit in Christi baptismo, tunc enim voce delapsa de coelo manifestatus fuit Christus: *Hic est Filius meus dilectus*, etc.; [33] et in hebdomadam unam, in qua Christus primo per se et deinde per Apostolos Evangelium in Iudaea praedicavit, quod est praedicatione pactum multis

27) Vrr. 24 sqq. Vulg.: *Et rursum aedificabitur platea et muri... in dimidio hebdomadis*, etc.
28) Cf. vrr. 11-14. 29) Cf. vr. 10. 30) Cf. 2 Par 36, 23; 1 Esr 1, 1 sqq.
31) Cf. 1 Esr 4, 1 sqq. 32) Cf. ibid. 6, 1-12. 33) Mt 3, 17.

confirmare, et in dimidio huius occisus fuit, unde defecit hostia et sacrificium, quae Christi mortem praefigurabant. Et quoniam Iudaei Christum negantes et occidentes gravissime peccaverunt, hinc poena huius peccati statuitur, hoc est *civitatem et sanctuarium dissipabit populus,* romanus exercitus, *cum duce venturo, et finis eius vastitas* et sic *erit in templo abominatio desolationis,* sive, iuxta hebraicum per extensionem, *abominationum desolationem faciens,* vel admirari faciens.

In cuius sceleris poenam universa Iudaeorum respublica funditus evertenda erat.

Vaticinium ergo universum est de primo Christi adventu, ostendens quomodo positus sit Christus in salutem et in perditionem, *in ruinam et resurrectionem multorum,* [34] et quomodo in poenam mortis Christi universa Iudaeorum respublica funditus evertenda et in nihilum redigenda erat, auferenda eis omnis temporalis et spiritualis potestas ac principatus, quae per destructionem civitatis et templi intelligitur, et auferenda in perpetuum, nam *usque in finem,* inquit, *perseverabit* statuta *desolatio.* Quae quidem a Domino apud Lucam sic exprimuntur: *Erit enim pressura magna super terram et ira populo huic; et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.* [35] Haec est ruina quam Isaias capite 1 praedixit [36] et 5 sub parabola vineae; [37] haec quam lamentabatur Ieremias; [38] haec quam Christus ipse flevit. [39]

Ideo exercitus Romanorum abominatio dicitur, quia extremam illaturus erat ruinam Iudaeis.

Ob id vel maxime exercitus Romanorum, qui sic in Iudaeos grassaturus erat, *abominatio* dicitur, nam ait: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi... neque fiet.* [40] Quamvis enim multas passi fuerint Hebraei tribulationes in Aegypto [41] et in terra sua a Philisthaeis et aliis nationibus, [42] in babylonica captivitate a Chaldaeis, [43] et postea a Graecis sub Antiocho, [44] nulla tamen huic extremae comparanda venit. Tribulationes enim immittuntur a Deo in poenam peccatorum; divina autem iustitia requirit ut iuxta mensuram delicti sit plagarum modus; [45] quapropter cum nullum unquam commissum fuerit ante vel post maius peccatum peccato

34) Lc 2, 34. 35) 21, 23-24. 36) Cf. vrr. 4 sqq. 37) Cf. vrr. 1 sqq. 38) Cf. Thr 1, 1-5, 1 sqq. 39) Cf. Lc 19, 41-44. 40) Mt 24, 21. 41) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 5, 6 sqq. 42) Cf. Ps 105, 35-42. 43) Cf. 2 Par 36, 17-21. 44) Cf. 1 Mach 1, 21 sqq. 45) Cf. Dt 25, 2.

Iudaeorum, quo impie, iniustissime et crudelissime Christum Dei Filium verumque Deum, mundi creatorem, salvatorem et redemptorem occiderunt, merito ait: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.*

Consideranda sunt quae praecesserunt hoc excidium.

IV. Quod quidem luce clarius compertum nobis erit si divinae iustitiae severissimum hoc iudicium in Iudaeos consideremus videamusque et ipsum excidium et quae illud praecesserunt ac subsecuta fuere. Multa quidem illud praecessere, sicut Dominus apud Lucam ait: *Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum, et terraemotus magni erunt per loca et pestilentiae et fames terroresque de coelo et signa magna erunt.*[46] *Sed nondum statim finis,*[47] dixit paulo ante, imo, ut Matthaeus 24 ait: *Haec autem omnia initia sunt dolorum.*[48]

Praedicit Christus mala coeptura a seditionibus et proeliis,

Coeperunt autem mala Iudaeorum a seditionibus et proeliis, ait enim: *Cum audieritis proelia et seditiones, nolite terreri, oportet enim haec fieri.*[49] Sicut enim ante Christi adventum Theodas et Iudas Galilaeus populum seducentes et post se abducentes multorum malorum in causa extitere,[50] ita post Christum. Refert enim Iosephus libro *Antiquitatum* 20, capite 12,[51] et libro 2 *De Bello*, capite 12,[52] quod, administrante Iudaeam praeside Felice, aegyptius quidam, arrogato sibi prophetae nomine et opinione, populum seducens, triginta ferme hominum millia congregavit in solitudine ducensque in montem Olivarum Ierosolymam capere nisus fuit; sed a Felice praeside dissipati fuerunt. Et, ut idem refert libro 14 *Antiquitatum*,[53] sub Festo praeside similis subortus tumultus fuit. Sic a multis pseudochristis et pseudoprophetis delusus populus Iudaeorum fuit, facto seminario seditionum et rebellionum. Imperante autem Caio, subortus alius rumor est. Hic enim electus imperatorea superbia elatus fuit, ut vellet ab omnibus tanquam deus adorari et in templis omnibus statuas sibi dicatas erigi; quod cum Iudaei permittere nullo modo voluissent ut Caii statua in Dei templo poneretur, quinquaginta diebus concertatum est inter Petronium, qui

haec autem evenerunt sub praesidibus Felice et Festo,

46) 21, 10-11. 47) Ibid. vr. 9. 48) 24, 8. 49) Lc 21, 9. 50) Cf. Act 5, 36-37. 51) Cp. 8, pag. 519, iuxta editionem qua utimur in hoc volumine. 52) Cp. 13, pag. 174. 53) Lib. 20, cp. 7, pag. 521.

ad hoc missus cum tribus legionibus militum ab imperatore fuerat, et populum Iudaeorum resistentium.[54]

Sed quoniam ignis accensus erat in furore Dei arsurusque erat *usque ad inferni novissima,*[54*] post Caium, imperante Claudio, sub Cumano praesidente Iudaeae, in die azymorum, in ipsa solemnitate paschali, cum miles quidem, detectis pudendis, facto et verbis turpissimis Iudaeos illusisset, motus ob hanc impudentiam fuit populi tumultus in civitate talis ac tantus, ut viginti caesorum millia adnumerata fuerint, referente Iosepho *De Antiquitatibus,* libro 20, capite 6,[55] et *De Bello,* libro 2, capite 11.[56] Mox alius exortus fuit tumultus inter Iudaeos et Samaritanos multa cum hominum et locorum strage;[57] alius quoque in Caesarea subortus fuit tumultus inter Iudaeos et Syros de civitatis praerogativa, quoniam cum antiquitus Syrorum fuerat civitas, ab Herode tamen iudaeo fuerat reaedificata; in hac autem contentione arma sumentes multi Iudaeorum occisi fuerunt.[58]

Imperante Claudio,

Erat tunc universa Iudaeorum provincia latronibus plena sicariisque, qui tectas vestibus sicas gerentes multos perimebant terroribusque omnia replebant sub praeside Felice, cui cum Porcius Festus successisset conatusque fuisset his malis provinciam liberare, minime potuit,[59] Dei ultione in Iudaeos sic exigente. Unde post hunc Iudaei pessimos habuere praesidentes, imo crudelissimos tyrannos, maxime vero Albinum et eo multo peiorem Gessium Florum; nam ille quidem pecunia excaecatus omne malorum genus, latrocinia, direptiones, homicidia et si quid est peius permittebat, secrete tamen et dissimulanter, hic vero multo peiora et permittebat et publice faciebat, ut ad rebellionem populum irritaret; unde bis Ierosolymam ingrediens cum exercitu suo, dedit militibus facultatem depraedandi civitatem et occidendi resistentes cives ac si bello capta civitas esset; unde compulsi quodammodo fuerunt Iudaei ad iustam rebellionem. Sed qua die ipsi contra romanum praesidium insurrexerunt romanosque milites, sacramento violato, occi-

sub tyrannis Albino et Gessio Floro

54) Cf. ibid. *Della Guerra Giudaica,* lib. 2, cp. 10, pag. 163-165. 54*) Dt 32, 22.
55) Cp. 5, pag. 510. 56) Cp. 12, pag. 169. Iosephus dicit hic ultra decem millia caesa fuisse. 57) Cf. ibid. pag. 170. 58) Cf. ibid. cp. 13, pag. 174-175; cp. 18, pag. 202-203. 59) Cf. ibid. lib. 2, cp. 13, pag. 173-174.

derunt, Caesarienses, facto in Iudaeos tumultu, viginti millia Iudaeorum occiderunt.[60] Et paulo post Scythopolitae imitati Caesariensium exemplum, tredecim millia Iudaeorum trucidarunt, Alexandriae vero quinque millia ipsorum fuere perempti, Ptolemaidis duo millia, Ascaloni duo millia quingenti, Damasci etiam decem millia Iudaeorum uno die trucidati fuerunt.[60a]

et Cestio Gallo;

In regno item Agrippae concitata fuit contra Iudaeos pernicies multique nobiles viri occisi, et cum in rebellione contra Romanos perseverarent, venit Cestius Gallus, Syriae praefectus, cum exercitu civitatemque Ierusalem obsedit partemque exteriorem expugnavit. Factum est autem, Deo sic disponente in favorem electorum suorum et multo peiorem ruinam Iudaeorum, ut hic obsidionem solveret, quamvis cum gravi Romanorum damno; nam facto in eum impetu Iudaeorum, conatus fuit eorum vim fuga declinare. Quod quidem Romanos magis magisque contra Iudaeos irritavit, unde postea venit contra eos Vespasianus et Titus cum maximo Romanorum exercitu.[61] Et si Cestius multos Iudaeorum, capta civitate Zabulon et aliis civitatibus, trucidavit, Antonius quoque dux Romanorum in civitate Ascalona duodeviginti millia Iudaeorum in duobus conflictibus occidit;[62] sed Vespasianus et Titus Iudaeos sine numero peremerunt. Nam primo quidem universam Galilaeam vastaverunt, occisis multis hominum millibus, siquidem in civitate tantum Iotapatha, quam ipse Ioseph defendebat, quadraginta millia hominum perierunt et in civitate Tarochea triginta millia quadrigenti.[62a] Hinc cogitandum quot millia in omnibus aliis civitatibus perempti fuerint; unde talis ac tantus erat Romanorum terror, ut multi rebellium suis se manibus interimerent.[63] Haec sunt quae Dominus dicit: *Proelia et seditiones*, quae Ierosolymorum excidium praecesserunt, quibus adiungit terraemotus et pestes, quae etsi a Iosepho non commemorantur, id forte est quia haec mala collata seditionibus et bellis, quae longe peiora sunt omni peste et terraemotu, levia mala viderentur.

tandem venerunt Vespasianus et Titus, qui Iudaeos sine numero peremerunt.

60) Cf. ibid. cp. 14-15, pag. 176-184; cp. 20, pag. 215. 60a) Cf. ibid. cp. 18, pag. 202-209. 61) Cf. ibid. lib. 4, cp. 9-11, pag. 346-358. 62) Cf. ibid. lib. 3, cp. 2, pag. 235-237. 62a) Cf. ibid. cp. 10, pag. 286-288. Iosephus asserit hic sex millia et quingentos Iudaeos periisse. 63) Cf. ibid. lib. 7, cp. 9, pag. 527-528.

Praedixit etiam multa signa praecessura excidium

De magnis vero terroribus signisque de coelo, quae Christus praedixit, scribit I o s e p h u s. Siquidem refert visos fuisse in coelo exercitus curruum, equorum et militum armatorum auditosque armorum sonitus, item per annum integrum ante obsidionem visum est supra civitatem sidus simile gladio, porta templi aenea ultro aperta fuit auditaque vox dicentium: Migremus hinc! et alia multa quae recenset I o s e p h u s libro *De Bello* 7, capite 12.[64] Omnia autem haec signa erant irae furoris Domini, quia inquit Christus: *Dies ultionis hi sunt... Erit enim pressura magna... et ira populo huic; et cadent in ore gladii.*[65]

et magnam praessuram, quae in obsidione civitatis vere maxima fuit.

Fuit magna pressura ante obsidionem, sed in obsidione maior, sicut ait Dominus: *Venient dies in te et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique.*[66] Sic obsessa civitas fuit, et foris quidem proelia habebat, intus autem seditiones. Erat enim civitas in tres partes divisa: pars sequebatur Simonem,[67] pars Ioannem[68] et pars Eleazarum,[69] qui omnes inimici ad invicem, se mutuo tanquam acerrimi hostes trucidabant universamque civitatem et templum occisorum sanguine inundabant, nulli parcentes vel aetati vel sexui. Aderat et maxima fames, quae eos adeo pressit, ut calceamentorum corigias paleasque manducarent, imo eousque eos compulit, ut mater filium necans igni assatum ad explendam famem, horribile dictu! manducarit.[70] Et Titus quidem eorum, qui fame urgente ex civitate egrediebantur, devenientes in manus Romanorum, tam multos crucifixit, ut crucibus spatia deessent et corporibus cruces, ut hoc spectaculo ob oculos posito[71] terrerentur Iudaei.[72] Tandem vi capta civitate, plus undecies centena millia hominum fame et ferro perierunt.[73] Sic inquit: *Cadent in ore gladii,* qui vel vivi vel mortui exenterabantur ut in apertis ventribus aurum, quod multi deglutierant, requireretur.[74] *Quis audivit unquam talia? et quis vidit huic simile?*[74*] Sic in-

64) Iuxta nostram editionem lib. 6, cp. 5, pag. 466. 65) Lc 21, 22-24. 66) Ibid. 19, 43. 67) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 4, cp. 9, pag. 342-346; lib. 5, cp. 6, pag. 390. 68) Cf. ibid. lib. 5, cp. 1, pag. 363-368; cp. 6, pag. 390-395. 69) Cf. ibid. lib. 5, cp. 1, pag. 363-365; lib. 7, cp. 8, pag. 515-526. 70) Cf. ibid. lib. 6, cp. 3, pag. 455-458. 71) Ms.: *Ob oculis positos.* 72) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 5, cp. 11, pag. 414-415. 73) Cf. ibid. lib. 6, cp. 9, pag. 481-482. 74) Cf. ibid. lib. 5, cp. 13, pag. 425. 74*) Is 66, 8. Vulg.: *Unquam tale*, etc.

quit: *Tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi... neque fiet.*

Capta civitate, qui famem gladiumque effugerant, captivi ducti fuerunt

V. Capta autem civitate, factum est quod Dominus apud Lucam subiunxit: *Captivi ducentur in omnes gentes et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum,*[75] idest usque ad finem saeculi. *Captivi ducentur:* qui famem gladiumque effugerant, ducebantur captivi et vilissimo pretio vendebantur, nonaginta septem millia Iudaeorum captivati fuerunt, quorum alii quidem feris devorandi vivi proiecti fuerunt, alii servati ut in spectaculis et festis Romanorum ipsi in circo positi duello confligentes sese invicem interimerent, alii vero triceni pro singulis denariis vendebantur.[76] Sic captivi ducti sunt in omnes gentes, et adhuc perseverat ista captivitas, quia inquit: *Donec impleantur tempora nationum.*

et civitas una cum templo combusta.

Similiter destructio Ierusalem: *Calcabitur,* inquit, *a gentibus,* nam civitas una cum templo combusta fuit omnesque muri eius, qui triplici gyro eam circumdabant, prostrati fuerunt in terram, sicut Dominus ait: *Ad terram prosternent te... et non relinquent in te lapidem super lapidem;*[77] sic, inquit: *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sic civitas illa gloriosissima ad nihilum redacta est cum omni sua magnificentia et gloria.

Merito ergo Dominus Romanorum exercitum *abominationem* vocat,

Merito igitur Dominus Romanorum exercitum *abominationem* vocat, abominatio enim desiderio opponitur et abominabile desiderabili; omne autem quod in mundo desiderari potest, bonum est: post naturale quidem, uti vita, sanitas et sensuum membrorumque integritas, bonum utile, uti divitiae; honestum, dignitates, gradus, honores; delectabile, omne voluptatum et deliciarum genus, quibus omnibus Iudaeorum respublica abundantissima plenissimaque erat. Quod si haec suapte natura desiderabilia sunt, horum opposita, paupertas, ignominia, cruciatus, mors ipsa summe sunt abominabilia.

At vero his omnibus bonis Iudaei a Romanis privati fuere: deliciis, honoribus, divitiis, libertate, patria, loco ac vita tandem ipsa; hinc ait: *Cum videritis abominationem desolationis,* quis enim

75) 21, 24. 76) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica,* lib. 6, cp. 8-9, pag. 476-481. 77) Lc 19, 44.

desolationem omniumque bonorum amissionem malorumque incursionem [non] abominetur? *Abominationem desolationis... stantem in loco sancto* – Ierusalem enim ratione divini cultus et templi *civitas sancta* dicitur,[78] – *tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes.*[79] Ob id divina providentia factum est ut primo Cestius civitatem obsideret ac postmodum obsidionem solveret, ut fideles omnes memores verborum Domini, fugerent ab Ierusalem et universa Iudaea, et Iudaei infideles ac perfidi in sui sceleris poenam multo graviori obsidione postmodum premerentur; nam secundo a Romanis obsessa fuit civitas in die azymorum, quando ad paschalem solemnitatem celebrandam omnes Iudaei convenerant ex universa Iudaea et Galilaea Ierosolymam,[80] ubi solum secundum legem licebat eis pascha celebrare.[81] *Fugiant,* inquit, *ad montes,* sicut Loth iussus ab Angelis fuit ut ad montem confugiens salvaretur a combustione Pentapolis,[82] quoniam ignis irae Dei de coelo descensurus erat super universam Iudaeam; *et qui in tecto... non descendat tollere... tunicam suam,*[83] ut exoneratus et levis multo aptior sit expeditiorque ad fugiendum.

Iudaei enim omnibus bonis a Romanis spoliati fuerunt.

Vult Dominus ut corporalis vitae rationem curamque habeamus eamque omnibus externis bonis praeferamus; hinc ait ut pro vitae salute domum vestemque relinquamus, quoniam quidem vita haec donum Dei est et corpus factura et opus manuum Domini; quare vult ut meliora bonis praeferamus et melioribus optima. Ea quae in mundo possidentur fortunaeque bona appellantur, bona quidem sunt, sed naturalia multo sunt meliora, hinc nautae, facta in mari tempestate, ubi naufragii periculum vident, proiiciunt merces in mare ut ipsi in vita salventur.

Vult Christus ut corporalis vitae rationem habeamus,

Sed sicut corpus plus est quam vestimentum,[84] ita anima plus est quam corpus, ideo anima praeferenda corpori est et salus animae saluti corporis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed... timete eum,* etc.;[85] sic Martyres Sancti fecerunt, pro salute enim animarum suarum vestes corporum reli-

ideo cavenda docet pericula corporis et animae.

78) Cf. 2 Esr 11, 1; Is 48, 2; Dn 3, 28. 79) Mt 24, 16; Lc 21, 21. 80) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 2, cp. 19, pag. 210-214. 81) Cf. Dt 16, 5-7; 2 Par 30, 1 sqq.; Io 11, 55; 12, 20. 82) Cf. Gn 19, 15-29. 83) Mt 24, 17-18. 84) Cf. ibid. 6, 25. 85) Ibid. 10, 28.

querunt. Cavenda igitur docet hic Dominus pericula corporis, ut a fortiori doceat multo magis cavenda esse animae pericula.

Monet Dominus quam citissime fugienda esse pericula

VI. Docet autem Dominus quam citissime fugienda esse pericula, hoc est enim: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* [86] Sic festinanter voluit ut Loth egrederetur de Sodomis, filii quoque Israel festinanter egressi sunt de Aegypto [87] et David festinavit egredi de Ierusalem ubi audivit quod Absalom, congregato exercitu, veniebat contra ipsum. [88]

et omnia impedimenta salutis vitanda,

Vae autem praegnantibus et nutrientibus, sive lactantibus *in illis diebus!* [89] quoniam impedientur ne possint magnam tribulationem fugere, sicut cerva insectantes canes, nam praegnantes habent pondus partus in utero quod relinquere minime possunt et lactantes strictissimo amoris vinculo filiis colligatae eos relinquere minime possunt: *Nunquid potest mulier oblivisci?* etc. [90] Sic multi nimio amore rerum quas diligunt impediuntur ne fugiant animae perditionem.

et insuper orandum esse.

Sed quia omne bonum a Deo est, orandum docet Dominus ne tempus fugae impedimento sit: *Orate autem ut non fiat fuga vestra... hieme vel sabbato,* [91] nam hieme est impedimentum exterius, cum viae sunt coeno lutoque plenae et tunc vel maxime aeris iniuriae regnant, sabbato autem Iudaeis ambulare minime licebat, [92] quare multis conscientia nimium timida impedimento est ne, ut oportet, pericula perditionis fugiant magnasque tribulationes carnis et spiritus.

Erit enim tunc tribulatio magna, etc. Haec ultima fuit Iudaeorum tribulatio, quae populo illi veluti mors et interitus fuit. Sic daemones, permittente Deo, maximas tribulationes inferre quaerunt hominibus, maxime circa finem vitae ac prope mortem.

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, nul-

86) Ibid. 24, 17-18. 87) Cf. Ex 12, 33-41. 88) Cf. 2 Rg 15, 14. 89) Mt 24, 19.
90) Is 49, 15. Vulg.: *Nunquid oblivisci potest mulier*, etc. 91) Mt 24, 20.
92) Cf. Theophylactus *Expositio in Acta Apostolorum*, (P. G. 125, 519); Euthymius *Comment. in Matthaeum*, ibid. 129, 611; S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 1, (P. L. 26, 178); S. Augustinus *Quaestiones Evangelicae*, lib. 1, quaestio 37, ibid. 35, 1330; S. Beda *Expositio in Evang. Matthaei*, lib. 4, ibid. 92, 103.

lus ex Iudaeorum populo salvatus a morte fuisset, periissent omnes; *sed propter electos breviabuntur dies illi.* [93] Ex reprobis multi nascuntur electi, sicut ex impio Achaz piissimus Ezechias, [94] ex impio Amon sanctissimus Iosias, [95] ex Thare idololatra Abraham fidei pater, [96] ex Adam peccatore iustus Abel; [97] ita ex Iudaeis incredulis perfidisque multi nascituri sunt fideles in fine mundi, propter quos Deus semen Iudaeorum reliquit in terra, nec omnes omnino disperdidit sicut Sodomam et Gomorrham. [98] Sic quicquid boni Deus agit in mundo, propter electos utique agit, quos ab aeterno sibi in filios adoptavit. Sic cum vino severae iustitiae Deus semper miscet oleum misericordiae et clementiae [99] semperque punit citra condignum, minus quam mereantur peccata. Sic inquit breviatos dies tribulationis, breviatos autem non mensura sed numero, sicut dicitur: *Longitudine dierum replebo eum.* [100] Et forte etiam multi adhuc Iudaeorum tunc Ierosolymis excidii tempore erant, qui vel credebant, vel praeordinati a Deo fidem suscepturi erant. Quoniam vero animae pericula fugienda nobis summopere sunt ubi periclitatur fides et salus, ob id Christus tantopere tantaque cum exaggeratione fugam suasit.

Quicquid boni Deus in mundo agit, propter electos agit.

VII. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut* ecce *illic, nolite credere; surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa ... et prodigia,* etc.[101] Talis fuit Barcocbah pseudochristus cum suo pseudopropheta Rabbi Achiba, de quo E u s e b i u s libro 4 *Ecclesiasticae Historiae*, capite 6, [102] et capita trium factionum in civitate, Ioannes, Simon et Eleazarus; [103] singuli se Christum Messiam esse praedicabant suosque falsos prophetas habebant. Praeter hos fuerunt Simon Magus, primogenitus satanae, et eius primogenitus discipulus Menander, [104] absolutissimi magi, qui se Christos praedicabant magicisque prodigiis gentes dementabant. De his Christus ait: *Dabunt signa ... et prodigia, ita ut in errorem indu-*

Praedicit etiam multos falsos prophetas surrecturos.

93) Mt 24, 22. 94) Cf. 4 Rg 17, 1-2; 18, 1-3. 95) Cf. ibid. 21, 19-22; 22, 1-2. 96) Cf. Gn 11, 27; Ios 24, 2-5. 97) Cf. Gn 4, 2. 98) Cf. ibid. 19, 24-25. 99) Cf. S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 20, cp. 5, (P. L. 76, 143-144). 100) Ps 90, 16. 101) Mt 24, 23-24. 102) P. G. 20, 311. 103) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 4, cp. 9, pag. 341-349; lib. 7, cp. 8-9, pag. 515-528. 104) Cf. Eusebius *Hist. Eccles.*, lib. 2, cp. 13, (P. G. 20, 167); lib. 3, cp. 26, ibid. col. 271.

cantur, si fieri potest, etiam electi. [104a] *Si fieri*, inquit, *potest*, nam: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea.* [105]

ad seducendos fideles.

Facile autem potuissent tunc decipi et seduci fideles, quoniam existimabant Christum mox venturum ad restituendum regnum Israel. Sed Christus hic docet quod non occulte venturus est in secundo adventu, sicut in primo, sed manifeste: *Sicut*, inquit, *fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis,* [105a] idest manifestissimus omnibus summaque cum gloria et splendore.

Sub figura corporis Christum seipsum designat, sub aquilae autem electos suos.

Ubi etiam docet coeleste futurum esse regnum ipsius et non terrenum, universale et non particulare: *Omnia subiecisti sub pedibus eius,* [106] rursumque quod non ab hominibus vocandi sint ad regnum suum fideles, sed: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae,* [106a] idest sicut non opus habent aquilae aliquo indicante ut sciant ubi sit cadaver, sed suapte natura sagacissimo suo olfactu ubi sit percipiunt eoque deveniunt ut pascantur. Secundo, quod electi, qui aquilarum nomine in Divinis Scripturis designantur: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua;* [107] et Isaias: *Qui... sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient,* [108] venient ad Christum non ambulando, sed volando: *Rapiemur... in nubibus obviam Christo in aera.* [109] Tertio, quod volatu celerrimo summoque cum desiderio ibunt ad Christum sicut aquila esuriens ad cadaver; quarto, quod Christus electis obiectum est beatificum summeque delectabile ac panis vitae aeternae sicut cadaver cibus est aquilarum; quinto, aquilis Christus electos suos assimilat, quoniam aquila avium excellentissima est, regale animal, acutissimi visus atque olfactus, volatus celerrimi atque celsissimi super omnes aves, sic beatis in gloria summa excellentia erit; ac tandem sexto, seipsum Christus [110] mortuo corpori cadaverique assimilat, ut significaret quod per mortem ac post mortem suam intraturus erat in gloriam suam, ut electorum esset beatificum obiectum.

104a) Mt 24, 24. 105) Io 10, 28-29. Ordine inverso affert hos vrr. 105a) Mt 24, 27. 106) Ps 8, 8. 106a) Mt 24, 28; Lc 17, 37. 107) Ps 102, 5. 108) 40, 31. Vulg.: *Sicut aquilae.* 109) 1. Thess 4, 17. 110) Ms.: *Seipsum* iterum ponitur.

VIII. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo et virtutes coelorum*, etc.[111] Sicut in mundo hoc duo sunt magna ac manifestissima corpora: coelum et terra, in coelo duo magna luminaria: sol et luna, in homine duae substantiae: corpus et anima, ita in sacrosancto hodierno Evangelio divinae iustitiae cernimus duo iudicia: unum particulare, alterum generale; unum temporale, alterum aeternum; unum in vindictam unius tantum peccati, alterum in vindictam omnium peccatorum; unum totum fere humanum, alterum totum fere divinum; unum corporale tantum, alterum corporale et spirituale; unum est excidium Ierosolymorum, unius tantum illius gentis, in vindictam mortis Christi, alterum generale damnationis omnium reproborum in vindictam omnium peccatorum. Unde sicut coelum maius est terra, sol lucidior luna, anima nobilior corpore, sic multo maius terribiliusque est secundum istud iudicium primo.

Duo iudicia statuuntur: unum temporale, alterum aeternum.

Cum locutus fuisset Dominus discipulis suis de ruina civitatis Ierusalem et templi, petierunt illi dicentes: Domine, *quando haec erunt et quod signum adventus tui?*[112] Christus vero in sacrosancto hodierno Evangelio ad utrunque quaesitum respondet; hinc primo loquitur de excidio Ierosolymorum et secundo de adventu suo ad iudicium; quare totus est propheta Christus in hodierno Evangelio. Sic enim singularis propheta promissus in lege est, *Deuteronomio* 18: *Prophetam... suscitabit tibi... Deus*, etc;[113] ipse est mysticus Eliseus, quem Elias in prophetam unxit,[113a] cui et pallium suum duplicemque spiritum dedit;[114] ipse enim ait: *Spiritus Dominus super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;*[115] de quo Petrus ait: *Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute;*[116] et de eo dicitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus.*[117] Propheta Christus est et sol Prophetarum, vere *videns*,[118] qui omnia praeterita, praesentia, futura, creata et increata, visibilia et invisibilia clarissime videt: *Omnia... nuda et*

Totus propheta Christus est in hodierno Evangelio et duplex vaticinium profert:

111) Mt 24, 29. 112) Ibid. vr. 3. 113) Vr. 15. 113a) Cf. 3 Rg 19, 16 sqq.
114) Cf. 4 Rg 2, 13-14. 115) Is 61, 1; Lc 4, 18. 116) Act 10, 38. 117) Is 11, 2.
118) Sic appellantur in Scripturis Prophetae. Cf. 1 Rg 9, 9. 11. 18-19.

aperta sunt oculis eius, nec est aliqua creatura invisibilis in conspectu ipsius. [119]

primum de particulari Iudaeorum iudicio, quod exactissime adimpletum cernimus,

Hinc primam vaticinii eius partem de particulari Iudaeorum iudicio exactissime adimpletam videmus quoad omnia et singula quae illud et praecesserunt et concomitata sunt et subsecuta fuerunt; procul dubio et altera eius pars de universali omnium gentium iudicio suo adimplebitur tempore. Ob id simul ea Christus coniunxit, ut ex cognitione unius deveniamus ad cognitionem alterius, sic enim *invisibilia* Dei *per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur,* [120] et ut ex severitate divinae iustitiae in iudicio particulari deveniamus in considerationem et cognitionem severissimi illius iudicii universalis.

hoc proponens in exemplum futuri universalis iudicii,

Et quidem Christus particulare iudicium Iudaeorum quasi in exemplum proponit futuri universalis omnium gentium. Sic septem anni futurae famis ostensi fuerunt Pharaoni veluti in exemplo in septem spicis vacuis et septem vaccis macie confectis; [121] sic scissio pallii Samuelis signum fuit ipsi Sauli quod regno privandus erat; [122] sic Ahias propheta scidit pallium suum in duodecim partes, in signum duodecim tribuum Israel, deditque Ieroboam decem partes et duas tantum reliquit, in signum quod decem tribus Israel deficientes a domo David ob peccatum Salomonis, dandae erant ipsi Ieroboam in regnum; [123] sic iussit Dominus Isaiae ut iret per civitatem discalceatus et nudus, in signum et portentum quod Aegyptus expolianda omnibus bonis erat a rege Assyriorum; [124] sic iussit Dominus Ieremiae ut acciperet laguncularn et confringeret eam, in signum Iudaeis babylonicae captivitatis; [125] alibi iussit eidem ut faceret sibi vincula et catenas ad idem significandum; [126] sic Dominus Ezechieli iussit ut sumeret laterem et describeret in eo Ierusalem et obsidionem machinasque et arietes, in signum quod a Chaldaeis obsidenda civitas erat et capienda, [127] et iterum ut sumeret gladium acutum et raderet sibi barbam et caput pilosque omnes in tres partes dividens stateraque ponderans, unam partem igni com-

119) Hebr 4, 13. Vulg.: *Et non est ulla creatura... in conspectu eius.* Ordine inverso affert hunc vr. 120) Rom 1, 20. 121) Cf. Gn 41, 17-36. 122) Cf. 1 Rg 15, 27-28. 123) Cf. 3 Rg 11, 29-39. 124) Cf. Is 20, 2-4. 125) Cf. Ier 19, 1 sqq. 126) Cf. ibid. 27, 2 sqq. 127) Cf. Ez 4, 1 sqq.

bureret, alteram gladio concideret et tertiam ad ventum dispergeret, in signum quod una populi pars fame et peste peritura erat in obsidione, altera gladio perimenda ab inimicis et tertia ducenda in captivitatem, capta iam civitate a Chaldaeis.[128] Sic Christus proponit hodie destructionem Ierusalem et particulare iudicium in Iudaeos in signum et exemplum universalis iudicii.

Sicut Deus dedit Moysi exemplar tabernaculi construendi[129] et Davidi descriptionem templi aedificandi,[130] sic proponitur nobis hodie Ierosolymorum excidium in exemplum futuri iudicii, ut hinc intelligamus quanto odio Deus prosequatur peccatum. Siquidem populus Iudaeorum erat populus Dei electus, quos sibi Deus in filios adoptaverat, quos custodierat sicut pupillam oculi sui. Erant filii sanctorum Patriarcharum Abraham, Isaac et Iacob, qui Deo fuerant erantque gratissimi, viventes apud Deum in coelo, et una cum eis tot sanctissimi Prophetae, pontifices, sacerdotes, reges, iudices innumerabilisque turba sanctorum et electorum, qui tunc in coelo apud Deum erant et forte Deum pro salute illius populi, quem summopere diligebant cuiusque salutem maximopere desiderabant, ante thronum Dei prostrati deprecabantur, sicut de Ieremia legimus quod *multum orat pro populo et universa sancta civitate* Ierusalem,[131] imo quod Christus pro eis oravit in cruce: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.*[132] Nullo tamen horum flecti potuit divina iustitia quin severissimum iudicium in eos exerceret ob peccatum mortis Christi, ad ostendendam Christi innocentiam et fidei eius veritatem quodque super omnes sanctos et electos Christum diligebat, sicut pater filium naturalem super omnes adoptivos, et Abraham Isaac super omnes filios concubinarum.[133]

ut inde intelligamus quanto odio Deus prosequatur peccatum.

IX. Revelat hodie Christus utrunque iudicium, nam tunc utrunque futurum erat, quoniam non faciet Deus verbum nisi prius revelet secretum suum servis suis Prophetis.[133a] Sic Noe revelavit iudicium universalis diluvii centum annis ante,[134] sic Abrahamo incendium Pentapolis[135] et captivitatem Hebraeorum in Aegypto,[136]

Elucet etiam in hoc Evangelio tum Christi sapientia et pietas.

128) Cf. ibid. 5, 1-14. 129) Cf. Ex 25, 9 sqq. 130) Cf. 2 Par 28, 10-19.
131) 2 Mach 15, 14. 132) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis*, etc. 133) Cf. Gn 25, 5-6.
133a) Cf. Am 3, 7. 134) Cf. Gn 5, 31; 6, 3-13. 135) Cf. ibid. 18, 17 sqq.
136) Cf. ibid. 15, 13-16.

sic Iosepho famem septem annorum,[137] sic Isaiae,[138] Ieremiae,[139] Ezechieli[140] et aliis[141] babylonicam captivitatem, sic Danieli praesens Ierosolymorum excidium.[142] Id autem facit Deus pietate motus, quoniam « minus iacula feriunt quae praevidentur »[143] et quandoque etiam effugiuntur, sicut Ezechias mortem[144] et Ninivitae civitatis subversionem.[145] Sic enim per Ieremiam Dominus ait: *Repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut . . . disperdam et destruam*, etc.[146] Quare elucet in sacrosancto hodierno Evangelio Christi tum sapientia qua futura omnia novit, tum pietas qua ob salutis nostrae tum animae tum corporis desiderium haec praedixit, ut hac praedictione cautiores facti, ventura omnia mala incolumes effugiamus.

tum Dei iustitia, misericordia et caritas.

Elucet etiam primo quidem, Dei iustitia, nam utrunque iudicium opus est divinae iustitiae, et severae quidem, in impios obstinatosque peccatores. Secundo, divina misericordia qua minus condigno punit, ne omnes pereant, sed multi salventur: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.*[147] Quare sicut in particulari hoc iudicio non omnes perierunt, sed multi salvati sunt ab interitu, quamvis paucissimi censeantur iis qui interierunt collati, sic in universali iudicio non omnes damnabuntur, sed salvabuntur multi a dextris iudicis positi, quamvis pauci valde hi erunt illis comparati qui a sinistris positi damnabuntur. Tertio, elucet Dei caritas erga electos, nam inquit: *Sed propter electos breviabuntur dies illi.*[148] Sic enim vel propter decem iustos dicit Abrahae Deus se universae civitati Sodomorum parciturum;[149] per Ieremiam vero dicit: *Circuite vias Ierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem, et propitius ero ei.*[150] Sic mirum in modum Dominus diligit electos suos, adeo ut eorum contemplatione malis etiam benefaciat. Hinc Moyses petens a Domino remissionem peccati idololatriae, cum populus vitulum aureum adoravit, propter quod scelus voluit

137) Cf. Ibid. 41, 25-36. 138) Cf. Is 13, 1 sqq. 139) Cf. Ier 25, 1 sqq. 140) Cf. Ez 5, 1 sqq. 141) Cf. Mich 1, 1 sqq.; Hab 2, 1 sqq. 142) Cf. Dn 9, 23 sqq. 143) S. Gregorius M. *In Evangelia*, hom. 35, (P. L. 76, 1259). 144) Cf. 4 Rg 20, 16-20; 2 Par 32, 1 sqq. 145) Cf. Ion 3, 1 sqq. 146) 18, 7. Vulg.: *Destruam et disperdam.* 147) Mt 24, 22. 148) Ibid. 149) Cf. Gn 18, 32. 150) 5, 1.

eum Dominus igne furoris sui consumere:[151] *Memento*, ait, *Abraham, Isaac et Iacob servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum*, etc.,[152] et sic placatus est Dominus ab ira furoris sui.

Coniungit Dominus iudicium in Iudaeos cum iudicio universali, ut ostendat tribulationem Iudaeorum usque ad finem mundi perseveraturam esse.

X. Coniungit Dominus iudicium particulare cum universali dicens: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur*, etc.,[153] ut ostendat quod punitio Iudaeorum ad finem usque mundi perseveratura est, sicut luce clarius videmus in miseranda hac eorum captivitate. Hinc enim ubi Matthaeus ait: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit*, etc.,[154] Lucas habet: *Erit enim pressura magna ... et ira populo huic, et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum.*[155] Declarat Lucas Matthaeum: ille ait *abominationem*, Lucas declarat exercitum Romanorum; Matthaeus ait *tribulationem* in communi, Lucas declarat hanc Iudaeorum fore *pressura magna et ira populo huic;* Matthaeus dicit tribulationem hanc magnam fore, Lucas declarat magnam et intensive et extensive, quoad temporis diuturnitatem: *Donec impleantur tempora nationum*, usque ad finem mundi, qua finita, statim veniet Christus ad iudicandum mundum; hoc est quod Matthaeus ait: *Statim autem post tribulationem dierum illorum*, idest finita omni tribulatione Iudaeorum; sed haec ad finem usque mundi perseverabit.

iuxta prophetias Isaiae et Oseae.

Sic enim Isaias ait: *Excaeca cor populi huius ... ne forte ... convertatur et sanem eum. Et dixi: Usquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque homine et domus sine habitatore et terra relinquatur deserta.*[156] Sic etiam apud Oseam legimus: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe ... sine sacrificio et sine altari ... sine ephod et sine theraphim. Et post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum, et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius in novissimo dierum.*[157] Quod si miseranda haec Iudaeorum captivitas usque ad novissi-

151) Cf. Ex 32, 1-10. 152) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Recordare*, etc. 153) Mt 24, 29. 154) Ibid. vr. 21. 155) 21, 23-24. 156) 6, 10-11. Vulg.: *Civitates absque habitatore et domus sine homine*, etc. 157) 3, 4 sq.

mum dierum est perseveratura, recte ait: *Statim autem post tribulationem*, etc.

nam tempus nihil est aeternitati comparatum.

Quamvis autem inter excidium Ierosolymorum et diem iudicii multorum saeculorum tempus intercedat, Christus tamen simul ea coniungit, quoniam divinitatis suae oculo universa haec tempora percurrebat, apud Deum autem mille anni sunt sicut dies una, sic enim Regius Vates ait: *Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies externa quae praeteriit et custodia in nocte.* [158] Sic etiam Petrus obiectioni multorum respondens dicentium: *Ubi est promissio aut adventus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae,* [159] *unum,* inquit, *hoc non lateat vos, carissimi, quod unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus.* [160] Sicut enim terra, magna moles cum sit, universo coelo comparata vix puncti magnitudinem habet, ita universum tempus Dei aeternitati, quae infinita est aetas, comparatum vix unum est instans.

Multas tribulationes Hebraei passi sunt a gentibus, nulla tamen huic extremae comparanda venit.

XI. *Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta,* capite 9, ubi loquitur Divina Scriptura de destructione Ierusalem et de causa destructionis, quae fuit mors Christi, nam ait: *Occidetur Christus et non erit eius populus qui eum negaturus est;* [161] propterea inquit hodie Christus quod *erit tunc tribulatio magna et ira populo huic, qualis non fuit ab initio mundi .... neque fiet,* [162] quoniam Deus iustus est iudex, nunquam autem gravius peccatum commissum fuit in mundo. Fuit magna tribulatio populo huic in captivitate babylonica, quoniam magna etiam fuit illorum iniquitas ob impietatem idololatriae, occisionem Prophetarum et alia scelera et abominabilia peccata; sed peccatum istud tanto maius futurum erat quanto Deus maior est homine, hinc Isaias ait: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum;* [163] ideo sequitur: *Terra vestra deserta, civitates vestrae exustae igni, humum vestram coram vobis alieni*

158) Ps 89, 4. Vulg.: *Tanquam dies,* etc. 159) 2 Petr 3, 4. 160) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Quia unus dies.* 161) Vrr. 26-27. 162) Mt 24, 21. Ms.: *Neque fuit.* 163) 1, 4.

devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili; et derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario et sicut civitas quae vastatur; et *nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.* [164]

quae omnes praecedentes duratione et magnitudine superat.

At si non fuit tribulatio haec magna sicut illa Sodomorum, quomodo dicit Christus: *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi?* Profecto magna fuit illa poena, sed in momento consumpti fuerunt. Maior est autem poena comburere aliquem lento igne quam in ardentem fornacem immittere, quoniam sic tardius moritur et diuturnius cruciatur. Mors autem omnium crudelissima est fame perire; haec autem gravissima fuit poena Ierosolymorum; postea gladius, pestis et ignis; ideo Christus ad exprimendam magnitudinem huius tribulationis, cum verbis non posset, lacrimis fecit: *Videns* enim *civitatem flevit super eam dicens: Quia si cognovisses et tu ... quia ... circumdabunt te inimici tui vallo ... et coangustabunt te ... et ad terram prosternent te ... et non relinquent ... lapidem super lapidem.* [165] Similiter cum ad Calvariae locum duceretur et crucem ferret, videns flentes mulieres dixit, quasi oblitus propriae tribulationis, uti cum maior dolor vincit minorem: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros ... quia si in viridi ligno* sic *faciunt, in arido quid fiet?* [166] idest quomodo ardebit et comburet vos ignis divinae iustitiae!

Considerat Deus non solum peccata, sed etiam peccatorum circumstantias.

XII. *Cum videritis abominationem.* Sicut in Divinis Scripturis per peccatum intelligitur non solum culpa, sed etiam aliquando poena peccati, [167] sic per abominationem in Divinis Litteris aliquando intelligitur poena peccati, ut apud Danielem, [168] et aliquando culpa ipsa et peccatum, sicut apud Ezechielem legimus; tulit enim Angelus Domini ipsum Ezechielem in Spiritu et adduxit in templum Domini et dixit: *Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti hic faciunt.* [169] Tria ponderat: primo, peccata suapte natura

164) Ibid. vrr. 7-9. Vulg.: *Succensae igni regionem vestram coram vobis... ut umbraculum,* etc.
165) Lc 19, 41-44. Vulg.: *Flevit super illam,* etc. 166) Ibid. 23, 28-31.
167) Cf. Ex 20, 5; Lv 18, 25; Nm 14, 18; Ier 5, 7. 168) Cf. 11, 31; 12, 11.
169) 8, 9. Vulg.: *Faciunt hic.*

gravissima: *Abominationes pessimas;* secundo, personas: *Quas isti,* qui sunt populus Dei, filii Dei; tertio, locum: *Hic faciunt, hic,* in loco sacro, in templo, in domo Dei, in oculis Dei: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* [170] Tria sunt hic quae tribus illis respondent; considerat enim Deus non solum peccata, sed etiam circumstantias peccatorum. O utinam nos fideles haec animo revolveremus!

Abominabile peccatum fuit Christum mortalem occidere,

Poena peccati Iudaeorum dicitur *abominatio,* quia ipsorum peccatum fuit maxime abominabile, propterea *erit tribulatio magna qualis,* etc. Si conferatur haec cum tribulationibus omnibus, quas legimus in Divinis Scripturis, maxima semper reperietur: maior tribulatione diluvii, incendio Pentapolis, plagis Aegypti, etc.

sed magis abominabile est ipsum immortalem crucifigere.

At si abominabile peccatum fuit mortalem Christum occidere et crucifigere, an non magis abominabile erit ipsum immortalem crucifigere et gloriosum? *Rursus Filium Dei sibimetipsis crucifigentes et ostentui habentes.* [171] Cum autem homo peccat, quantum in se est Christum occidit, sicut Adam peccando causa fuit mortis Christi. Gravius etiam occidere filium regis postquam declaratus est filius regis et factus rex, sicut Salomon, quam ante coronationem; Christus autem cum fuit a Iudaeis occisus, non erat declaratus rex et Iudaei nunquam cognoverunt Christum esse Messiam, Filium Dei, verum Deum, [172] nos autem cognovimus; illi nunquam crediderunt in eum, nos autem credidimus; illi nunquam susceperunt Christum in suum regem et Dominum, nos autem suscepimus; illi nunquam acceperunt legem Christi evangelicamque doctrinam, at nos accepimus et credimus Evangelio et miraculis Christi divinaque habemus Sacramenta quae illi non habuerunt; et tamen iterum Christum crucifigimus! O peccatum maxime abominandum! o vere abominatio pessima!

Si ergo Iudaei, qui minus peccaverunt, talia passi sunt,

Quod si, o fratres, Iudaei, qui minus peccaverunt ex ignorantia, tale tantumque divinae iustitiae iudicium supra modum severissimum passi sunt et adhuc patiuntur, quid accidet nobis, si in peccatis nostris perseveraverimus? Paulus ait: *Voluntarie... peccan-*

170) Ier 11, 15. 171) Hebr 6, 6. Vulg.: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei,* etc. 172) Cf. 1 Cor 2, 8.

tibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccatis; terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio quae consumptura est adversarios, additque rationem a minori dicens: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?* [173] Ostendit Paulus multo graviora esse peccata christianorum quam Iudaeorum, nam et Dominus ipse ait quod *servus, qui cognovit voluntatem domini sui*, faciens digna plagis, *vapulabit multis, qui autem non cognovit... vapulabit paucis.* [174]

quid non accidet iis qui in peccatis perseverant?

Fratres mei, caveamus nobis a vitiis et peccatis, quia haec fuerunt in causa ut Iudaei Christum interimerent et sic tandem ipsi iusto Dei iudicio omnes perirent; ambitio et avaritia excaecati Christum crucifixerunt: *Si dimittimus eum sic... venient Romani et tollent locum nostrum et gentem.* [175] Sicut autem ignis ubicunque sit aptus est comburere quodvis appositum combustibile sit, vitium quodcunque suapte natura, data occasione, aptum est facere omne malum. An putatis quod multi sub christiano nomine male viventes et vitiis dediti, mundo et hominibus non Deo placere cupientes, si fuissent tempore Christi in populo Iudaeorum, non coniurassent in mortem Christi? non assensissent clamando: *Tolle, tolle, crucifige eum?* [176] Vitium est sicut ignis: tunc non comburit cum non habet quid comburat; idem vitium, eadem ambitio, eadem avaritia quod potuit in malis Iudaeis, potuisset et in malis christianis, si tunc temporis in illo populo fuissent. Si enim tam potens est vitium ut illius causa homo spernat legem Christi, quamvis credat in Christum, quid tunc sine fide effecisset?

Caveamus ergo a peccato, quod natura sua aptum est facere omne malum,

Ah, fratres, si Christus iterum in forma servi, sicut prius, veniret in mundum et simili libertate argueret vitia praelatorum, principum, Religiosorum et saecularium, putatis quod non instar scribarum, Pharisaeorum et principum Iudaeorum multi in eum insurgerent? Ignis semper et ubique, omni loco et tempore idem opera-

nam semper et ubique, data occasione, idem operatur.

173) Hebr 10, 26-29. Vulg.: *Pro peccatis hostia... duobus vel tribus*, etc. 174) Lc 12, 47-48.
175) Io 11, 48. Vulg.: *Nostrum locum*, etc. 176) Mc 15, 13-14; Lc 23, 21; Io 19, 6. 15.

tur, quamdiu ardet, quousque extinguatur. Causa propter quam Iudaei voluerunt Christum perdere fuit ut suam servarent rempublicam; et quid est quod in infelicissima hac nostra tempestate tam frequenter auditur: R a t i o s t a t u s ?[177] quod ob rationem status multa licet facere? quod regnandi causa frangendum iusiurandum est? Ratio status causa fuit ruinae status et eversionis reipublicae Iudaeorum: haec fuit causa mortis Christi, haec causa perditionis multorum principum et multorum regnorum.

II. ALIA HOMILIA

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, etc. [1]

Duplex iudicium Christus hodie praedicit, utrunque magnum.

I. Duas moestissimas ac funestissimas tragoedias proponit atque praedicit nobis Salvator in hodierno Evangelio, in quo totus est propheta futura vaticinans et praesago spiritu certissime prognosticans duplex iudicium Dei: alterum quidem quod paulo post futurum erat contra synagogam totamque rempublicam Iudaeorum, quam praedicit funditus radicitusque evertendam; alterum vero in fine saeculorum, in novissimo die, contra universalem rempublicam totius humani generis. Utrunque iudicium magnum fore praedicit, sed posterius tanto maius erit priore quanto immensum mare maius est parvo lacu et modico stagno aut palude, quanto totus mundus maior est uno Iudaeorum populo, quanto aeternitas maior est tempore.

Magnum proponitur iudicium contra Iudaeos, quo vix maius excogitari potest.

Iudicium tamen contra Iudaeos, quod proponitur tanquam typus et figura universalis iudicii, sicut et diluvium[2] et combustio Pentapolis,[3] magnum adeo a Domino proponitur, ut vix maius excogitari possit: *Erit enim tunc*, inquit, *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi... neque fiet;*[4] et alibi de hoc eodem iudicio verba faciens dixit: *Malos male perdet;*[5] et iterum: *Missis*

177) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 296, not. 30.

1) Mt 24, 15. 2) Cf. Gn 7, 1 sqq. 3) Cf. Ibid. 19, 24-28. 4) Mt 24, 21. 5) Ibid. 21, 41.

exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem eorum succendit;[6] alibi cogitatione revolvens hoc iudicium, Christus *videns civitatem flevit super eam... quia... circumdabunt te inimici tui vallo et circumdabunt te et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te et filios tuos qui sunt in te, et non relinquent in te lapidem super lapidem.*[7]

Magnitudinem huius iudicii multis ostendit hodiernum Evangelium

Magnitudinem autem iudicii huius multis Divus Lucas expressit, qui in mysteriis hodierni Evangelii fuit veluti paraphrastes Matthaei, nam ubi Matthaeus obscure dicit: *Cum videritis abominationem desolationis,* Lucas habet: *Cum... videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius.*[8] Iudicium autem hoc severissimae iustitiae Dei contra Iudaeos in tres partes distinguit Lucas; disserit enim de iis quae praecesserunt iudicium illud excidiumque dicens: *Cum audieritis proelia et seditiones, nolite terreri, oportet* enim *primum haec fieri, sed nondum statim finis;* et dixit: *Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum et terraemotus magni erunt per loca et pestilentiae et fames terroresque de coelo et signa magna erunt;*[9] et: *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius.* Narrat quae ventura erant in ipso excidio: *Erit enim pressura magna et ira populo huic, et cadent in ore gladii;* et quid futurum erat post excidium: *Captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.*[10] Ex his elucet quod Matthaeus ait: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi... neque fiet,* sed *populo huic,* addit Lucas; quibus verbis ostendit Dominus quod multo maior futura erat haec tribulatio quam passuri erant a Romanis, quam illa quam passi fuerunt in captivitate babylonica vel aegyptiaca aut palaestina a Chananaeis et aliis gentibus, ob idololatriae impietatem et alia scelera. Hanc tribulationem septem integris libris *De Bello Iudaico* descripsit Iosephus Hebraeus, gravissimus historicus, qui bello adfuit et ipse pars magna fuit; tota illa historia hodierni Evangelii poterit commentarium facere.

et septem integris libris describit Iosephus Hebraeus.

6) Ibid. 22, 7. Vulg.: *Illorum succendit.* 7) Lc 19, 41-44. Vulg.: *Super illam... qui in te sunt,* etc. 8) 21, 20. 9) Ibid. vrr. 9-10. 10) Ibid. vrr. 23-24.

II. Nos autem ad declarandam magnitudinem calamitatis huius, aliqua in medium afferemus. *Erit... tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi*, nimirum quia Deus iudex iustissimus est et iuxta mensuram delicti statuit plagarum modum,[11] nullum autem vel excogitari potest piaculum Iudaeorum impietate gravius, qua unigenitum Filium Dei, Christum Dominum nostrum, verum Messiam et Salvatorem mundi occiderunt. Quoniam vero in poenam illius peccati decrevit Deus universam Iudaeorum rempublicam a fundamentis evertere, patratum autem fuit horrendum illud infinitae impietatis facinus in paschali solemnitate, eo ipso tempore coepit miseranda calamitas, primo quidem sub praeside Venditio Cumano, imperante Claudio. Impudentissimo actu romani cuiusdam militis commoti in seditionem Iudaei, in ipsa paschali solemnitate magno exorto tumultu, caedes magna admissa est ut, referente Iosepho libro *Antiquitatum* 20, capite 4, supra decem millia hominum perierint;[12] imo refert idem libro 2 *Belli Iudaici*, capite 11, viginti millia caesorum numerata fuere.[13] Hunc autem magnus alius tumultus secutus est inter Iudaeos et Samaritanos multa cum occisione,[14] et hunc alius inter Iudaeos et Syros, maxime Caesarienses, pro civitatis praerogativa, unde tota Palaestinae provincia latronibus et sicariis repleta est multa cum caede hominum et locorum depopulatione, nec unquam sedari potuit subortus inter Syros et Iudaeos tumultus. Sed cum magis magisque in dies incalesceret, tandem ad arma deventum est et una die a Caesariensibus viginti millia Iudaeorum trucidata fuerunt; cumque per totam Palaestinam Iudaei et Syri in se invicem digladiarentur, ita ut omnis civitas in duos divideretur exercitus, multae civitates exemplum secutae sunt Caesariensium. Scythopolitae enim tredecim millia Iudaeorum occiderunt, Ascalonitae duo millia quingentos, Ptolemitae duo millia, Alexandrini quinquaginta millia, Damasceni decem millia.[15]

Poena respondet culpae, ideo maxima fuit haec tribulatio quia maximum fuit Iudaeorum scelus.

Coepit in solemnitate paschali, quia in eadem patratum fuit scelus.

Sic ubique carnificina crudelis fiebat infelicium Iudaeorum,

11) Cf. Dt 25, 2. 12) Iuxta nostram editionem cp. 5, pag. 509-510. 13) Iuxta nostram editionem lib. 2, cp. 12, pag. 169. Supra decem millia; quod autem perierint viginti millia, refert in *Delle Antichità Giudaiche*, loco citato in nota praec. 14) Cf. *Della Guerra Giudaica*, lib. 2, cp. 12, pag. 170. 15) Cf. ibid. cp. 18, pag. 202-209; cp. 20, pag. 215.

maxime postquam a Romanis defecerunt propter crudelissimam tyrannidem Albini et Gessii Flori, maxime autem Flori. Huius enim crudelissima tyrannide Iudaei ad defectionem supra modum sunt incitati et provocati, divina iustitia sic disponente in vindictas eorum impietatis contra Christum, qui Nazarenus dicebatur, idest floridus, sicut Isaias ait: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet.*[16] Quoniam autem floridum hunc principem suscipere noluerunt a Deo missum salvatorem, susceperunt Florum missum a Romano imperatore destructorem. Hic enim veluti publicus latro extitit et socius furum, qui publice iustitiam auro venditabat, unde immensum malorum mare in populo inundavit, nam eo devenit ut vellet sacrum templi thesaurum diripere, et cum a Caesarea Ierosolymam cum exercitu venisset, dedit militibus licentiam ut forum venalium rerum diriperent nec caedi parcerent. Alias vero civitatem tanquam publicus hostis cum exercitu ingressus, magnam fecit populi stragem sicque civitatem ad rebellionem compulit.[17]

Noluerunt Iudaei suscipere Christum Salvatorem et coacti sunt suscipere tyrannum destructorem;

Ubi hic quoque divinae iustitiae mirabile iudicium advertendum est. Nam, ut Iosephus ait, populus suasu sacerdotum abiit obviam Floro venienti ad eum iratum placandum,[18] ita ut qui aegerrime tulerant quod in die palmarum populus obviam ierit Salvatori,[19] nunc obnixe rogarent ut obviam irent ad suscipiendum destructorem. Sic ad amussim poena respondet culpae, nam Christum occiderunt ne venirent Romani et tollerent locum et gentem,[20] sed ad hoc utique Romani venerunt; in die paschae Christum in crucem egerunt,[21] in die paschae ab exercitu romano obsessi fuerunt et veluti in carcerem inclusi, infinita hominum multitudo, fere tricesies centena hominum millia; tota enim gens Iudaeorum ad paschalem solemnitatem ex legis praescripto[22] Ierosolymam advenerat. Iosephus enim ex numero paschalium hostiarum colligit vicies centena et septingenta hominum millia, praeter impuros et immundos qui non poterant secundum legem celebrare

Christum occiderunt ne venirent Romani, Romani autem venerunt quia ipsi Christum occiderunt;

16) 11, 1. 17) Cf. Giuseppe Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 2, cp. 14-15, pag. 176-184.
18) Cf. ibid. cp. 16, pag. 185-194. 19) Cf. Lc 19, 39. 20) Cf. Io 11, 48.
21) Cf. Mc 15, 6; Io 19, 31. 22) Cf. Dt 16, 5-7; 2 Par 30, 1 sqq.; Io 11, 55; 12, 20.

In paschate Christum in crucem adegerunt, eadem vero solemnitate ab exercitu obsessi fuerunt,

pascha.[23] Sicut igitur totus populus in paschali solemnitate in Christi mortem consensit, non solum civitatis, sed etiam totius provinciae, ita totus populus a Romanis eo tempore veluti in carcerem inclusus fuit et postmodum vallo circumdatus; nam refert I o s e p h u s quod a Romanis muro quodam circumdata civitas tota fuit, ut nullus pateret aditus ad subveniendam civitatem, sed, urgente fame, vel perirent omnes, vel Romanis se dederent.[24] Quo magis autem divinum admiremur iudicium, refert I o s e p h u s quod ab orientali plaga, in ipso monte Olivarum, coeperunt Romani castra ponere et civitatem obsidere, ab ea utique parte qua Dominus in die palmarum, spectata civitate, flevit super eam recogitans ipsius ruinam extremumque excidium.

et quoniam Christum tanquam seductorem occiderunt, multos passi sunt seductores.

Quoniam vero iniuste Christum in crucem adegerunt, praeterquam quod Florus multos Iudaeorum nobilissimos turpissimo mortis genere crucifigens interemit, postea, obsessa civitate, iussum fuit a Tito ut omnes Iudaei capti ad terrendam civitatem pro muro crucifigerentur; quare singulis diebus ad minus quingenti crucifigebantur Iudaei, ita ut, ait I o s e p h u s, iam crucibus deesset locus et corporibus cruces.[25] Et quoniam Christum tanquam seductorem occiderunt, post Christum multos passi sunt seductores, qui se Christum esse dicebant; et qui seditiosum homicidam et latronem Barabbam Christo praetulerunt, gravissimas passi sunt intra civitatem seditiones, divisa civitate in tres factiones, cum magna strage populi et depopulatione domorum. Haec igitur omnia passa est civitas ante excidium: *Surget... gens contra gentem*, Iudaei contra Syros et Samaritae contra Iudaeos, et regnum Romanorum adversus regnum Iudaeorum, adveniente primum Cestio Gallo contra civitatem, et postea Vespasiano ac Tito.

His malis accesserunt pestis et fames,

Et terraemotus magni erunt per loca. Magni rumores bellorum et pestilentiae ex aeris corruptione et infectione, vel saltem ex fetore mortuorum; nam durante obsidione undecies centena millia hominum in civitate mortua sunt, proiecta autem corpora extra muros, saniei veluti flumen effecerant; fames autem adeo magna urgebat, ut matres, horrendum dictu! filios manducarint.[26]

23) Cf. *Della Guerra Giudaica*, lib. 6, cp. 9, pag. 481-482. 24) Cf. ibid. lib. 5, cp. 12, pag. 419-422. 25) Cf. ibid. cp. 11, pag. 414-415. 26) Cf. ibid. lib. 6, cp. 3, pag. 456-457.

Terroresque de coelo et signa magna erunt. Nam per annum ante obsidionem sidus supra urbem visum est simile gladio, in aere visi commissi exercitus, aciesque armatas et ferreos currus per aera discurrere supra civitatem in paschali solemnitate; hora noctis nona circa templum magnus splendor apparuit diem superans per horae dimidium; bos immolandus agnum peperit, portae templi ultro apertae sunt, facto terraemotu, vocesque auditae sunt: Migremus hinc! Sic magna divinae irae signa et portenta horrifica cladem hanc praecessere.

terribilia quoque signa irae divinae.

Tandem post longam obsidionem[27] capta civitate, omnes fere trucidati sunt qui reliqui erant in civitate, ipsa autem civitas una cum templo igne conflagrata, tandem a fundamentis diruta et ad terram prostrata est; Iudaei autem, qui famem et gladium effugerunt, captivi ducti sunt; ait enim: *Captivi ducentur in omnes gentes, donec impleantur tempora nationum.* Sic ad hunc usque diem prorogata est mirabilis captivitas, usque ad novissima tempora non habitura finem. *Horrendum est incidere in manus Dei!*[28] Sustinet adhuc infelix synagoga iram Dei durissimumque iudicium patitur, perfidiae dignas poenas luens.

Tandem capta et eversa civitate, successit superstitum captivitas hactenus perdurans.

III. ALIA HOMILIA

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem, etc. [1]

I. Habemus in hodierno Evangelio duo et severissima quidem iudicia divinae iustitiae: unum contra rempublicam, alterum vero contra universum genus humanum; unum temporale quod iam factum est, alterum aeternum quod futurum est in novissimo die; et in his quidem proponuntur nobis poenae condignae quae a divina iustitia in peccatorum punitionem paratae et ordinatae sunt. Duplex, inquam, genus poenarum proponitur in hodierno Evangelio contra peccatum: poena temporalis in iudicio Iudaeorum et poena

Duplex iudicium proponitur et duplex poenarum genus.

27) Ms.: *Cum* adiicitur. 28) Hebr 10, 31.

1) Mt 24, 15.

aeterna in universali iudicio; poena temporalis in hac vita et aeterna in futura vita, in alio saeculo.

de quo loquuntur Ieremias et Isaias.

Hoc forte est quod Ieremiae Dominus ostendit in virga vigilante et in olla fervente; ait enim: *Quid tu vides, Ieremia?* Ait: *Virgam vigilantem*, sive amygdalinam, *ego video. Et dixit Dominus . . . Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.* Et iterum: *Quid tu vides*, Ieremia? *Ollam succensam ego video et faciem eius a facie aquilonis.* Et ait: *Ab aquilone pandetur* omne *malum.*[2] Sic enim et apud Isaiam legimus de duplici hoc poenarum genere: *A voce... Domini pavebit Assur virga percussus, et erit transitus virgae fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum... Praeparata est enim ab heri Topheth, a rege praeparata, profunda et dilatata; nutrimenta eius ignis et ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam.*[3] Ubi Dominus virgam appellat temporalem adversitatem, vallem autem igne succensam infernalem gehennam.

Quattuor praecipue mala Deus immittit in poenam peccati.

II. Temporales tribulationes immissae a Deo ad punitionem peccati multae sunt, praecipue tamen tres sunt, quas Dominus per Prophetam proposuit Davidi, dans optionem ut vel bellum vel famem vel pestem eligeret.[4] Ab Ezechiele autem etiam quartum malum adiicitur, ait enim: *Si quattuor iudicia mea pessima, gladium... famem... bestias malas et pestilentiam immisero in Ierusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus.*[5] Similiter apud Ieremiam legimus: *Qui ad mortem, ad mortem, et qui ad gladium, ad gladium, et qui ad famem, ad famem, et qui ad captivitatem, ad captivitatem; et visitabo super eos quattuor species, dicit Dominus.*[6] Ubi pestilentiam mortem dicit, nam pestilentia est veluti subitanea mors.

Haec mala habemus etiam in hodierno Evangelio.

Haec etiam mala habemus apud Divum Lucam agentem de iudicio contra Iudaeos: *Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum et terraemotus magni erunt per loca et pestilentiae et fames terroresque de coelo et signa magna erunt.*[7] Sic passi sunt

2) Ier 1, 11-14. 3) 30, 31 sqq. Vulg.: *Succendens eam.* 4) Cf. 2 Rg 24, 13.
5) 14, 21. 6) 15, 2-3. 7) 21, 10-11.

Iudaei bella a Samaritanis, a Syris, a Romanis, incursiones a latronibus et sicariis, qui in universa provincia funestissimas excitavere tragoedias, multo crudeliores ac truculentiores quibusvis efferatissimis et truculentissimis feris et bestiis, seditiones a suis zelotis, famem intollerabilem pestilentemque putorem ex corruptione innumerorum cadaverum aestivo tempore; nam duravit obsidio a mense Aprili usque ad Augustum, mense autem Septembri tota civitas a fundamentis diruta fuit in terramque prostrata. [8]

Tanto odio Deus prosequitur peccatum quanto amore virtutem;

Hisce malis Deus punire consuevit peccata: peste, fame et bello malisque bestiis multisque aliis, ut patet in diluvio, [9] in incendio Pentapolis, [10] in plagis Aegypti, [11] in punitionibus Hebraeorum in deserto per serpentes ignitos [12] et per irruptionem terrae, quae aperiens os suum vivos devoravit Dathan et Abiron cum familiis suis. [13] Sic elucet ex punitionibus hisce et tot poenarum generibus quanto odio Deus prosequatur peccatum et simul quanto amore virtutem. Divina enim bonitas iustissima bilance mensurat hinc virtutis amorem, hinc autem odium vitii. Sicut et in nobis ipsis posuit hanc bilancem, cuius duae lances sunt concupiscibilis, unde amor et boni desiderium, et irascibilis, unde odium et mali abominatio: quantus autem est amor boni, tantum et odium mali; quantum diligimus vitam, tanto odio habemus mortem; sic, inquam, Deus virtutem infinito amore prosequitur, vitium autem infinito odio.

sic ex amore virtutis elegerat populum hebraeum, ex odio peccati eum abiecit.

Ex amore et desiderio virtutis Deus elegit populum hebraeum ut sanctus esset, sicut I s a i a s ait capite 5, in parabola vineae; in odium autem et abominationem vitii eum abiecit, sicut ibidem dicitur. [14] Sic etiam per I e r e m i a m Dominus ait, dum iubet ut emptum lumbare lineum ponat super lumbos suos et deinde vadat et sepeliat illud ad Euphratem. Cumque post multos dies iussus ut abiret ad videndum lumbare illud, reperisset putrefactum, dixit ei Dominus: *Sic putrescere faciam superbiam Iuda et superbiam Ierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea et ambulant in pravitate cordis sui abieruntque post*

8) Cf. hom. 1, huius diei, pag. 374-377; hom. 2, pag. 394-396. 9) Cf. Gn 7, 11. 10) Cf. ibid. 19, 24-25. 11) Cf. Ps 104, 28-36. 12) Cf. Nm 21, 6. 13) Cf. ibid. 16, 31-33. 14) Cf. vrr. 1-7.

deos alienos ut servirent eis et adorarent eos; et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. Sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel et omnem domum Iuda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum et in nomen et in laudem et gloriam, et non audierunt. [15]

Ita etiam Christus egit hodie.

Sic Dominus in hodierno Evangelio praedicit extremam cladem Iudaeorum in punitionem peccati odiumque iniquitatis; sed ex amore virtutis praedicit haec pro salute electorum, nam *propter electos*, inquit, *breviabuntur dies illi;* [16] *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* [17]

Dat autem Christus electis multa monita ut divinam effugiant iram.

III. Dat autem Christus hodie electis suis multa salutis monita: *Qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua... qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.... Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus* aut ecce *illic, nolite credere.... ecce in deserto est, nolite exire.* [18] *Orate... ut non fiat fuga vestra.... hieme vel sabbato.* [19] *Ab arbore.... fici discite parabolam... Scitote quia prope est in ianuis,* [20] *quia prope est regnum Dei.* [21] Sicut Deus cupiens salvare iustum Noe ab aquis diluvii, iussit ei ut arcam sibi faceret, [22] et volens liberare sanctum Loth ab incendio Pentapolis, per Angelos mandavit ut civitatem relinquens salvaretur in monte, nec aspiceret retro, unde ipsius uxor quia retro aspexit conversa fuit in statuam salis; [23] sic electis suis dat monita salutis in hodierno Evangelio, ut divinam iram effugiant.

negativa et affirmativa.

Monita autem haec partim negativa sunt: *Nolite credere; nolite exire; non descendat tollere aliquid; non revertatur tollere tunicam;* partim affirmativa: *Fugite ad montes; orate... ut non fiat fuga vestra.... hieme; discite parabolam; scitote quia prope est in ianuis.* Haec omnia ad salutem necessaria sunt.

Fides nunquam relinquenda est.

Nolite credere pseudochristis et pseudoprophetis, idest haereticis; *nolite exire* a domo et civitate Sanctae Ecclesiae in desertum vel penetralia haeresum et falsorum dogmatum. Semel suscepta

15) 13, 9. 16) Mt 24, 22. 17) Ps 59, 6. 18) Mt 24, 16-26.
19) Ibid. vr. 20. 20) Ibid. vrr. 32-33. 21) Lc 21, 31. Vulg.: *Quoniam prope*, etc.
22) Cf. Gn 6, 13 sqq. 23) Cf. ibid. 19, 12-26.

fides et religio, nunquam relinquenda est; etiamsi Angelus de coelo, inquit Paulus, aliud evangelium aliamque fidem praedicaret, minime credendum illi est,[24] quia *satanas transfigurat se in Angelum lucis.*[25]

At non sufficit ad salutem nuda fides sine caritate, sine bonis moribus et sanctis operibus. *Non descendat tollere aliquid... non revertatur tollere tunicam.* Ostendit his verbis Dominus quod pluris facienda est vita et libertas quam facultas et divitiae. Sic enim, natura instigante, faciunt nautae in periculo tempestatis, sicut in vaticinio Ionae legimus,[26] sic faciunt dum a piratis insequuntur: si possunt, liberi effugiunt, relictis omnibus. At si vita haec et libertas pluris facienda est quam omnia bona mundi, quanto magis animarum vita aeterna? *Non descendat* per inordinatam affectionem, *non revertatur,* quia: *Nemo mittens manum... ad aratrum... aspicens retro aptus est regno Dei.*[27] Relinquendi sunt igitur errores et vitandae affectiones inordinatae. maximi facienda est vita aeterna,

Deinde vero: *Fugite ad montes,* relinquite valles et planitiem mundi huius, qui *totus in maligno positus est,*[28] in quo nihil est nisi *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae;*[29] *Fugite ad montes,* de quibus ait: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.*[30] mundus malignus fugiendus,

Et quid ultra agendum? *Orate ut non fiat fuga vestra... hieme vel sabbato; Orate ne intretis in tentationem,*[31] ut Christus dixit Apostolis. Nam: *Vae... praegnantibus et nutrientibus,*[32] hoc est iis qui pleni sunt carnalibus affectionibus et *desideriis quae militant adversus animam!*[33] orationi instandum,

Adhuc autem: *Discite,* inquit, *parabolam ab arbore fici,* idest a iudicio temporali contra Iudaeos, discite iudicium aeternum contra omnes reprobos et peccatores, quoniam sicut necessario aestas sequitur ver, ita aeternum iudicium sequitur temporale; iudicium, inquam, aeternum sequitur necessario reprobos, electos autem iudicium divinum timendum,

24) Cf. Gal 1, 8. 25) 2 Cor 11, 14. 26) Cf. 1, 4-5. 27) Lc 9, 62. Vulg.: *Respiciens retro,* etc. 28) 1 Io 5, 19. 29) Ibid. 2, 16. 30) Ps 120, 1-2. Vulg.: *Levavi oculos meos in montes.* 31) Lc 22, 46. 32) Mt 24, 19; Mc 13, 17; Lc 21, 23. 33) 1 Petr 2, 11.

salus et felicitas sempiterna; nam ait Lucas: *Respicite et levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra,*[34] ita ut tunc electi dicere vere possint: *Iam... hiems transiit, imber abiit et recessit; flores apparuerunt in terra nostra... vineae florentes dederunt odorem suum, ficus protulit grossos suos.*[35]

nos cito morituros cogitandum.

Tandem inquit: *Scitote quia prope est in ianuis... prope est regnum Dei.* Cogitemus, si bene vivere volumus, nos cito morituros et coram tribunali divinae iustitiae de vita nostra rationem reddituros. Habeamus semper mortem prae oculis, simus sicut filii Israel, qui exeuntes de Aegypto extulerunt secum corpus Ioseph et aliorum etiam Patriarcharum, qui in Aegypto extremum diem obierant.[36] Homines mortales certissime morituri sumus, sed diem et horam ignoramus; semper autem multo vicinior nobis mors est quam existimamus: *Prope est in ianuis.* Haec nobis agenda sunt si salvari volumus, alioquin nobis ipsis perditio nostra imputabitur: *Perditio tua, Israel; tantum in me auxilium tuum.*[37]

Sperare non possumus aeterna bona si nunc seminamus mala.

IV. Fratres mei, haberetur insanus, et merito, si quis hordeum seminans existimaret se messurum frumentum, idest triticum: *Qui seminat in carne... de carne... metet corruptionem; et qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam; quae enim seminaverit homo, haec et metet;*[38] *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*[39] Hinc, fratres, magna me, ut verum ingenue fatear, admiratio tenet cogitantem, quomodo nos, cum seminemus mala, speramus aeterna bona. *Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?*[40] Bona Deus, vel temporalia vel aeterna, non praeparavit, nisi in praemium et mercedem virtutis bonorumque operum, sicut mala, et aeterna et temporalia, in punitionem vitiorum et scelerum. Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala egerunt, in aeternum supplicium:[41] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;*[42] *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*

34) Lc 21, 28. Vulg.: *Quoniam appropinquat*, etc. 35) Ct 2, 11-13. Vulg.: *Ficus protulit... vineae florentes*, etc. 36) Cf. Ex 13, 19. 37) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me*, etc. 38) Gal 6, 8. Vulg.: *Qui seminaverit in carne... qui autem*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 39) 2 Cor 9, 6. 40) Mt 7, 16. 41) Cf. Io 5, 29. 42) Mt 7, 19.

... et in ignem mittet et ardet.[43] *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*[44]

Bona Deus praeparavit in praemium virtutis, mala autem in poenam vitiorum.

Non introduxit Deus in terram promissionis, nec cibavit manna in deserto, nisi Hebraeos, qui egressi de Aegypto excusserunt iugum Pharaonis de cervicibus suis.[45] Bona temporalia et aeterna a Deo praeparata ob virtutem praefigurata sunt in bonis quae Deus electis suis contulit, prius quidem in deserto et postea in terra promissionis lacte et melle manante,[46] bonorum omnium affluentissima opulentia abundante. Si haec volumus, excutiamus iugum pharaonicae servitutis, egrediamur ex Aegypto, ingrediamur terram, desertum sanctae poenitentiae vitaeque verae christianae, alioquin animadvertite, fratres, actum erit de nobis: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.*[47]

Multa mala experimur in punitionem peccatorum;

Vos quidem scitis, omnes multa experti sumus in punitionem peccatorum nostrorum mala, nam non est malum in civitate quod non faciat Dominus.[48] Mala publica non immittit Dominus nisi in punitionem peccatorum et ad correctionem vitae per poenitentiam, licet aliquando electis suis immittat adversa ad probationem exercitiumque virtutis, nam *virtus in infirmitate perficitur.*[49] Experti sumus bella, experti pestem, experti famem, et adhuc experimur annonae penuriam.

nisi poenitentiam egerimus, sequentur aeterna,

Nisi poenitentiam egerimus, post temporalia haec mala sequentur aeterna. Si Iudaei poenitentiam egissent de peccato suo, mansissent utique usque in hunc diem, placato Deo, nec subversa funditus eorum respublica, civitas et templum fuisset, sed accidisset eis sicut Ninivitis;[50] nam ad hoc Dominus ventura haec mala quadraginta annis ante praedixit dans eis spatium poenitentiae. Sicut in diebus Noe dedit mundo centum annos ad agendam poenitentiam,[51] sic et Iudaeis dedit quadraginta annos, quemadmodum Ninivitis dedit quadraginta dies. Profuerunt autem Ninivitis quadraginta dies, Iudaeis autem minime quadraginta anni, sicut nec mundo centum in diebus Noe ad placandam iram divinae iustitiae.

43) Io 15, 2-6. Vulg.: *In ignem mittent*, etc. 44) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Fratres... satagite*, etc. 45) Cf. Ex 16, 35 sqq. 46) Cf. ibid. 3, 8; 13, 5; 33, 3; Lv 20, 24; Ios 5, 6; Ier 11, 5; 32, 22. 47) Lc 13, 3. Vulg.: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* 48) Cf. Am 3, 6. 49) 2 Cor 12, 9. 50) Cf. Ion 3, 1 sqq. 51) Cf. Gn 6, 3.

et sic temporalia mala initia erunt aeternorum:

Fratres mei, attendite quod temporalia mala sunt aeternorum initia, sic enim ait: *Haec autem... initia sunt dolorum,* [52] sicut iudicium contra Iudaeos ponitur in hodierno Evangelio a Christo tanquam praesagium futuri iudicii contra omnes reprobos, sicut in somnio Pharaonis septem vaccae macie confectae et septem spicae vento urente consumptae praesagium fuerunt septem annorum magnae famis, [53] sicut scissio pallii Saul praesagium amissionis regni, [54] sicut divisio pallii Ahiae salonitis in duodecim partes, datis decem partibus Ieroboam, signum fuit quod dividendum erat regnum Israel, [55] sicut confractio laguncalae et putrefactio lumbaris Ieremiae signum babylonicae captivitatis. [56]

ideo Dominus hodie cautos nos facit.

Caveamus ergo nobis ab aeternis malis, Dominus enim salutis nostrae cupidus haec praedixit. Non enim est sicut venator vel piscator aut auceps cupidus perditionis nostrae, sed sicut hortulanus ponit terriculamenta super arbores ad exterrendas aves ipseque saepe clamat ne fructus comedant et cogatur postea retia tendere ad eas capiendas, sic Dominus facit, quia cupidus est salutis nostrae: *Vult omnes homines salvos fieri,* [57] neminem vult perire. [58]

Ad salutem necessariae sunt virtutes, opera bona

V. Sed quidnam est quod hic ait Dominus: *Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus?* et: *Orate ut non fiat fuga vestra in hieme vel in sabbato?* In Scripturis maledictae sunt steriles et infecundae, [59] idest animae quae sanctis virtutibus et caritate carent voluntatem nostram fecundante; praegnantes autem et nutrientes sive lactantes sunt animae imperfecta admodum caritate praeditae, quae virtutem nondum pepererunt, vel si pepererunt, imperfectus est adhuc partus; nam ad resistendum diabolo vincendasque graves tentationes magna requiritur virtus; hiems autem frigidum defectum significat caritatis: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas;* [60] sabbatum vero otium bonorum operum. Vae frigidis, vae tepidis, vae negligentibus et torpentibus otio, quoniam venturam non effugient iram! Nam caritas et bona opera

52) Mt 24, 8. 53) Cf Gn 41, 1-31. 54) Cf. 1 Rg 15, 27-28. 55) Cf. 3 Rg 11, 30-37. 56) Cf. Ier 13, 1-17. 57) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 58) Cf. 2 Petr 3, 9. 59) Cf. Ex 23, 26; Dt 7, 14; 1 Rg 1, 6; Lc 1, 26. 60) Mt 24, 12. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Abundavit*.

necessaria sunt ad salutem. Pauci sunt autem qui haec cogitant animoque vere concipiunt, existimantes ad salutem satis esse vitam ducere multis sceleribus minime commaculatam, non autem caritate et virtutibus omnibus ornatam.

et fuga saeculi.

Verum, cum significare voluerit Dominus non patere nobis salutem ab hostibus nisi per fugam saeculi, pondus autem fugam impedit, pondera hic dicit amata: « Amor meus pondus meum »! [61] Duplex autem dicit pondus: internum in utero et externum filiorum lactentium: nimius amor et nimium desiderium carnalium rerum nobis impedimento sunt.

IV. ALIA HOMILIA

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, etc. [1]

Duplex est genus poenarum contra peccatum: temporale et aeternum.

I. Apparens Dominus sancto vati Ieremiae, iussit ut apertis sursumque erectis oculis, diceret quidnam videret. Cui Vates: *Virgam vigilantem ego video,* [2] sive virgam amygdalinam, qualis fuit virga Aaron quae miraculo floruit et amygdala produxit [3] in perniciem Core, Dathan et Abiron. [4] Iterum autem iussit eidem Deus ut diceret quidnam videret. Cui ille: *Ollam succensam ego video*

61) S. Augustinus *Confessionum,* lib. 13, cp. 9, (P. L. 32, 849).

1) Mt 24, 15. In margine haec adiecta fuerunt: « Hodiernum Evangelium instar nubis illius aut nebulae et caliginis esse videtur, de cuius medio Dominus super montem Sinai universo populo locutus fuit legemque in deserto dedit; quae cum intrinsecus quasi purissimus ac lucidissimus ignis splenderet, extrinsecus obscura et tenebricosa erat, nisi quod fulgura flammasque emittebat una cum terribilibus vocibus tubarum et tonitruorum. Obscurum videtur hodiernum Evangelium et plenum terroribus terribilibusque praedictionibus severissimi iudicii Dei contra peccatores; verum intus plenum est infinito splendore divinae sapientiae infinitoque ardore divinae caritatis in Christo, ipse nanque Dei virtus et sapientia est, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; Deus* autem *caritas est.* O qualem videre est Christi sapientiam et caritatem in hodierno Evangelio! Quis non sapientissimum medicum existimaret qui, viso homine in aetate florida et sano validisque viribus, diceret discipulis ac sequacibus suis: Videtis hunc hominem? Non transibunt quadraginta dies quod morietur tali infirmitate talibusque accidentibus et simptomatibus pressus! et ita plane eveniat? Sapientissimum ac peritissimum nauclerum, qui tranquillo mari et secundis ventis aequora sulcans, maximam prognosticaret post paucas horas tempestatem, ita ut navis certissimum passura sit naufragium: Qui salvare se potest, se salvet, alioquin una cum navi omnes peribunt! et ita eveniet? Sic Christus hodie futuram prognosticavit ruinam Ierosolymae ». 2) 1, 11. 3) Cf. Nm 17, 8-10. 4) Cf. ibid. 16, 1-33.

et faciem eius a facie aquilonis. [5] Haec autem duo spectra veluti duo sunt hieroglyphica, duae sacrae figurae ac symbola duorum generum punitionum quae praeparavit ordinavitque Deus in punitionem peccati. Sunt autem temporalis poena et mors in hoc mundo et aeterna interminabilisque in inferno, quae etiam per gladium versatilem et flammam ignis designantur, quae tenebant Cherubim *ad custodiendam viam ligni vitae,* [6] et per columnam nubis columnamque ignis, spectacula Hebraeorum in deserto; [7] ex nube enim tonitrua terribilia audimus, videmus fulgura, timemus fulmina grandinesque, sed haec cito transeunt; at ignis perpetuo comburit totamque noctem ardebat. Gladius etiam ferit et occidit corpus, instrumentum iustitiae est sicut et virga, unde: *Qui parcit virgae odit filium;* [8] ignis autem poenam designat inferni: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [9]

Proponitur temporale iudicium contra Iudaeos in argumentum extremi iudicii.

Sic in hodierno Evangelio duplex proponitur Dei iudicium contra peccatores: alterum quidem temporale contra Iudaeorum rempublicam, alterum vero aeternum contra universam satanae synagogam. Iudicium autem contra Iudaeorum populum, quod cito futurum erat post quadraginta annos, proponitur nobis tanquam argumentum et tanquam imago futuri iudicii in fine saeculorum, tanquam argumentum efficax ad certissime persuadendam nobis fidem extremi ac supremi iudicii.

Difficile credimus quae nobis molesta sunt,

Nos enim adeo sumus nostri amatores, adeo in nobis regnat φιλαυτία, [10] ut quam difficillime adducamur ad credendum quae nobis molesta sunt. Quis nescit quod omnes mortales sumus? omnes morituri? quod mors semper nobis a tergo est? Vix tamen est homo qui cogitet se moriturum, qui non longam sibi vitam polliceatur, qui non multos sibi promittat annos, cui non videatur mors longissime a se distare. Nimius amor nostri hoc nobis persuadet, sic nemo est qui non sibi Dei misericordiam salutemque et vitam aeternam certo promittat, cum tamen maior pars hominum pereant et in infernum ruant. Si primi generis nostri parentes certo certius credidissent divinae sententiae mortem comminanti: *Quocunque... die comederis ex eo, morte morieris,* [11] nequaquam vetitum lignum

5) Ier 1, 13. 6) Gn 3, 24. 7) Cf. Ex 14, 24. 8) Prv 13, 24. 9) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 10) Ms.: *Philautia.* 11) Gn 2, 17.

degustassent; sed suggestioni serpentis fidem adhibentes nec Dei iudicium extimentes, peccaverunt et in damnationis barathrum, diabolo impellente, ceciderunt.[12] Hanc autem incredulitatem nos quoque veluti hereditariam accepimus, ut quam exilem fidem comminationibus divini iudicii, diabolo suggerente, praestemus.

Sciens autem Dominus nostram hanc veluti naturalem cordis duritiem ad credendum, maxime quae ventura sunt universo orbi in diebus novissimis, coniunxit duo haec hodierni Evangelii vaticinia simul, ut comprobata oculis cernentibus veritate unius, argumentum esset ad comprobandam veritatem alterius. **hinc Dominus evincere quaerit incredulitatem nostram.**

II. Cum dixisset Dominus Ierosolymitis: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*[13] et cum sedens Dominus super asinum, flens praedixisset futuram destructionem civitatis,[14] nonnulli ex Apostolis, ac si incredibilia viderentur quae a Domino dicebantur, dixerunt ei: *Magister, vide quales lapides et quales structurae!* Quasi dicerent: Quomodo possibile est ut haec destruantur? Quibus Dominus: Videtis omnes has magnas aedificationes? *Non relinquetur lapis super lapidem.*[15] **Incredibile videri poterat vaticinium de excidio Ierusalem,**

Et quidem si prudens et humano sensu ac sapientia praeditus homo divinum hoc Christi vaticinium audisset, risisset forte ac incredibile iudicasset. Cum enim civitas esset nobilissima, metropolis et caput regni, gentium numero populatissima, armis, moeniis turribusque validissimis et inexpugnabilibus munitissima rebusque omnibus tunc opulentissima et floridissima sub potentissimo Romanorum imperio, quis unquam credere et in animum inducere potuisset brevi eo deventuram, ut non relinqueretur in ea lapis super lapidem? Talibus enim arcibus, turribus, moenibus ut, referente I o s e p h o libro 7, capite 16 *De Bello*, Titus, capta iam civitate, in eam ingressus visisque munitionibus talibus, miratus dixerit: «Deo ordinante pugnavimus et Deus ab istis munimentis detraxit Iudaeos, nam quae hominum manus aut machinae ad istas valerent?»[16] **erat enim civitas munitissima,**

Postremo civitas erat Dei, nullibi enim nisi in ea, in sanctissimo illo templo universum per orbem colebatur Deus, nec erat **et erat civitas Dei;**

12) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 13) Mt 23, 38. 14) Cf. Lc 19, 41-44. 15) Mc 13, 1-2. Vulg.: *Aspice*, etc. 16) Iuxta nostram editionem lib. 6, cp. 9, pag. 480.

tunc idololatriae impietate infecta, nec a. regulo protecta, uti cum a Chaldaeis capta dirutaque fuit.[17]

et tamen eversa fuit et Iudaei perpetua captivitate damnati sunt;

Et tamen, licet incredibile omnino Christi vaticinium tunc videri potuisset, ita tamen ad unguem accidit sicut Christus infallibilis veritas dixit. Nec tantum funditus evertendam civitatem et rempublicam Iudaeorum praedixit Salvator, sed etiam Iudaeos captivos ducendos in omnes gentes, donec implerentur *tempora nationum*,[18] idest perpetuam futuram eorum captivitatem, sicut adhuc oculis cernimus.

sic certe venturum erit extremum iudicium.

Ex hoc igitur iudicio a Christo praedicto et ad amussim iuxta praedictionem iam facto, argumentum sumere licet ad comprobandam futuri iudicii veritatem. Licet humano sensui incredibile videatur, venturum tamen est ita ut a Christo praedictum est; quare caveamus ne accidat nobis sicut viris Sodomae, qui deridebant Loth futurum iudicium Dei contra impiam civitatem praedicantem.[19]

Proponitur etiam in exemplum.

III. Non solum autem in argumentum proponitur nobis hoc temporale iudicium, sed etiam in exemplum, ut sit veluti imago futuri. De ea tamen dicitur: *Erit... tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio saeculi... neque fiet :*[20] conclusit enim omne malorum genus: bellum, famem, pestilentiam, ignem quo civitas combusta est, miserabilem captivitatem qua traditi sunt in manus inimicorum. In futuro autem iudicio haec omnia evenient impiis, sed perpetua erunt, aeterna, nunquam habitura finem.

Quod si timemus temporalia mala, magis timere debemus aeterna.

Quod si, o fratres, tantopere timemus temporalia mala, bellum, famem, pestem, infirmitates, ignominias, captivitates, persecutiones inimicorum, cur non timemus aeterna? Timemus scintillas ignis, non autem flammas voraces ignesque maximos? Timemus temporalem iustitiam mundi, non autem aeternam viventis Dei? Modicam tempestatem in stagno, non autem maximam in mari, oceanum in Indias transmissuri? Bone Deus, unde tanta securitas?

Ah! fratres: *Beatus homo qui semper est pavidus ;*[21] *Beatus vir*

17) Cf. 4 Rg 25, 1 sqq. 18) Lc 21, 24. 19) Cf. Gn 19, 14. 20) Mt 24, 21. Vulg.: *Ab initio mundi*, etc. 21) Prv 28, 14.

qui timet Dominum.[22] Sanctus Iob aiebat: *Semper... quasi tumentes... fluctus* maris *timui Deum.*[23] Si certo certius superventurum iudicium firmissime crederemus, procul dubio magno cum timore et tremore salutem nostram operaremur.[24] Inspiciamus, inspiciamus, fratres, in hodierno Evangelio imaginem futuri iudicii et firmissime credamus quod sicut prima pars hodierni vaticinii adimpleta est, sicut venit iam ira Dei super Iudaeos factumque iam est contra eos iudicium, quod incredibile videbatur, ita etiam altera pars adimplenda est; veniet super vos ira Dei, fiet universale iudicium contra omnes peccatores. O utinam vere hoc mysterium crederemus, fratres!

Sicut venit iudicium super Iudaeos, sic veniet supra omnes universale iudicium.

Fides enim suapte natura omnem excedit sensum, visus, tactus, mentis etiam et intellectus certitudinem, quae vel per experimentum habetur vel per mathematicas demonstrationes. Nam saepe experimentum est fallax et iudicium difficile, mens alucinatur; Deus autem, qui sol est et fons omnis sapientiae, errare non potest nec fallere; hinc quicquid docet aut dicit Deus, veritas est adeo firma et certa, ut nil firmius, nil certius excogitari possit.

Haec veritas firmissima certitudine tenenda est.

Si igitur vere credimus divinum iudicium, fratres, si vere talis in nobis est fidei firmitas et certitudo, quomodo in peccatis vivimus? perseveramus? Iudicii nanque et condemnationis causa nonnisi peccatum est, quod divina iustitia summopere abominatur, ideoque acerrimo odio insectatur et punit. Peccamus spe divinae misericordiae, sed quisnam unquam spe antidoti sumpsit venenum? spe remedii ac optimi medicamenti mortalia sibi vulnera inflixit?

Fugiamus ergo peccatum.

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, etc. *Abominationem* appellare solet Divina Scriptura impium idolorum cultum[25] idolaque ipsa[26] et quicquid divina lege vetitum est;[27] quare omne peccatum abominatio dicitur et abominatio utique desolationis, quoniam peccatum in causa est ruinarum: *Per unum hominem peccatum intravit in... mundum et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit.*[28] Omne vitium abominatio est, nam Paulus ait quod

Peccatum est vera abominatio desolationis.

22) Ps 111, 1. 23) 31, 23. 24) Cf. Phil 2, 12. 25) Cf. Dt 12, 31; 13, 13-14; 17, 4; 18, 9; 20, 18. 26) Cf. Ex 8, 26; Dt 7, 25; 27, 15; 29, 17. 27) Cf. Lv 18, 22-29; Dt 17, 1; 23, 18. 28) Rom 5, 12. Vulg.: *Peccatum in... mundum intravit... et ita*, etc.

avaritia *est idolorum servitus.* [29] Quod si idola abominatio dicebantur, multo magis daemonia quae in idolis habitabant, maxime vere diabolus omnium daemoniorum caput et princeps; sic etiam antichristus, qui instar idoli animati vivum erit diaboli habitaculum et tanquam idolum exhibebit se omnibus adorandum ac si verus Christus verusque Deus esset, [30] iure optimo *abominatio* dicitur. Similiter omnis peccator, carnis, mundi et diaboli servus ac filius, *abominatio* est.


quae in fine mundi regnatura est;

Videtur autem Dominus dicere quod cum regnabit iniquitas, tunc prope erit saeculi finis, siquidem excidium Ierosolymae imago fuit consummationis saeculi: *Cum videritis abominationem* peccati *stantem*, perseverantem, regnantem *in loco sancto*, ubi non debet, in Ecclesia et multitudine fidelium, *scitote quod prope est in ianuis* [31] desolatio eius.

sed nunc abominatio haec ubique regnat.

Sed, ehu! *Abominatio facta est in Israel et in Ierusalem*, tum in populo, tum in clero, tum in saecularibus, tum in Regularibus et ecclesiasticis viris! *Contaminavit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit*, ait Malachias proheta. [32] Regnant ubique vitia, ubique peccata, ubique divinae legis transgressio; nam sic utique incipit: *Transgressus est Iuda, abominatio facta est in Israel et in Ierusalem... contaminavit Iudas sanctificationem*, idest fidem legemque Dei, Ecclesiam Christi, *habuit filiam dei alieni :* [33] ita vivit in Ecclesia Christi ac si esset in synagoga satanae. [34] Moyses ait in lege quod comedere immunda animalia abominatio Domini est, [35] quod idola colere abominatio Domini est. Salomon ait quod statera dolosa, pondus et pondus abominatio Domini est, [36] hoc est diligere vitia non virtutes, servire peccato non iustitiae, quae mundi et carnis sunt temporalia bona magnifacere, spiritualia autem, divina, aeterna floccipendere: haec sunt quae summopere abominatur Deus; haec autem *abominatio facta est in Israel et in Ierusalem.*

29) Eph 5, 5; Col 3, 5. 30) Cf. 2 Thess 2, 3-4. 31) Mt 24, 33. Vulg.: *Quia prope*, etc. 32) 2, 11. 33) Ibid. 34) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 35) Cf. Lv 11, 1 sqq. 36) Cf. Prv 11, 1; 20, 10.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

DOMINICALE SECUNDUM

DOMINICA IN ALBIS

I. Si radius solaris, quamvis corporeus et sensibilis sit, qui oculis videtur, eam vim habet ut absque ulla violentia coelorum solidissimam substantiam pertanseat et sursum ad illuminandas stellas firmamenti et deorsum ad illustrandam lunam purgandumque mundum hunc nostrum a tenebrarum inimicitia, uti nos videmus solidam constantissimamque vitri et crystalli substantiam pertransire, quid mirum si praedicet sacra theologia quod beati omnes in corpore glorioso poterunt absque ulla vi et fractura per solidissima quaeque corpora vel coelestia vel terrena transitum sibi facere, cum scriptum sit: *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei?* [1] O gloria infinita Dei! In die universalis resurrectionis ex modicis cineribus sacrum corpus coelesti complexione formabitur, uti sol, in natura impassibile, in substantia lucidum, in motu agile et in radiis subtile ac fere spirituale.

Corpus beatorum in resurrectione erit impassibile, lucidum, agile, subtile,

At si Christus iam surrexit a mortuis ut *primogenitus mortuorum* [2] et fulgentissimus sol, nil mirum ergo si hodie clausis ianuis solidissimos parietes domus invisibiliter visibilis ipse pertransiens magno miraculo ad suos discipulos venit *stetitque in medio eorum et dixit... Pax vobis.* [3]

sicut corpus Christi resuscitati.

1) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt... regno Patris eorum.* 2) Apc 1, 5.
3) Lc 24, 36; Io 20, 19. Vulg.: *Et stetit,* etc.

PRIMA PARS

Homo perfectus creatus quoad naturam, non ultimam perfectionem acceperat gratiae et gloriae.

II. Admirandum plane est quod, cum Deus, summus artifex, omnia quae omnipotenti virtute et incomprehensibili sapientia condidit opera vel in coelo vel in terra, commendavit ut bona, hominem vero ipsum, quem mundi principem constituit, nequaquam de bonitate commendavit. Siquidem si lucem fecit, *vidit Deus... quod esset bona;*[4] si firmamentum coeli, *vidit Deus quod esset bonum;*[5] si plantas in terra, *vidit Deus quod esset bonum;*[6] si luminaria in coelo, *vidit Deus quod esset bonum;*[7] si pisces in mari, aves in aere et bestias in terra, *vidit Deus quod esset bonum.*[8] Post omnia vero haec hominem *ad imaginem et similitudinem suam*[9] formavit, nec tamen dixit hominem esse bonum; quia profecto ceteris quidem rebus ultimam contulit perfectionem, cuius secundum propriam virtutem propriamque naturam capaces erant, non tamen homini eam omnem contulit perfectionem cuius erat capax; non enim eum mox conditum coelesti gloria aeternaque beatitudine donavit. Quare cum homini non tantum naturae, sed etiam gratiae competat gloriaeque perfectio, cum non omnem acceperit gratiae gloriaeque perfectionem, merito non fuit de bonitate et perfectione commendatus.

Gratiae perfectio in virtute consistit quae a voluntate pendet.

Gratiae autem perfectio in virtutibus omnibus consistit, maxime vero in caritate, quae virtutum omnium est decor et forma, ut lux colorum. Caritas vero in voluntate et libero hominis arbitrio sistitur, quapropter gratiae virtutumque perfectio a voluntate hominis vel maxime pendebat; unde cum ceterae res natura vel bonae vel malae censeantur, homo animi voluntate bonus censendus est vel malus. Quare si homo firma animi voluntate in caritate perstitisse diabolumque tentantem, ut poterat, a se fugasset, bonus utique tunc habitus fuisset. Posuit enim Deus ante hominem, quem rectum condiderat,[10] bonum et malum, vitam et mortem,[11] id enim duae arbores designant vitae et scientiae boni ac mali,[12] ut ad quodcunque vellet

4) Gn 1, 3. 5) Ibid. vr. 10. 6) Ibid. vr. 12. 7) Ibid. vr. 18. 8) Ibid. vrr. 21. 25 9) Ibid. vrr. 26-27. 10) Cf. Eccle 7, 30. 11) Cf. Eccli 15, 18. 12) Cf. Gn 2, 9.

manum apponeret, sive ad bonum ut viveret, sive ad malum ut moreretur.

At quia, diabolo suadente, ad malum apposuit manum, hinc malus effectus est et nedum perfectionem virtutum et gratiae, qua carebat, minime acquisivit, sed etiam quam habebat et sibi et nobis perdidit, paradisi felicitatem, animi innocentiam et carnis immortalitatem. Hinc Christus, cum in mundum venerit ad reparandum humanae naturae damnum, completo redemptionis salutisque nostrae opere, cum surrexisset a mortuis, apparens discipulis suis ait: *Pax vobis, ego sum, nolite timere,* iterumque dixit eis: *Pax vobis.* [13] Pax vero perfectionem tum gratiae tum gloriae designat, quae quidem perfectio nonnisi credentibus confertur; hinc ait hodie Thomae Salvator: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt.* [14] Hinc et in fine Evangelii dicitur: *Haec autem scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est... Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* [15] Sic *qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham,* [16] qui *credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* [17] Haec enim est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium;* [18] *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

At vero, quia per peccatum homo omnem gratiam amisit,

Christus dat hodie pacem, quae designat gratiae et gloriae perfectionem,

Ad hanc igitur gratiae et gloriae perfectionem consequendam, ut vere boni censeamur a Deo ab ipsoque benedicamur, fide opus est: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* [19] Nam ex infidelitate et incredulitate traxit originem omne humani generis malum, quia serpenti magis quam Deo crediderunt primi generis nostri parentes. [20] Sicut igitur infidelitas fuit causa mortis, ita fides est vitae causa: *Ut omnis,* inquit, *qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* [21] *Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [22]

et viam ad hanc pacem indicat, idest fidem,

Haec est vita de qua ait: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant;* [23] vita credentibus promittitur, sed aeterna; quod si aeterna, erit impassibilis, nullum passura malum, nam quod patitur, tendit in interitum et corruptionem veterascens, quod autem

quae confert vitam aeternam et beatitudinem perfectam.

13 Lc 24, 36; Io 20, 19-21. 14) Io 20, 29. 15) Ibid. vr. 31. 16) Gal 3, 9. 17) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23. 18) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum,* etc. 19) Io 20, 27. 20) Cf. Gn 3, 1 sqq. 21) Io 3, 15. 22) Ibid. 4, 13-14. 23) Ibid. 10, 10.

tendit in interitum, non potest esse aeternum. Quare si vita nobis promissa erit aeterna, erit utique absque omni passione mali, ergo omnibus affluens bonis, nam boni carentia malum est, sicut fames, sitis, infirmitas, paupertas, caecitas et alia huiuscemodi. Sic ait: *Ut vitam habeant et abundantius habeant.* Erit enim ibi affluentissima bonorum omnium abundantia; hinc terra promissionis dicitur fluens lacte et melle;[24] hinc vita haec aeterna dicitur *beatitudo;* haec autem «status est omnium bonorum aggregatione perfectus».[25]

et supernaturalem, quae consistit in unione animae cum Deo.

Quod si aeterna vita haec erit et immortalis omninoque impassibilis, necesse est ut sit supernaturalis et divina, nam *solus* Deus *habet immortalitatem.*[26] Hinc hodie Christus dat Spiritum Sanctum, qui verus est Deus: *Insufflavit* enim *et dixit... Accipite Spiritum Sanctum.*[27] Sicut prius formato hominis corpori insufflavit spiritum vitae naturalis,[27a] sic nunc insufflavit Christus Spiritum Sanctum in suos electos fideles tanquam principium vitae supernaturalis et divinae. Sicut enim naturalis vita consistit in unione spiritus et carnis, ita supernaturalis in unione spiritus cum Deo, nam: *Qui... adhaeret Deo, unus spiritus est*[28] cum eo.

Vera fides in Ecclesia tantum invenitur.

III. *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Hinc cum Moyses petiit videre faciem Dei gloriamque ipsius, audivit: *Ego ostendam tibi omne bonum;* sed *est,* inquit, *locus apud me, et stabis super petram* ibique *posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, non enim videbit me homo et vivet.*[29] Videns autem Moyses posteriora Dei, clamare coepit: *Domine Deus, misericors et clemens... multae misericordiae et verax.*[30] Promisit Deus sic ostensurum Moysi omne bonum, se daturum ei beatitudinem, sed *est,* inquit, *locus apud me, et stabis super petram* ibique *posteriora mea videbis.* Locus hic Ecclesiam designat, extra quam puro mentis oculo non potest videri Deus; hinc Thomas nonnisi in congregatione potuit videre Christum. Petra autem haec Christi erat typus; quare per

24) Cf. Is 1, 19; Mt 5, 4; 2 Petr 3, 13; Apc 5, 10; 18, 1; 21, 1. 25) Boetius *De Consolatione Phil.*, lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724). 26) 1 Tim 6, 16. 27) Io 20, 22. 27a) Cf. Gn 2, 7. 28) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Adhaeret Domino.* 29) Ex 33, 19 sqq. Vulg.: *Stabis super petram videbis posteriora mea*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 30) Ibid. 34, 6. Vulg.: *Ac verax.*

fidem standum est supra hanc petram, nam Christus est lapis angularis et fundamentum Ecclesiae. Hic non potest videri facies Dei, sed tantum posteriora Dei; sic Apostoli hodie humanitatem non divinitatem Christi viderunt. Attamen Moyses videns posteriora Dei clamavit: *Domine Deus*, etc.; sic Thomas hodie videns Christi humanitatem clamat dicens: *Dominus meus et Deus meus!* [31] Credens autem divinitatem quam non vidit, accipit beatitudinis promissionem: *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

Fides, cui beatitudo promittitur, viva esse debet, vera et pura.

Beatitudo autem haec non cuicunque promittitur fidei, sed vivae non mortuae, verae non falsae, purae non impurae: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, ac si oculis propriis vidissent ea quae credunt et quae credenda sunt de Deo, de Christo, de gratia, de peccato, de gloria, de poena. O si hisce oculis paradisi gloriam, poenam inferni, Dei maiestatem et Christi divinam semper videremus personam, profecto nunquam peccaremus, sed vitam utique sanctissimam duceremus! At credendum magis est Deo quam hisce oculis, hi enim nos possunt decipere, non autem Deus qui summa est veritas, et profecto maxima est incredulitas hisce oculis magis quam Dei verbis adhibere fidem: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Necesse item est hanc fidem ab omni peccato puram esse, hinc tribuit Apostolis Spiritum Sanctum et potestatem dimittendi peccata. [32]

Multa mysteria continentur in hodierno Evangelio.

IV. Mysteria plane altissima christianae religionis et fidei continentur in sacrosancto hodierno Evangelio. Primum est de Christi resurrectione, de qua gaudent discipuli, qui suscitatus venit missus a Patre: *Stetit in medio* sicut sol illuminans, nam *aperuit... sensum ut intelligerent Scripturas,* [33] dixit eis: *Pax vobis,* et iterum: *Pax.* Pacem gratiae et pacem gloriae praedicavit Christus. *Ostendit eis manus, pedes et latus,* [34] quanta sit operatus, quanta passus, quantum amaverit. Alterum est de Christi incarnatione: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos,* [35] ubi continetur mysterium Trinitatis: Pater misit Filium, et: *Accipite Spiritum Sanctum,* nam, ut hodie in Epistola ait Ioannes, *tres sunt qui testimonium dant in coelo,* etc.; [36] *insufflavit,* ut ostenderet Spiritum Sanctum a se procedere.

31) Io 20, 28. 32) Cf. ibid. vrr. 22-23. 33) Lc 24, 45. 34) Ibid. vr. 40; Io 20, 20. 35) Io 20, 21. 36) 1 Io 5, 7. Cf. Missale Rom.

Praecipue tamen in hoc Evangelio continentur quattuor mysteria: primum Trinitatis, secundum incarnationis et divinitatis Christi: *Dominus meus et Deus meus!* tertium praedicationis evangelicae legis: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos; Oportebat pati Christum et resurgere a mortuis... et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes,*[37] sicut Ionas praedicavit Ninivitis;[38] quartum quod Iesus est Christus, Messias, Filius Dei.

sed praecipue quattuor.

V. Duas Domini ad Apostolos post resurrectionem apparitiones narrat in sacrosancto hodierno Evangelio Divus Ioannes: alteram factam in die resurrectionis, alteram vero octavo die post resurrectionem. In prima apparuit Christus Apostolis, ut fidem resurrectionis suae faceret eis, sine qua salvari minime poterant; in secunda vero, ut Thomam ad hanc fidem adduceret. Et in prima quidem ostenditur Deum velle omnes salvari, in secunda vero neminem perire, cum pro solius Thomae salute Dominus Rex gloriae apparuerit ostendens eis manus et latus. Hinc Dominus in parabola centum ovium peccatorem uni comparavit ovi, et in parabola decem drachmarum uni drachmae.[39] Sic venit hodie Christus ad quaerendam ovem hanc quae perierat. *Pax vobis:* haec est salus, gratia Spiritus Sancti; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata,* etc.,[40] et gloria, de qua ait: *Ut credentes vitam habeatis in nomine eius,* vitam utique aeternam; *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam,* vitam aeternam in gloria, qualem ducebat Christus post resurrectionem suam.

Duae apparitiones Christi hodie referuntur, in quibus ostenditur Deum velle omnes salvari.

Sed ad hanc pacem gratiae et gloriae consequendam fide opus est in Christum: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Hinc ait: *Haec autem scripta sunt ut credatis et ut credentes vitam habeatis;* credere et confiteri cum Thoma: *Dominus meus et Deus meus!* Confitetur id Thomas videns manus, pedes et latus Christi. Si quis consideret opera Christi, passiones Christi et caritatem ac pietatem Christi, quae per manus, pedes et latus Christi significantur, hic plane cum

Ad pacem gratiae et gloriae consequendam fide in Christum opus est et bonitatem eius cognoscere.

37) Lc 24, 46-47. Vulg.: *Christum pati,* etc. 38) Cf. Ion 3, 1 sqq. 39) Cf. Lc 15, 4-10. 40) Io 20, 23.

Thoma dicet: *Dominus meus et Deus meus !* item potentiam ac bonitatem Christi in manibus, iustitiam et misericordiam in pedibus, his enim ad nostra corda ingreditur Deus imprimens vestigia spei et timoris ac tandem in corde sapientiam et caritatem. Duo enim sunt in corde: cognitio et amor, cogitationes et desideria.

Quattuor referuntur de Christo in prima apparitione

Quattuor dicuntur de Christo in prima apparitione: quod venit ianuis clausis, quod stetit in medio discipulorum, quod *dixit eis : Pax vobis*, et quod *ostendit eis manus et latus.* Ubi quattuor designantur mysteria: adventus in mundum in incarnatione, vita eius in mundo sanctissima et semper in coelum aeterna, praedicatio Evangelii et salutis nostrae operatio cum infinita caritate.

et quattuor egit.

Quattuor item egit: manducavit piscem assum et favum mellis;[41] constituit Apostolos divina auctoritate suos in mundo vicarios: *Sicut misit me* vivens *Pater, et ego mitto vos,*[42] ad salvandum homines, ad praedicandum Evangelium, ad operandum miracula, ad ministranda Sacramenta, et sicut Pater misit me Spiritu Sancto plenum, ita ego mitto vos; unde, tertio loco, insufflavit in eos et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum ;* quarto, dedit eis auctoritatem remittendi et retinendi peccata: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quae quidem quattuor sunt maxima infinitique valoris beneficia universali Ecclesiae collata.

Vera fides omnes difficultates superat

Beati qui non viderunt et crediderunt ; Ut credentes vitam habeatis ; Fides tua te salvam fecit,[43] sed illa utique fides, de qua loquitur in Epistola hodierna Ioannes, *quae vincit mundum,* illum qui *totus in maligno positus est,*[44] in quo quicquid reperitur *est concupiscentia carnis* et *oculorum ac superbia vitae.*[45] *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra,*[46] fides cui nil grave est divina servare mandata, sic enim ait Ioannes : *Mandata eius gravia non sunt ;*[47] nam *omne quod natum est ex Deo, vincit mundum,*[48] superat omnes difficultates. *Quis est* enim *qui vincit mundum nisi qui credit quod Iesus est* Christus *Filius Dei ?*[49] Contemplatione enim christianae sanctitatis et passionis vincitur concupiscentia carnis, contempla-

41) Cf. Lc 24, 41-43. 42) Io 20, 21. 43) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 44) Ibid. 5, 19. 45) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est... et superbia*, etc. 46) Ibid. 5, 4. 47) Ibid. vr. 3. 48) Ibid. vr. 4. 49) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Quoniam Iesus est.*

tione paupertatis concupiscentia oculorum et contemplatione humilitatis superbia vitae. Sed ubinam haec est fides hodie? Profecto relegata videtur a mundo. Multi in corde suo dicunt: *Nisi videro... non credam;* [50] nolunt credere nisi quae videntur, quare nec in Deum credunt. Qui credit, firmius certiusque tenet quae credit quam si ea oculis videret.

et veritates christianas firmius tenet quam si oculis videret.

Ah! christiane, si tu prae oculis infernum et paradisum, Angelos et daemones, diabolum et Christum Deumque ipsum haberes, auderes ne peccare? Cur ergo tanta cum libertate peccas? Ah! non credis nisi quae vides? Sed tange, tange manus, pedes et latus Christi, meditare, meditare Christi opera, passiones et amorem! exclamabis cum Thoma: *Dominus meus et Deus meus!*

50) Io 20, 25. Deest in codice Dominica Secunda post Pascha.

DOMINICA III POST PASCHA

Modicum et... non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem, etc. [1]

Quadriforme animal Ezechielis Christum figurabat in quattuor mysteriis vitae et gloriae suae

I. Quadriforme [2] illud Ezechielis animal [3] et quattuor Salomonis difficilia [4] videre hic mihi videor, unde non intelligentes haec Apostoli dicunt: *Quid est hoc quod dicit* nobis: *Modicum? Nescimus quid loquitur.* [5] Video mysterium vitae et passionis: *Modicum et non videbitis me,* quia moriturus sum; mysterium resurrectionis: *Iterum modicum et videbitis me,* quia resurgam; mysterium ascensionis: *Quia vado ad Patrem.* Sed neque mortuus fuisset Christus, nec resurrexisset, nec ascendisset in coelum, nisi prius incarnatus fuisset. Non enim fieri potuisset hoc *modicum,* nisi qui erat in forma Dei factus esset in forma servi, [6] paulo minus minoratus ab Angelis. [7] Ait ergo: Modicum vitae adhuc mihi restat et modicum temporis mansurus sum vobiscum: ecce facies hominis et *via viri in adolescentula;* moriturus sum: ecce facies vituli et *via navis in medio mari; iterum modicum et videbitis me* a mortuis susci-

1) Pericope huius diei Io 16, 16-22. Cf. Missale Rom. 2) In margine haec adiecta fuerunt. « Sicut Iacob moriturus filiis suis revelavit quae ventura erant et Elias abiturus in coelum consolabatur Eliseum, sic facit hodie Christus cum discipulis suis. Deus, qui mirabilis est in omnibus operibus quae in terra, in coelo et supra coelum vel oculis videntur vel mente intelliguntur, mirabilis voluit esse in magnis, sed non minus in parvis; mirabilis in macrocosmo, sed non minus in microcosmo; quo enim ille hoc maior est mole, eo hic maior eo est in virtute; mirabilis in elephante, sed non minus in formica, aut in ape quam in aquila. Sed in his parvis multo forte mirabilior est eius sapientia et ars incomprehensibilior, hinc fieri voluit parvus homo, sed mirabilis. Hinc enim Isaias ait: *Parvulus... natus est nobis... et vocabitur nomen eius admirabilis.* Hinc hodie, dum Dominus ait: *Modicum et iam non videbitis me,* etc., mirantur Apostoli: *Quid est hoc quod dicit: Modicum?* » 3) Cf. 1, 5-14. 4) Cf. Prv 30, 18-19. 5) Io 16, 18. 6) Cf. Phil 2, 6. 7) Cf. Hebr 2, 9.

tatum: ecce facies leonis et via colubri renovati, dimissa veteri mortalitatis pelle; *vado ad Patrem* per ascensionem in coelum: ecce facies et *via aquilae in coelum.*[8] Competunt Christo haec quattuor, quia in eo sunt duae naturae et duae dignitates: sacerdotalis et regalis; item et quattuor nomina: אָדָם, אֱנוֹשׁ, גֶּבֶר et אִישׁ,[9] quibus appellatur Christus in Scripturis.[10]

Sed *quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et videbitis me et iterum modicum et non videbitis me, et quia vado ad Patrem?*[11] . . . *Quid est hoc quod dicit: Modicum?* Mirabilia sunt admodum quattuor haec mysteria ac supra humanae rationis captum. Hinc liber Sacrae Scripturae qui de his tractat dicitur signatus sigillis septem,[12] quapropter non sine mysterio forte septies reperitur in sacro hoc Evangelio *modicum;*[13] hoc enim difficillimum captu est, quomodo Deus, magnitudine infinitus et aetate aeternus, factus est modicus: *Parvulus enim natus est nobis,*[14] quem coeli et coeli coelorum capere non possunt.[15]

Mirabilia sunt admodum haec mysteria

Quid est hoc quod dicit: Modicum? Tempus enim mensura generabilium et corruptibilium est,[16] quae autem ingenita sunt sed creata, uti terra, coelum, Angeli, animae, aeternitate mensurantur; ingenita vero et increata, uti sunt Divinae Personae, cum nunquam essendi initium habuerint et nunquam sint habiturae finem, aeternitate utique infinita metiuntur. Aeternitas autem ipsamet Deitas est; quare si aeternitas facta est temporalis, infinita Dei magnitudo utique facta dicenda erit finita. Quapropter modicum tempus modicaque vita modicitatem etiam infinitae magnitudinis Dei secum affert. Merito igitur quaerunt: *Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum?* Sed Christus non respondit ad hoc quaesitum, quia plane *modicum* istud ineffabile est sacramentum, quod nec hominum nec

incarnationis,

8) Prv 30, 19. 9) Ms.: *Adam, enosc, ghemer (!), isc.* 10) אָדָם, Ps 8, 5; אֱנוֹשׁ, ibid.; גֶּבֶר, Prv 30, 19; Ier 3, 12; אִישׁ, Ps 86 (hebr. 87) 5; Is 53, 3; Ier 33, 17. In margine haec adiecta fuerunt: « Quattuor item haec admiratur Regius Vates: primum dicens: *Quid est homo?* etc.; secundum: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* tertium: *Gloria et honore coronasti eum;* quartum: *Constituisti eum super opera manuum tuarum,* etc. ». 11) Io 16, 17. 12) Cf. Apc 5, 1. 13) Cf. Io 16, 16-19. 14) Is 9, 6. 15) Cf. 3 Rg 8, 27; 2 Par 2, 6; 6, 18. 16) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 10, a. 4-5.

Angelorum linguae valent, pro dignitate explicare, nec ipsemet Christus potuit, quamvis Deus esset, infinitum enim finitis verbis explicari non potest.

passionis, resurrectionis et ascensionis Christi.

Nec minus difficile est secundum mysterium passionis quam primum incarnationis, sic et tertium resurrectionis et quartum ascensionis. Primum mirabile est ac si sphaera contineretur in centro, coelum universum in terrae visceribus, totus mundus intra unum hominem; secundum, ac si coelum fieret terreum, sol tenebrosus, ignis frigidus; tertium, ac si terra tota · coelestis solarisque fieret; quartum, ac si supra coelum et astra ascenderet.

attamen ea credere debemus facta pro salute nostra.

Sed si capere haec minime possumus, credere tamen quimus quod Christus pro salute nostra est incarnatus: *Sic enim Deus dilexit mundum,* [17] quod passus est pro peccatis nostris, quod *resurrexit propter iustificationem nostram* [18] et ascendit in coelum propter glorificationem nostram. Cum autem nos praedestinati simus conformes fieri imagini Christi, [19] sicut Christus divina est incarnatus virtute, ita et nos creati; sicut Christus passus est, ita nos per poenitentiam salvos fieri oportet; sicut Christus resurrexit in gloria, ita et nos resurgemus, et sicut Christus ascendit in coelum ibi perpetuam sempiternamque vitam ducturus, ita et nos, quia ibunt iusti in vitam aeternam. [20]

Haec mysteria omnem captum superant etiam Angelorum.

II. *Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem ?* Non mirum si Apostoli quattuor haec mysteria non intelligentes admirabantur, cum sapientissimus Salomon, omnium naturae secretorum conscius, haec supra captum suum diceret esse et supra se mirabiliora. Neque enim Angeli possunt haec intelligere; hinc enim apud Isaiam coram tribunali Christi assistentes Seraphim facies suas operiebant; [21] hinc Angeli apud Regium Vatem admirantes de Christo quaerunt: *Quis est iste rex gloriae ?* [22] et apud Isaiam : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?* [23] hinc Apostolus *ad Ephesios* ait: *Ut innotescat principatibus et pote-*

17) Io 3, 16. 18) Rom 4, 25. 19) Cf. ibid. 8, 29. 20) Cf. Mt 25, 46.
21) Cf. 6, 2. 22) Ps 23, 8. 10. 23) 63, 1.

statibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei;[24] et *ad Timotheum: Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis.*[25] *Modicum* istud dicitur *magnum pietatis sacramentum.*

Tria quaeruntur de Christo in S. Scriptura.

Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum? Tria quaeruntur de Christo in Scripturis Divinis: quid est, qualis est, quis est. *Quid est homo?*[26] *Quid est hoc... modicum? Qualis est dilectus?*[27] *Qualis est hic?*[28] *Quis est iste rex gloriae? Quis est hic?*[29] Ad quaestionem quis est, responsum est in Veteri et Novo Testamento: *Dominus virtutum;*[30] *Hic est Iesus... a Nazareth;*[31] ad quaestionem qualis est, responsum in Veteri: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus;*[32] sed ad quaestionem quid est, nullibi responsum est; neque enim respondet Christus, quia mysterium hoc ineffabile penitus est, Dei enim incomprehensibilis est natura.

Qui novissima sua considerat, non peccabit.

Modicum et non videbitis me. Saepissime loquebatur Dominus de morte sua vitaeque brevitate: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum,*[33] ait Iudaeis; *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum,*[34] ait discipulis, et iterum: *Adhuc modicum et mundus me iam non videt.*[35] Nos beatos si *modicum* istud semper cogitemus! qui enim novissima sua meditatur, non peccabit in aeternum.[36] Si quis enim praesentis vitae brevitatem mortisque horam iugiter prae oculis habeat, mundanas contemnet vanitates ex sui ipsius cognitione humilis factus, sicut pavus pedes turpes aspiciens humiliatur rotamque vanitatis dimittit.[37]

Modicum et non videbitis me, etc. Alludit ad illud: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;*[38] sic enim *a summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius.*[39]

III. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit filium, iam non meminit*, etc.[40] Comparat Chri-

24) 3, 10. 25) 1 Tim 3, 16. 26) Ps 8, 5. 27) Ct 5, 9. 28) Mt 8, 27.
29) Ibid. 21, 10. 30) Ps 23, 10. 31) Mt 21, 11. 32) Ct 5, 10.
33) Io 7, 33. 34) Ibid. 13, 33. 35) Ibid. 14, 19. 36) Cf. Eccli 7, 40.
37) Cf. Hugo de S. Victore *De Bestiis*, lib. 4, cp. 14, (P. L. 177, 156). 38) Io 16, 28.
39) Ps 18, 7. 40) Io 16, 21. Vulg.: *Pepererit puerum*, etc.

stus Ecclesiam militantem mulieri parturienti, sic enim et I o a n n e s in *Apocalypsi* ait: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim et... clamabat parturiens et cruciatur ut pariat... et peperit filium masculum,* qui *raptus est... ad Deum et ad thronum eius.* [41] Hic utique Christus est, sed non nativitas eius ex Virgine hoc loco describitur, *Apocalypsis* enim tractat de mysteriis Ecclesiae a resurrectione Christi usque ad iudicium, non autem ante.

Comparat Christus militantem Ecclesiam mulieri parturienti.

Sed resurrectio Christi nativitas dicta est; hinc enim Christus dicitur *primogenitus mortuorum;* [42] hinc Paulus in *Actis Apostolorum* interpretatur de resurrectione Christi illud *Psalmi: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* [43] Sicut enim cum maximo matris dolore puer nascitur ad hanc lucem videndam, sic Christus cum maximo suo, Matris discipulorumque suorum dolore et cruciatu pervenit ad gloriam suae resurrectionis. In resurrectione Christi natus est homo in mundo, homo per excellentiam, homo non μικρόκοσμος, [44] sed mundus ter maximus, homo Dei connaturalis imago, homo princeps universi.

Resurrectio Christi nativitas dicitur.

Et vos.... nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, [45] sic *tristitia vestra vertetur in* perpetuum *gaudium.* [46] Tristitia mulieris parturientis poenitentia est et adversarum rerum patientia, laetitia vero post partum gloria: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [47] Sicut mulier absque partus dolore non potest habere gaudium nati pueri, sic nullus homo absque poenitentia consequi gloriam aeternam. Tristitia mulieris parturientis parvo tempore durat, laetitia vero ex nato filio perpetua est; sic poenitentiae modicum est tempus, gaudium vero gloriae perpetuum: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Sicut enim terra comparata coelo vix puncti magnitudinem habet, sic tempus praesentis vitae aeternitate gloriae comparatum.

Absque poenitentia homo aeternam gloriam consequi nequit.

41) 12, 1-5. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Bibbia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Cruciabatur.*
42) Apc 1, 5. 43) 13, 33; Ps 2, 7. 44) Ms.: *Microcosmos.* 45) Io 16, 22.
46) Ibid. vr. 19. 47) Mt 3, 2; 4, 17.

Gaudium gloriae memoriam delebit omnis tristitiae.

IV. *Cum autem pepererit filium... non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* [48] Ioseph factus gloriosus Aegypti princeps, oblitus est praeteritarum omnium afflictionum, unde primogenitum suum appellavit *Manassen,* [49] quod est o b l i v i o ; sic Christus oblitus videtur passionis suae, cum tanquam peregrinus appropinquans discipulis euntibus in Emmaus dixit: *Qui sunt hi sermones ?* etc., [50] cumque mirarentur illi quod ignoraret quae facta erant in Ierusalem, ait: *Quae ?* [51] Sic gaudium gloriae abscondet omnem memoriam tristitiae.

Obiectum gloriae Deus est, subiectum homo in anima et corpore.

Gaudium gloriae Christus in hac parabola homini comparat: *Propter gaudium, quia natus est homo in mundo,* quia obiectum gloriae nostrae Deus est, cuius homo est imago et similitudo; quia gloria erit in anima et corpore, carne et spiritu, sensu et ratione, sicut his constat homo; quia gloria est omne bonum, sicut homo omnis creatura; quia gloria est quid excellentissimum, sicut in mundo nil excellentius homine reperitur; tandem quia Christus verus Deus et verus homo obiectum est beatitudinis nostrae. Hinc enim ait: *Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis ;* quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ei ultra non dominabitur.* [52]

Gloria paradisi est gaudium aeternum absque omni tristitia.

Gaudium vestrum: hac solum voce veluti definit Dominus gloriam paradisi. Quidnam gloria paradisi est? *Gaudium,* haec enim vera est beatitudo animi, gaudium absque omni tristitia. Quandiu enim homo animo gaudet, liber ab omni tristitia, beatus est; si semper gauderet, semper beatus esset. Sed quia in coelo perpetuum est gaudium, perpetua item est beatitudo: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* In mundo hoc potest homo habere aliquod gaudium, sed omne gaudium mundi momentaneum est. Si quis thesaurum invenit, gaudet, sed mox superveniens cura conservandi gaudium destruit; si quis ducit uxorem pulcram et divitem, gaudet, etc. Beatitudo ergo gaudium perpetuum. Sicut enim Deus dicitur: *Sum qui sum,* [53] quia est omne esse, ita gloria paradisi dicitur *gaudium,* quia est omne gaudium: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

48) Io 16, 21. 49) Cf. Gn 41, 51. 50) Lc 24, 17. 51) Ibid. vr. 19.
52) Rom 6, 9. Vulg.: *Mors illi,* etc. 53) Ex 3, 14.

Gaudium vero oritur ex praesentia boni et fruitione ipsius, hinc gloria dicitur *gaudium* et omne gaudium, quia ibi omne bonum: *Ego ostendam tibi omne bonum:* [54] si quid enim ibi deesset bonum, non esset ibi omne gaudium nec perfecta beatitudo. Est enim haec sicut pulcritudo mulieris, quam vel minimus naevus deturpat, aut sicut sanitas corporis, quam vel unius dentis dolor universam infirmat; sic boni cuiuscunque defectus universam beatitudinem destruit. Hinc ait: *Ostendam tibi omne bonum.* Unde ex omnis boni fruitione sequitur omne gaudium: *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* sicut nox in diem, hiems in aestatem. Sed gaudium mundanorum vertetur in tristitiam, contrariorum enim eadem est disciplina; [55] si enim nox in hoc hemisphaerio vertitur in diem, in opposito dies convertitur in noctem; sic luce clarius patet in Lazaro et epulone. [56] **quia possessio est omnis boni.**

Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Significatur hic nobis quae sit Sanctorum gloria tum obiectiva tum formalis. Obiectiva Christus est: *Iterum,* ait, *videbo vos,* ut enim totum hominem beatificaret, Deus ipse voluit fieri homo, ut in visione divinitatis beatificaretur spiritus et in visione humanitatis caro; beatitudo vero formalis est gaudium cordis perpetuum: *Gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* **Beatitudo obiectiva Christus est, formalis gaudium perpetuum.**

54) Ibid. 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.*
S. Thomas, *S. Theolog.*, 2a 2ae, q. 92, a. 2.

55) Axioma philosophicum, de quo c .

56) Cf. Lc 16, 19 sqq.

DOMINICA IV POST PASCHA

Loquitur Christus de sua ascensione

I. Sicut Deus non dedit coelestem Hebraeis dilectis legem nisi prius Moyses, transito mari Rubro, ascendit in summitatem montis Sinai legatione sua functus,[1] sic ait hodie Christus Apostolis, veris Israelitis: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*[2] Et primum quidem est mysterium ascensionis Christi in coelum, secundum vero mysterium adventus Spiritus Sancti.

et consolatur Apostolos praenuncians effectus quos Spiritus Sanctus operaturus erat

Sanctus Elias ascensurus divina virtute in coelum, consolabatur discipulum suum Eliseum duplicemque spiritum, quem petierat, promisit ei;[3] sic Christus hodie consolatur Apostolos et Spiritum Sanctum eis repromisit ostenditque quosnam effectus operaturus sit Spiritus Sanctus, tres scilicet actus hierarchicos: purgare, illuminare et perficere. Tria enim ait: *Arguet mundum de peccato* commisso, *de iustitia* dimissa et *de iudicio* neglecto:[4] hoc primum est; secundum autem: *Docebit vos omnem veritatem*[5] mysteriorum fidei et arcanorum Sanctarum Scripturarum; tertium: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis.*[6]

respectu mundi, respectu Apostolorum et respectu ipsius Christi.

Primum est respectu mundi, secundum respectu Apostolorum, tertium respectu Christi. Mundus arguitur, Apostoli docentur, Christus clarificatur Spiritus Sancti operatione, duplici inquam, spiritu Eliae, habuit enim spiritum profetiae et virtutem miracula faciendi. Sic et Apostoli Spiritu Sancto pleni Evangelium Christi praedicantes et divinae virtutis miracula facientes, mundum arguebant *de peccato* infidelitatis, quia non credebant in Christum, *de*

1) Cf. Ex 19, 10 sqq. 2) Io 16, 7. 3) Cf. 4 Rg 2, 1-15. 4) Io 16, 8.
5) Ibid. vr. 13. Ms.: *Docebit vobis.* 6) Ibid. vr. 14.

iustitia Christi ostendentes Christum fuisse iustum et sanctum ex eo quod *ascendit in coelum et sedet a dextris Dei,* [7] et tandem *de iudicio* quo diabolus iudicatus et damnatus est. Ostendebant se omni scientia et sapientia divinitus tanquam Salomon plenos, [8] et Christum super omnia magnificabant ostendentes eum esse Salvatorem mundi et in nomine tantum eius miracula quaeque facientes.

Spiritus Sanctus promittitur venturus ad mundum purgandum et arguendum.

II. Sicut ignis tres specialiter operatur effectus: purgat aerem ab omni infectione, illuminat et perficit suo calore, sic Spiritus Sanctus venturus promittitur ad purgandum mundum: *Arguet mundum de peccato,* idest reprehendet et etiam argumentis demonstrabit peccare omnes qui non credunt in Christum, sicut peccabant olim qui non credebant Moysi et Prophetis; *de iustitia :* argumentis per Apostolos demonstravit Spiritus Sanctus Christum iustum fuisse, ob quam iustitiam ad Patrem ascendit, idest gloria coelesti super omnes Angelos coronatus fuit; *et de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* [9] *Nunc,* inquit, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* [10] Certissimis argumentis comprobaturus Spiritus Sanctus erat quod diabolus ob Christi iniustissimam mortem iustissime iudicatus damnatusque esset, eiectus a mundo ad tartara, veluti si quis tyrannus, fraude capta aliqua regis civitate, eam possideat rexque permittat in punitionem civium, qui sponte defecerunt a rege ad tyrannum; si tyrannus hic insolescat in unicum et dilectissimum filium regis, iure meretur eiici a civitate illa et morte damnari. Sic, inquit Christus: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Arguet* ergo Spiritus Sanctus *mundum... de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est,* iam confractum est serpentis caput; [11] iam Pharao in mari Rubro submersus est; [12] iam fortis armatus, qui custodiebat atrium suum, victus est; [13] iam a Davide amputatum Goliae caput [14] per Christi passionem et mortem, quia per eam deletum est peccatum, per quod satanas dominium habebat in humanum genus.

7) Mc 16, 19. Vulg.: *Assumptus est,* etc. 8) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12.
9) Io 16, 11. 10) Ibid. 12, 31. 11) Cf. Gn 3, 15. 12) Cf. Ex 14, 24 sqq.
13) Cf. Lc 11, 21-22. 14) Cf. 1 Rg 17, 50-51.

Triplici consideratione potest homo seipsum ab omni peccato purgare:

III. *Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.* Consideratione horum trium potest homo seipsum ab omni peccato purgare. Consideratione fidei, qui enim perfecte credit, non peccat. Omne autem peccatum vel oritur ex incredulitate vel ex fidei imperfectione. Adam peccavit, quia fidem magis satanae praestitit quam Deo;[15] hinc ait: *De peccato... quia non crediderunt in me.*[16] Si enim vere in Christum crederemus et Divinarum Scripturarum oraculis fidem integram praeberemus, minime peccaremus. Docet

fidei, virtutis

enim fides Deum, in quem peccamus, creatorem nostrum esse cui debemus quicquid sumus; patrem nostrum cui omnis debetur honor; dominum nostrum cui timor; Salvatorem et glorificatorem omneque bonum nostrum, cui omnis debetur amor. *De iustitia... quia ad Patrem vado.*[17] Non peccabit si quis consideret quanti faciat Deus iustitiam vitaeque sanctitatem quibusque bonis et qua gloriae corona iustos coronet. Sic quia Christus iustus fuit, ascendit ad Patrem et divinae dexterae assidet. Tandem *de iudicio... quia prin-*

et severitatis divini iudicii.

ceps huius mundi iam iudicatus est. Si quis tandem consideret severitatem divini iudicii, non peccabit in aeternum. Sicut enim ob unum tantum peccatum damnavit in aeternum satanam omnesque cacodaemones,[18] sic et in fine mundi omnes peccatores damnabit, quamvis unum tantum peccatum commiserint, dicens: *Ite, maledicti,* etc.,[19] sicut ob unum peccatum tantum eiecit parentes nostros ad mortem damnatos e paradiso.[20]

15) Cf. Gn 3, 1-6. 16) Io 16, 9. 17) Ibid vr. 10. 18) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 19) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 20) Cf. Gn 3, 6 sqq. Deest in codice Dominica Quinta.

IN DIE ASCENSIONIS

Quattuor sunt praecipua vitae Christi mysteria,

I. Quod patriarcha Iacob Deum humana forma indutum vidit in summitate coelestis scalae,[1] quod iterum Isaias eum vidit in coelo *sedentem super solium excelsum et elevatum*,[2] itemque Ezechiel in altissimo coelo supra gloriosissimum solium splendentem ad instar lucidissimi ignis,[3] designabat utique Christum, qui Deus est in humana forma, ascensurum in coelum. Hoc est etiam quod animal illud quadriforme Ezechielis, post faciem hominis, leonis et bovis, habebat faciem aquilae;[4] Christus enim faciem hominis habuit in incarnatione et nativitate, faciem vituli in passione et morte, faciem leonis in gloriosa resurrectione et faciem aquilae in admirabili sua ascensione.

ob quae Christus quattuor nominibus appellatur.

Et bene Ezechiel vidit eum ad instar lucidissimi ignis splendentem, nam sicut ignis est in substantia clarus lucidusque, in natura valde immortalis et impassibilis, summe activus, in materia valde tenuis et spiritualis, in motu levissimus et agilissimus, unde summa quadam pernicitate ascendit ad supera ibi perpetuo mansurus, sic gloriosum Christi corpus erat clarum, lucidum, impassibile, immortale, spirituale ac subtilissimum summeque agile. Hinc Christus in Scripturis dictus est אָדָם ratione incarnationis, אֱנוֹשׁ, idest dolore affectus et afflictus, ratione passionis, גֶּבֶר, fortis ut leo, ratione resurrectionis, et אִישׁ, quasi אֵשׁ, ignis,[5] igneus, ratione ascensionis.

1) Cf. Gn 28, 12-13. 2) Is 6, 1. 3) Cf. Ez 1, 26 sqq. 4) Cf. 10, 1-10.
5) Cf. supra Dominica III, pag. 420, not. 10.

Propria virtute Christus in coelum ascendit, super omnes Angelos exaltatus.

Sicut autem ignis suapte natura suaque virtute et forma ascendit ad supera, sic Christus non ut Elias igneo curru raptus est in coelum,[6] quamvis nubes eum susceperit in coelum,[7] sed sua virtute ascendit super omnes coelos. Sicut aquila virtute propria in altum volat super omnes aves, sic Christus super omnes creaturas hodie est exaltatus: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos,*[8] idest Angelos, nam: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*[9] In eo autem quod dicit: *omnia, nihil reliquit non subiectum ei,*[10] *praeter eum qui subiecit ei omnia,*[11] nam ait: *Sede a dextris meis.*[11*]

In gloria et honore factus Patri aequalis.

Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei,[12] in gloria et honore factus Patri aequalis. Sic visus est Christus in summitate scalae, sic aedificato gloriosissimo templo in civitate Ierusalem, rex Salomon magna cum totius regni exultatione arcam Domini in templum introduxit, eam in sancta sanctorum, suprema templi parte collocavit;[13] ita Deus hodie summus rex gloriae cum omnibus Angelis descendit ad assumendam in coelum sacram Christi humanitatem, in qua *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[14] in qua *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,*[15] potentiae et bonitatis Dei.

Considerandum est quis ascendit,

II. Considerandum autem nobis est quis ascendit, qua virtute ascendit, in qua forma, qua gloria, unde et quo ascendit, quo tempore, et tandem ad quid ascendit. Ascendit Christus Deus et homo, auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, Dominus universi, unigenitus Filius Dei. Ascendit in virtute propria: *Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus et psallemus virtutes tuas.*[16] Nam interrogati Angelorum principes: *Quis est iste Rex gloriae ?... Quis est iste Rex gloriae ?* respondent: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio... Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.*[17] Sicut ergo [sol] propria luce splendet et propria virtute movetur, exultans *ut gigas ad currendam viam,*[18] a summo coelo egrediens et illuc iterum re-

qua virtute,

6) Cf. 4 Rg 2, 11. 7) Cf. Act 1, 9. 8) Ps 96, 9. 9) Ps 8, 8.
10) Hebr 2, 8. Vulg.: *Nihil dimisit,* etc. 11) 1 Cor 15, 27. 11*) Ps 109, 1.
12) Mc 16, 19. 13) Cf. 3 Rg 8, 1-10; 2 Par 5, 1-5. 14) Col 2, 9.
15) Ibid. vr. 3. 16) Ps 20, 14. 17) Ps 23, 8 sqq. 18) Ps 18, 6-7.

vertens, sic Christus sua virtute ascendit, tanquam ignis, tanquam aquila. Ascendit autem non in forma Dei qua, verus Deus cum sit, ubique est totus per essentiam, potentiam et praesentiam, sed in forma hominis. Ascendit cum gloria et maiestate infinita; sicut enim veniens ad iudicandum veniet in maiestate et cum eo omnes Angeli, [19] sic in maiestate ascendit adoratus ab omnibus Angelis tanquam Rex gloriae. Sic gloriosissima nubes, in qua omnes Angeli paradisi erant, tanquam currus triumphalis suscepit Christum in coelum: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium;* [20] hodie *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* [21] Ascendit cum infinita exultatione et iubilo omnium Angelorum cantantium et psallentium. Ascendit a Bethania, quod est Ecclesiae typus, a monte Oliveti, quod gratiam virtutumque culmen designat; meruit enim sibi Christus gloriam ascensionis obedientia: *Factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum:* [22] ascendit usque ad thronum Dei, super omnes coelos, super omnes Angelorum choros. Ascendit quadragesimo die post resurrectionem suam, [23] sicut populus Israel quadragesimo anno post exitum ex Aegypto ingressus fuit in felicissimam terram. [24] Ascendit autem ut portas coeli bonis aperiret ob Adae peccatum clausas: *Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae;* [25] ascendit ut, reseratis portis paradisi apertoque coelo, videremus gloriam ad quam praedestinati sumus; ascendit ut praepararet nobis locum, [26] ut sciremus nos quoque eo per ipsius gratiam ascensuros, si vere fideles fuerimus; ascendit ut mitteret nobis Spiritum Sanctum Paraclitum, [27] consolatorem, advocatum, adiutorem, defensorem, tutorem et patronum nostrum; ascendit ut ostenderet nos peregrinos in hoc mundo esse.

qua forma et gloria,

unde et quo ascendit,

quo tempore, et ad quid ascendit.

III. Sol qui per decem lineas magno miraculo retrocesserat, per eosdem gradus reversus fuit; [28] sic Christus, *Sol iustitiae,* [29] minoratus ab Angelis cum in inferiores partes terrae descendisset, hodie super omnes coelos ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit. Hodie

Christus ad infima cum descendisset, hodie ad suprema ascendit,

19) Cf. Mt 25, 31. 20) Ps 67, 18. 21) Dn 7, 10. 22) Phil 2, 8-9.
23) Cf. Act 1, 3. 24) Cf. Ex 16, 35; Ios 5, 6. 25) Ps 23, 7. 26) Cf. Io 14, 2.
27) Cf. ibid. 16, 7. 28) Cf. 4 Rg 20, 11; Is 28, 8. 29) Mal 4, 2.

summus sacerdos in sancta sanctorum ingressus est, Christus summus pontifex coelum penetravit. Huius quidem exemplar, figura et typus erat illud sanctum sanctorum, ubi sedes et thronus Dei erat. Hodie rex David tertio unctus et coronatus est rex in Ierusalem super omnes tribus Israel; primo enim fuit unctus rex in domo patris,[30] secundo in Hebron,[31] tertio in Ierusalem;[32] sic Christus, cum primo fuerit secreto unctus rex in utero Virginis; secundo in Hebron, in t r a n s i t u ,[33] in sua resurrectione, quando transiit a morte ad vitam, ubi ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[34] tertio hodie in sua gloriosa et admirabili ascensione, dum assumptus in coelum et sedens ad dexteram Patris, tanquam summus Rex gloriae adoratur ab omnibus Angelis. Hodie rex David secundo ungit Salomonem in regem super universum Israelem, primo enim ungere eum fecit a Sadoch sacerdote et Nathan propheta in Gihon[35] et secundo in Ierusalem coram omnibus principibus et magnatibus Israel, summa cum totius populi laetitia et exultatione;[36] sic Christus a suo Patre constitutus fuit rex in resurrectione et hodie magna cum laetitia in sua ascensione in coelesti Ierusalem coram omnibus Angelis et Sanctis Dei.

tanquam summus rex gloriae ab omnibus Angelis adoratus.

30) Cf. 1 Rg 16, 12-13. 31) Cf. 2 Rg 2, 4. 32) Cf. ibid. 5, 3; 1 Par 11, 2.
33) Sic latine interpretatur *Hebron*, si hebraice scribatur cum ע, ab עֲבַר, cf. Is 30, 32; aliter vero si, ut solet, scribatur cum ה: חֶבְרוֹן. 34) Mt 28, 18. 35) Cf. 3 Rg 1, 32-40. 36) Cf. 2 Par 29, 22.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, etc. [1]

Promittit Christus Spiritum Sanctum ad idem munus exercendum quod ipse exercuit.

I. Hebraei in deserto per diem ducebantur columna nubis, per noctem vero columna ignis. [2] Columna nubis lucidissima fuit Christi figura, in quo erat nubes humanitatis et lux divinitatis; columna vero ignis Spiritum Sanctum praefiguravit, qui in igne super Christi discipulos descendit. [3] Sicut autem utriusque columnae unum idemque erat munus, dirigere populum Dei et ducere in terram promissionis, sic unum idemque munus fuit tum Christi tum Spiritus Sancti, hinc ait: *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,* [4] designans se quoque fuisse Paracletum eorum.

Sicut Christus fuit verus Paracletus Apostolorum, talis fuit etiam Spiritus Sanctus,

Et utique sic est, nam paracletus p a t r o n u m designat, t u t o r e m, c o n s o l a t o r e m, a d v o c a t u m et m o n i t o r e m exhortatoremque. Et Christus quidem vere discipulorum suorum patronus tutorque fuit, consolator in tribulationibus, advocatus apud Deum, exhortator ad opera virtutum, defensor ab inimicis, qui vere tanquam pater eorum curam habebat; sic inquit: *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,* qui loco mei sit vester patronus et tutor, qui vos in tribulationibus consoletur, qui apud Deum in vobis sit vester advocatus - *nam quid oremus . . . nescimus, ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* [5] -

1) Pericope huius diei Io 15, 26-16, 1-4. Cf. Missale Rom. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Paraclitus.* 2) Cf. Ex 13, 22 sq.; Nm 14, 14; 2 Esr 9, 12. 3) Cf. Act 2, 1-4. 4) Io 14, 16. 5) Rom 8, 26. Vulg.: *Sed ipse spiritus*, etc.

vester exhortator ad sancte perfecteque vivendum, vester defensor, maxime ab invisibilibus inimicis.

fuit enim verus eorum consolator in omni tribulatione,

Et vere sic accidit. Cum enim Apostoli Spiritum Sanctum accepissent, ab eo in omni tribulatione consolabantur: *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,* [6] unde *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* [7] Sicut tres pueri in medio fornacis ardorem ignis minime sentiebant, quando descendit Angelus de coelo qui eos ibi defendebat et consolabatur, [8] sicut rubus Moysi ardebat et non comburebatur, [9] sic Apostoli, accepto Spiritu Sancto, in tribulationibus non deficiebant, sed consolabantur; sicut enim ignis nocturnas pellit tenebras et frigus propria luce proprioque calore, sic Spiritus Sanctus a cordibus eorum pellebat omnes tenebras tristitiae et frigus tribulationis.

eorum apud Deum advocatus, exhortator,

Eorum item advocatus erat, unde Spiritu Sancto acti erant perseverantes in oratione, unde orationi tantum et verbi ministerio instantes erant, [10] ipse enim Spiritus postulabat in eorum cordibus mundi salutem *gemitibus inenarrabilibus.* Ipse erat eorum monitor et exhortator, unde coelestem quandam vitam ducebant in terra: *Nostra autem conversatio in coelis est,* [11] non enim secundum carnem, sed secundum spiritum vivebant, [12] *fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo ... continentia, castitas.* [13] Ipse eis fuit protector et defensor ab hostibus invisibilibus, muniens eos fide, spe, caritate omnibusque virtutibus, ut possent *omnia tela nequissimi ignea extinguere,* [14] nam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum;* [15] sed ipsi Spiritus Sancti virtute, sobrii et vigilantes fortesque in fide diabolo resistentes, [16] vicerunt invicti et una cum eo carnem cum omnibus suis vitiis et concupiscentiis mundumque universum cum suis vanitatibus et erroribus.

protector et defensor.

6) 2 Cor 1, 4. 7) Act 5, 41. 8) Cf. Dn 3, 49. 8) Cf. Dn 3, 49-50. 9) Cf. Ex 3, 2. 10) Cf. Act 6, 4. 11) Phil 3, 20. 12) Cf. Rom 8, 13. 13) Gal 5, 22-23. Vulg.: *Benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides,* etc. 14) Eph 6, 16. 15) Ibid. vr. 12. 16) Cf. 2 Petr 5, 6-9.

II. Hunc ergo Paraclitum promittit se missurum eis a Patre. Misit enim tanquam Deus, quia Spiritus Sanctus ab ipso procedit, unde dicitur *Spiritus veritatis*[17] et *Spiritus Christi;*[18] et etiam qua homo, nam meruit nobis Christus Spiritum Sanctum, ideo inquit quod *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,*[19] nam per suam passionem vel maxime Christus meruit nobis gratiam Spiritus Sancti.

Spiritus Sanctus dicitur missus a Christo,

Vocat eum *Spiritum veritatis*, quia docturus eos erat omnem veritatem fidei, spei et caritatis, quid credendum foret, quid sperandum, quid amandum, quid timendum, quid agendum, quid fugiendum. *Qui a Patre procedit*, consubstantialis, coaeternus et coaequalis in essentia, in potentia, in sapientia, bonitate, gloria et maiestate. Sicut calor procedit ab igne et radius a sole amorque a corde, sic Spiritus Sanctus a Patre Filioque; unde magnum plane et infinitum est donum quod se missurum eis repromittit.

vocatur Spiritus veritatis a Patre procedens.

Ille testimonium perhibebit de me.[20] Testimonium Christo perhibet lex universa cum omnibus Prophetis, unde in gloriosa Christi transfiguratione apparuerunt Moyses et Elias,[21] testimonium perhibuere Angeli in eius nativitate,[22] testimonium Pater in baptismo[23] et in transfiguratione,[24] testimonium innumera quae ipsemet in mundo operatus miracula fuit, testimonium ipsemet Spiritus Sanctus, qui super eum in columbae specie descendit.[25] Quid adhuc testimoniis opus est?

Lex universa testimonium perhibet de Christo,

Verum ob nimiam rei difficultatem, necessitatem dignitatemque adhuc testimoniis opus erat, et maxime ob summam hominum indispositionem. Fides quidem in Christum hominibus ad salutem summopere necessaria erat: *Non enim aliud est sub coelo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,*[26] nisi in nomine Iesu; *sine fide* enim *impossibile est placere Deo,*[27] nam *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*[28] Hinc ait:

sed quia difficillimum erat homini persuadere Christum Deum esse,

17) Cf. Io 14, 17; 15, 26; 16, 13; 1 Io 4, 6. 18) Cf. Rom 8,9; Phil 1, 19; 1 Petr 1, 11. 19) Io 7, 39. 20) Ibid. 15, 26. 21) Cf. Mt 17, 3; Mc 9, 3; Lc 9, 3; Lc 9, 30. 22) Cf. Lc 2, 9-14. 23) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 24) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 34-35. 25) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32.
26) Act 4, 12. Vulg.: *Nec enim aliud nomen est*, etc. 27) Hebr 11, 6. 28) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum*, etc.

Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam; [29] nam *nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* [30] At difficillimum erat hominibus credere quod homo in crucis patibulo infami suspensus et mortuus inter latrones tanquam sceleratus latro, iniquus et pessimus homo, esset Filius Dei, verus Deus, naturae auctor, fons gratiae, rex gloriae, redemptor mundi, salvator generis humani. Christus item dignissimus erat qui ab omnibus coleretur, sanctificaretur et glorificaretur divinis summisque honoribus; hinc voluit Deus ut nedum omnes creaturae, terra, mare, aer, coelum, stellae coeli, homines, Angeli, sed etiam universa Trinitas illi testimonium perhiberet quod vere esset Filius Dei.

necesse fuit ut tota Trinitas testimonium Christo perhiberet.

II. ALIA HOMILIA [1]

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum, etc. [2]

I. Tanquam divinus vates in hodierno Evangelio Christus praedicit Ecclesiae suae et divinos favores et mundanas persecutiones. Sicut enim luna posita est media inter solem et terram: ab illo illuminatur et ab hac eclipsatur, ita Sancta Ecclesia posita est inter Deum et mundum: a Deo accipit mille favores, a mundo vero mille persecutiones. Sicut olim synagoga gravissimas passa fui persecutiones ab Aegyptiis, Madianitis, Chananaeis et Philisthaeis Assyriisque, populis inimicis Deo, sed tamen ab ipso Deo semper protecta fuit; [3] ita et Ecclesia sicut domus Elisei inter duos exercitus: hinc circumdata ab exercitu Assyriorum, qui a rege missi fuerant ad Eliseum capiendum, hinc vero ab exercitu Angelorum ad defensio-

Ecclesia semper a mundo oppugnata, semper a Deo protecta fuit.

29) Io 3, 15. 30) Ibid. 8, 24. Vulg.: *Si... non credideritis*, etc.

1) Homilia haec cum inscriptione: « Dominica infra Octavam Ascensionis », a collectore inserta fuit in *Sanctorale*, fol. 20-21, post festum S. Matthaei Apostoli. At, ex diversitate etiam atramenti et magnitudinis foliorum, sunt enim minora ceteris, clare patet eam inconsiderate ibi insertam fuisse. Ideo nos hic eam collocavimus, utpote aptiori loco.
2) Pericope huius diei Io 15, 26-16, 1-4. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Ps 78, 1 sqq.; 104, 23 sqq.

nem et tutelam;[4] sicut civitas Ierusalem a Sennacherib cum validissimo exercitu oppugnata, sed a Deo protecta et liberata.[5]

Ad eius consolationem Christus hodie ipsi promittit Spiritum Sanctum.

Ad consolationem suorum Deus misit Prophetas sanctos, postea misit Filium suum, nunc Spiritum Sanctum promittit, qui *Paraclitus* dicitur ob munus consolandi afflictos, sicut et Christus; nam alias dixit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.*[6] In uno autem sermone, quem Dominus ad Apostolos habuit, Spiritum Sanctum quinquies promisit: *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis; Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia;*[7] *Cum... venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit;*[8] *Si... non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;*[9] et: *Cum... venerit ille Spiritus veritatis, docebit omnem veritatem... et quae ventura sunt annunciabit vobis.*[10] Et semper dicitur consolator, nam in ultima promissione non exprimitur quidem, sed intelligitur, nam articulus: *Cum venerit ille*, generis est masculini, cum spiritus, graece τὸ πνεῦμα,[11] sit generis neutri. Quare intelligitur: *Cum venerit ille Paraclitus;* deinde per appositionem: *Qui est Spiritus veritatis.*

Quinque de causis Ecclesiae promittitur Spiritus Sanctus.

Promittitur autem quinque de causis. Primo, ad docenda mysteria fidei; secundo, ad confirmanda corda et stabilienda in fide; tertio, ad convincendum mundum: *Arguet mundum;*[12] quarto, ad sanctificandas animas, propterea dicitur *Spiritus Sanctus*, et quinto, ad consolandos afflictos in adversitatibus et persecutionibus propter iustitiam,[13] propterea *Paraclitus* dicitur, quod consolatorem significat et hortatorem, qui animum roborat.

Ostenditur hodie Christus princeps summae auctoritatis

II. *Cum venerit Paraclitus, quem ego*, etc. Sicut Moyses princeps fuit summae auctoritatis et propheta summae veritatis, non propheta solum, sicut Elias, Eliseus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, nec solum princeps, sicut Iosue, Gedeon, Samson et alii, sed simul princeps et propheta, sicut Samuel, sicut David, sicut Salomon, sicut Melchi-

4) Cf. 4 Rg 6, 11 sqq. 5) Cf. ibid. 19, 35-36. 6) Io 14, 16-17.
7) Ibid. vr. 26. 8) Ibid. 15, 26. 9) Ibid. 16, 7. 10) Ibid. vr. 13.
11) Ms.: *To pneuma.* 12) Io 16, 8. 13) Cf. Mt 5, 10.

sedech simul rex et sacerdos fuit,[14] Adam etiam in paradiso simul princeps et propheta fuit, nam prophetavit de Christo et Ecclesia;[15] ita Christus Dominus noster simul extitit princeps summae auctoritatis et propheta summae veritatis, sed infinitis partibus Moyse superior quanto Deus maior est homine. In hodierno Evangelio ostenditur princeps summae auctoritatis et propheta summae veritatis: ut princeps promittit suis fidelibus divinas consolationes et ut propheta praedicit mundanas tribulationes. Magna auctoritas, qua missurus est Spiritum Sanctum: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Promittit autem ad tria: primo quidem, ad confirmandam fidem testimonio suo; secundo, ad fortificandos fideles ne scandalizentur, sed sint fortes et perseverantes in fide; tertio, ad consolandos afflictos, unde *Actis* 9 legimus quod *Ecclesia... per universam Iudaeam... habebat pacem et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur.*[16]

et propheta summae veritatis.

Non solum autem promittit Christus divinos favores et praedicit mundanas tribulationes, verum etiam ut legislator, sicut Moyses, dat regulas et praecepta vitae ad bonum usum potentiarum animae nostrae: voluntatis, ne scandalizetur et cadat in peccatum, maxime in adversitate, in tentationibus, sed patienter perseveret, nam: *Qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,*[17] neque imitemur eos qui praeposterum habent religionis zelum: *Ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo;*[18] intellectus, ne sit plenus ignorantia Dei: *Haec* autem *facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me.*[19] cum tamen natus sit homo ad cognoscendum Deum, ignorans autem Deum ignorabitur,[20] et quia *non est scientia Dei in terra, maledictum et mendacium,* etc.;[21] tertio, ut memoria circa divina occupetur: *Reminiscamini quia ego dixi vobis.*[22] In bono usu harum potentiarum bona vita consistit.

necnon legislator, dans regulas ad bonum usum potentiarum animae nostrae.

III. Promissio quam in hodierno Evangelio habemus, plane divinissima est, quoniam ad utilitatem et consolationem nostram

14) Cf. Gn 14, 18-20. 15) Cf. ibid. 2, 23-24. 16) Vr. 31. Vulg.: *Per totam Iudaeam,* etc. 17) Mt 10, 27. 18) Io 16, 2. 19) Ibid. vr. 3. 20) Cf. 1 Cor 14, 38. 21) Os 4, 1-2. 22) Io 16, 4.

promittit Dominus missurum se Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit, idest qui verus est Deus, Deo Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis, ad confirmandam suo testimonio fidem nostram, quae cum prius confirmata fuerit a Prophetis: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent,*[23] confirmata ab Angelis in annunciatione[24] et in nativitate,[25] confirmata ab Elisabeth[26] et Zacharia,[27] a Magis,[28] a Simeone iusto et Anna prophetissa,[29] confirmata testimonio Ioannis Baptistae,[30] confirmata miraculis Christi, confirmata a Patre in Iordane[31] et in transfiguratione;[32] tandem voluit ut etiam a Spiritu Sancto, cuius opera Christus praedictus fuerat a Prophetis, conceptus in utero Matris, imo etiam incarnatus[33] et cuius opera praedicationem fuit exorsus,[34] confirmaretur testimonio etiam Apostolorum, sed per Spiritum Sanctum.[35]

Promissio missionis Spiritus Sancti plane divinissima est,

Quod summopere creditu difficile est, necesse est ut multis testibus, qui sint omni exceptione maiores, confirmetur. Mysteria autem nostrae fidei de Christo talia sunt, unde: *Domine, quis credet auditui nostro ?* idest cum audierint praedicationem nostram, *quis credet ? et brachium Domini cui revelatum est ?*[36] Agit autem ibi Isaias de mysterio passionis Christi. Quis credere potuisset Deum verum pati et mori posse? Cum vero fides haec esset mundo summopere necessaria, nam: *Sine fide... impossibile est placere Deo,*[37] propterea voluit Dominus tot divinis testimoniis confirmatam esse.

solus enim Spiritus Sanctus mundo persuadere poterat mysteria fidei.

Quoniam vero multa testimonia praeterita sunt, voluit ut haberemus duo testimonia perpetua: testimonium Spiritus Sancti: *Ut maneat vobiscum in aeternum Spiritus veritatis,* et testimonium Ecclesiae: *Et vos testimonium perhibebitis,*[38] pleni Spiritu Sancto, facti omni exceptione maiores propter divinam sapientiam, sanctitatem et auctoritatem. Ecclesia autem *columna* est *et firmamentum veritatis.*[39] Loquitur Spiritus Sanctus per Ecclesiam et Ecclesia per Spiritum Sanctum, qui semper est in Ecclesia et per Ecclesiam

Spiritus Sanctus semper est in Ecclesia et per Ecclesiam loquitur,

23) Act 10, 43. 24) Cf. Lc 1, 26-38. 25) Cf. ibid. 2, 8-14. 26) Cf. ibid. 1, 41-45. 27) Cf. ibid. vrr. 64 sqq. 28) Cf. Mt 2, 1-12. 29) Cf. Lc 2, 25-38. 30) Cf. Mt 3, 1-15; Mc 1, 4-9; Lc 3, 2-18; Io 1, 19-34. 31) Cf Mt 3, 16 sq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 32) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28.-35. 33) Cf. Mt 1, 20-21; Lc 1, 35. 34) Cf. Lc 4, 14-19. 35) Cf. Act 2, 1-42. 36) Is 53, 1. Vulg.: *Quis credidit,* etc. 37) Hebr 11, 6. 38) Io 15, 27. 39) 1 Tim 3, 15

docet divina fidei christianae mysteria: *Visum est.... Spiritui Sancto et nobis;* [40] *Non... vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis;* [41] *Non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* [42]

Ideo Ecclesia errare non potest.

Non ergo valet ratio haereticorum, quod Ecclesia possit errare, quia est congregatio hominum qui possunt errare; [43] nam si ita esset, etiam Prophetae et Apostoli homines fuerunt; ergo errare potuerunt? ergo non est adhibenda integra fides eorum doctrinae? Minime gentium! nam *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* [44] Spiritus autem Sanctus datus est Ecclesiae ut perpetuo maneat cum Ecclesia, et propter assistentiam Spiritus Sancti non potest Ecclesia errare: *Ipse testimonium perhibebit de me et vos testimonium perhibebitis.* [45]

Promittit Christus Spiritum Sanctum ad confirmandos in fide Apostolos eosque consolandos.

IV. Promittit hodie Dominus Spiritum Sanctum ad confirmandos in fide Apostolos, ne propter persecutiones scandalizarentur et a fide deficerent. Requirit enim a nobis integram solidamque et permanentem fidem, ne simus sicut illi qui *ad tempus credunt et in tempore tentationis,* etc. [46] Vult autem Dominus ut fides nostra sit bene probata, sicut Petrus apostolus ait: Nolite mirari *si oportet* vos *contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod,* etc.; [47] *Fidelis autem Deus... qui non patitur,* inquit Paulus, *vos tentari supra id quod potestis, sed facit... cum tentatione,* etc. [48] Sic missurum se dicit Spiritum Sanctum ad corroborandum cor et ad animum, in afflictione consolandum; sic enim misit Angelum de coelo ad consolandos tres sanctos iuvenes fornacis babylonicae. [49]

Promissionem et prophetiam Christi hodie cernimus adimpletas.

Videmus in hodierno Evangelio promissionem Christi et praedictionem propheticam, sed utrunque adimpletum; nam Apostoli, Spiritu Sancto accepto, sua praedicatione converterunt mundum ad fidem Christi. Opus plane divinum, nam cum fit aliquod opus instrumento non proportionato, opus illud divinum est, sicut Moyses

40) Act 15, 28. 41) Mt 10, 20. Vulg.: *Non... estis vos*, etc. 42) Act 6, 10.
43) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypothyposis*, part. 2, pag. 447-448.
44) 2 Petr 1, 21. 45) Io 15, 26-27. Vulg.: *Ille testimonium*, etc. 46) Lc 8, 1.
47) 1 Petr 1, 6-7. 48) 1 Cor 10, 13. Vulg.: *Qui non patietur... sed faciet*, etc.
49) Cf. Dn 3, 49-50.

extendens virgam divisit mare, [50] sicut Iosue arca siccavit Iordanem [51] et Elias pallio, [52] sicut sonitu tubarum corruerunt muri Iericho, [53] sicut Elias aquam adhibuit ad accendendum ignem de coelo. [54] Omnia haec opera divina fuerunt. Ita et conversio mundi per homines ineptissimos; videmus tamen factum. Sed non tantum promissionem, verum etiam prophetiam Christi videmus impletam de persecutionibus Ecclesiae. Utinam nos ita monitionem Christi servemus! *Reminiscamini quia ego dixi vobis.*

50) Cf. Ex 14, 21. 51) Cf. Ios 3, 14 sqq. 52) Cf. 4 Rg 2, 8. 53) Cf. Ios 6 12-30. 54) Cf. 3 Rg 18, 34-38.

IN DIE PENTECOSTES

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, etc. [1]

Promittit hodie Christus universae Ecclesiae Spiritum Sanctum,

I. Promittit his verbis Dominus Spiritum Sanctum, quem Spiritum saepe quidem aliquibus sanctis datum legimus in Divinis Scripturis, sed et saepe promissum Ecclesiae, unde Christus eum appellavit *promissionem Patris.* [2] Hunc datum legimus Moysi et septuaginta senioribus Israel, [3] hunc Eliae et Eliseo, [4] hunc descendisse super Iephte, [5] Gedeonem, [6] Samsonem, [7] hoc praeditum fuisse Davidem, [8] hoc plenum Ioannem Baptistam in utero matris. [9] Sed toti Ecclesiae datum minime legimus, sed promissum. Nam per Isaiam ait: *Effundam... aquam super sitientem et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam;* [10] per Ieremiam: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam, et erunt mihi in populum et ego ero eis Deus;* [11] per Ezechielem: *Dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant... et sint mihi in populum et ego sim eis in Deum;* [12] et: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis ve-*

sicut pluries promissus fuerat per Prophetas

1) Pericope huius diei Io 14, 23 sqq. Cf. Missale Rom. Cf. supra, Dom. infra Ascens. not. 4. Haec homilia in codice ponitur post sequentem Festum SS. Trinitatis, procul dubio errore collectoris. 2) Act 1, 4. 3) Cf. Nm 11, 17. 25. 4) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 5) Cf. Idc 11, 29. 6) Cf. ibid. 6, 34. 7) Cf. ibid. 13, 25. 8) Cf. 1 Rg 16, 13. 9) Cf. Lc 1, 15. 10) 44, 3. Vulg.: *Effundam... aquas.* 11) 31, 33. Vulg.: *Et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum.* 12) 11, 19-20.

stris, etc.;[13] per I o e l e m : *Descendere faciam super vos imbrem matutinum et serotinum sicut in principio, et implebuntur areae frumento et redundabunt torcularia vino et oleo;*[14] et post pauca: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt; sed et super servos meos et* super *ancillas ... in diebus illis effundam spiritum meum.*[15]

sub figura aquae et cordis.

In his autem vaticiniis Spiritus Sanctus per aquam et per cor vel maxime designatur: per aquam, sicut alibi I s a i a s : *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum venite,* etc.[16] similiter Dominus: *Qui... biberit ex aqua* viva, *quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua quam* etc.;[17] *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* et *flumina de ventre eius flent aquae vivae;*[18] aqua enim est tergens maculas, extinguens ardorem, levans sitim et fecundans terram; per cor autem, quoniam sicut Christus caput Ecclesiae est, ita Spiritus Sanctus cor est. Sicut enim cor in anima occulto motu influit in totum corpus vitalem calorem vitalesque spiritus in omnia corporis membra, ita Spiritus Sanctus. Et sicut cor sedes videtur esse amoris et odii, laetitiae et doloris, spei et timoris, nam a corde haec procedunt, sic Spiritus Sanctus causa est sancti amoris et sancti odii, laetitiae spiritualis et doloris poenitentiae, spei coelestis et timoris divini. Residet cor in medio pectoris: Spiritus Sanctus efficit ut semper media virtutis via incedamus, non declinantes neque ad dexteram neque a sinistram.[19] Laeso corde moritur animal, laeso Spiritu Sancto moritur anima, ut luce clarius patet in Anania et Saphira.[20]

Officia Spiritus Sancti declarantur hodie figuris venti et ignis.

II. Officia autem Spiritus Sancti declarantur hodie tum a L u c a symbolicis figuris venti et ignis, tum a I o a n n e nominibus Paracleti et magistri. Spiritus quidem vehementis symbolo declaratur virtus et efficacia Spiritus Sancti, licet non videatur ipse Spiritus natura invisibilis: *Spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat,*[21] quoniam invisibili

13) Ibid. 36, 25. 14) 2, 23-24. Vulg.: *Descendere faciet ad vos... implebuntur areae,* etc. 15) Ibid. vrr. 28-29. 16) 55, 1. 17) Io 4, 13-14. 18) Ibid. 7, 37-38. 19) Cf. Dt 5, 32; Ios 1, 7; 23, 6; Prv 4, 27; Is 30, 21. 20) Cf. Act 5, 1-10. 21) Io 3, 8.

natura constat aer, efficacia autem eius notissima est in mari et in terra. Ignis vero ad magnas silvas comburendas, quo terra coli et seminari possit vel in hortum redigi necessarius est: comburuntur spinae, rubi, arbusta et frutices, tunc arari potest et coli; sic ad comburenda omnia vitia animi ut virtutes plantari possint. Necessarius etiam ignis ad emolliendam duritiem aeris et ferri, ut a fabro elaborari possit; sic ignis iste ad emollienda corda. Durum enim est humanum cor, de eo nanque sic per Isaiam dicitur: *Scivi... quia durus es tu et nervus ferreus cervix tua et frons tua aerea.*[22] Ad hanc igitur duritiem emolliendam descendit hic ignis de coelo. Nam *cor durum malum habebit in novissimo,*[23] eo quod divinis inspirationibus non movetur, divinis minis non terretur, de peccatis commissis nil dolet, sed multi *laetantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis;*[24] adversitatibus frangitur et desperationibus ac blasphemiis in barathrum labitur. Igne autem hoc liquefactum cum Magdalena plangit peccata,[25] cum Paulo dicit: *Domine, quid me vis facere?*[26] cum Davide: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum,*[27] et *virtus in infirmitate perficitur.*[28]

nominibus etiam quibus hodie a Christo appellatur, dicitur enim *Paraclitus,*

A Christo autem appellatur *Paracletus,* idest advocatus, patronus, sive tutor et consolator. Advocatus, quia *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*[29] et a Deo nihil non obtinet; tutor est pupillorum: sine bono tutore pupillorum bona omnisque parentum facultas sicut fumus deficiunt; sic utique bona nostra sine Spiritu Sancto: patet in Adamo,[30] in Salomone;[31] consolator est: *Qui nos consolatur in omni tribulatione nostra,*[32] sicut medicus infirmos, sicut pater filios, sicut dux milites proeliaturos, sicut pastor oves diligenti cura et providentia. Dicitur etiam *Spiritus Sanctus Paracletus,* quasi incitator et exhortator: *tanquam Deo exhortante per nos.*[33] Spiritus quidem Sanctus fidelium mentes inhabitans hortatur ad virtutum exercitia; est sicut eques insidens equo, nam licet equus optime sit ab optimo magistro instructus, non tamen nisi cum ab equite regitur et moderatur exercet

22) 48, 4. 23) Eccli 3, 27. Vulg.: *Habebit male,* etc. 24) Prv 2, 14.
25) Cf. Lc 7, 36-38. 26) Act 9, 6. 27) Ps 107, 2. 28) 2 Cor 12, 9.
29) Rom 8, 26. 30) Cf. Gn 3, 1 sqq. 31) Cf. 3 Rg 11, 1-13. 32) 2 Cor 1, 4. Vulg.: *Consolatur nos.* 33) Ibid. 5, 20.

artis militaris vel dexteritatis opera; sic utique spiritus noster non erigitur ad supernaturalia nisi a Spiritu Sancto moderatus, nam non sumus sufficientes *cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis.* [34] Sicut oculus, licet sanus et aquilino visu praeditus, videre tamen nihil potest sine externae lucis beneficio, ita plane nos nihil possumus sine divina hac luce.

Nec tantum Paracletus dicitur, sed etiam *Spiritus Sanctus* et *Spiritus veritatis,* [35] quia animam sanctificat eam purgans, illuminans, perficiens et divina imagine ac similitudine informans, efficiens animam nostram Deo simillimam ac veluti unum eundemque spiritum cum Deo. *Spiritus Sanctus.*

Spiritus veritatis, quia, inquit, *docebit vos omnem veritatem,* [36] nec tantum veritatem quae intellectus obiectum est, sed etiam bonitatis veritatem, quae est voluntatis obiectum: *Qui... facit veritatem venit ad lucem.* [37] Unctio: *Docebit vos omnia*; magister est utriusque philosophiae et eius quae spectat ad intellectum et eius quae spectat ad voluntatem; sic universam legem, quam olim in duabus tabulis lapideis scripsit, [38] utranque nunc in tabulis cordis nostri scribit, [39] simul dans cognitionem veri et amorem boni virtutemque et divinam quandam efficaciam ad superanda mala et facienda bona, sicut legimus quod Spiritus Domini induit Gedeonem, irruit in Iephte et Samsonem, mutavit in virum alterum Saulem. [40] *Spiritus veritatis.*

III. Agens Divinus Vates Ioel de Spiritus Sancti missione, statim verba facit etiam de futuro universali iudicio: *Super servos meos et ancillas... effundam spiritum meum, et dabo prodigia in coelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis.* [41] Quid est hoc? Num statim post missionem Spiritus Sancti futurus erat dies iudicii? Et quidem si de iudicio particulari synagogae et excidio Ierusalem hic verba faceret Divinus Vates nil mirum esset, nam paucis post annis universa Iu- **Propheta Ioel coniungit missionem Spiritus Sancti cum universali iudicio.**

34) Ibid. 3, 5. 35) Cf. Io 14, 17; 15, 26; 16, 13. 36) Ibid. 16, 13. 37) Ibid. 3, 21. 38) Cf. Ex 31, 18; 34, 29. 39) Cf. 2 Cor 3, 3. 40) Cf. 1 Rg 10, 9. 41) 2, 29-31. Vulg.: *Magnus et horribilis.*

daeorum respublica funditus fuit eversa propter impiam in Christum perfidiam; sed luce clarius videtur verba facere de universali iudicio.

et ut sciamus divinum iudicium imminere.

Sed designat hoc quidem primo, quod inter missionem Spiritus Sancti et diem universalis iudicii nullum aliud celebrandum mysterium est, non alia danda lex, non alius venturus Christus; deinde vero, ut sciamus quod hinc nobis imminet divinum iudicium, si tanta divinae bonitatis largitate et abundantia accepta, vitam in melius non mutaverimus, sicut apud Isaiam legimus: *Quid... ultra debui facere vineae meae et non feci?* et: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas;* hinc ait: *Diruam maceriam eius*, etc.[42] Sic, inquam, quid amplius potuit facere Deus ut nos in officio contineret, et non fecit? Dedit legem, misit Prophetas, dedit unicum Filium suum et tandem Spiritum Sanctum. Quid amplius dari potest?

Grati ergo Deo esse debemus pro tanto beneficio.

Caveamus nobis, fratres; nam saepe Deus post magna collata beneficia, ingratitudine offensus magnas infligit poenas. Hebraei in Aegypto una cum Aegyptiis idola colebant, vero Deo contempto multis annis,[43] et tamen Deus nullam contra eos punitionem exercuit; sed cum post multa accepta beneficia in deserto vitulum aureum adoravere, severissime eos punivit omnesque delere voluit, et nisi Moysi precibus placatus fuisset, omnes utique delevisset.[44]

Ventus et ignis designant actionem Spiritus Sancti.

IV. *Factus est repente de coelo sonus tanquam... spiritus vehementis.*[45] Est Ecclesia veluti organum a sapientissimo artifice Christo mirabiliter compositum, ipse nanque divinus quidam est organista et citharoedus sicut David.[46] Sed sine flatu ac magno spiritu non edit sonum organum; Spiritu autem Sancto pleni Apostoli maxima cum consonantia novum Christi Evangelium praedicaverunt, hi quidem altius, illi vero humilius. Descendit etiam in igne,[47] quoniam Apostoli erant veluti bellica tormenta a Christo plena pulvere pyrico et globis ferreis, cum *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas;*[48] sed necessarius est ignis.

Factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus

42) 5, 4-5 Vulg.: *Debui ultra... et fecit labruscas.* 43) Cf. Ios 24, 14; Ez 20, 4-10; 23, 3-8; S. Augustinus *Enarr. in Psalmos*, ps. 80, (P. L. 37, 1037-1038). 44) Cf. Ex 32, 1 sqq. 45) Act 2, 2. 46) Cf. 1 Rg 16, 18-23. 47) Cf. Act 2, 3-4. 48) Lc 24, 45.

vehementis. Spiritum vehementem misit Dominus ad siccandas aquas diluvii,[49] et cum tota Aegyptus plena esset locustis, misit Deus ventum validum;[50] haec autem mysteria sunt, Spiritus Sanctus per haec designatur.

Spiritus Sanctus Ecclesiae necessarius est,

Necesse fuit ut Spiritum Sanctum suum Deus, Christus ipse Ecclesiae suae mitteret, quod inde patet si consideremus quidnam sit Ecclesia. P a u l u s ait quod virgo est Christo desponsata, pulcherrima quidem et absque ulla macula.[51] Quid ageret virgo inter adolescentulorum petulantium et lascivorum greges, si etiam germanus frater ipsius cum ea habitans et ab ipsa maxime dilectus, eo ingenio praeditus [esset] ut eam semper prostituere omni studio omnique conatu quaereret? An non necessarius huic esset integerrimus et vigilantissimus ac oculatissimus custos, alter Argus,[52] ad virginitatem eius servandam? Sic utique anima nostra est: sensus est germanus frater ipsius; hinc misit Deus Spiritum Sanctum. Sic P a u l u s ait *Romanis: Lex... spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis.*[53]

et nobis quoque.

Factus est repente de coelo sonus... spiritus vehementis. Sicut in corpore ad vitam sustentandam necessarius est calor naturalis in corde, quod totum veluti ignis est, sed ne nimio calore corpus absumerit adhibuit pulmonis flabellum, quod calorem illum respiratione refrigerat, sic amor noster veluti ignis est: opus est Spiritus Sanctus ad eum temperandum; hinc et nubes est nos protegens a solis ardoribus.

49) Cf. Gn 8, 1. 50) Cf. Ex 10, 12-19. 51) Cf. 2 Cor 11, 2; Eph 5, 27.
52) Alludit ad fabulam iuxta quam antiqui centum oculos Argo tribuebant custodienti iuvencam Iunonis. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 8, cp. 18, pag. 763; Ovid. *Amorum*, lib. 3, eleg. 4, vrr. 19-20; Iul. Hyginus *Fabulae*, fab. 145, pag. 35. 53) 8, 2.

DOMINICA TRINITATIS

Mysterium SS. Trinitatis in visione Isaiae adumbratum fuit,

I. Cantabant Seraphim apud Isaiam divinum trisagium dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth,* [1] divinam Trinitatem laudantes, de qua hodie Salvator loquitur dicens: *Euntes... docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* [2] Sed quid est, quaeso, quod assistebant? Nonne *millia millium* ministrant ei *et decies millies centena millia* assistunt ei? [3]

vidit enim gloriam Christi in medio duorum Seraphim, qui Patrem et Spiritum Sanctum figurabant.

Deinde, quid est quod Seraphim isti supra divinum thronum sunt visi: *Seraphim stabant super illud?* [4] At plane hic nonnisi Christum vidit Sanctus Propheta, Deum enim in humana forma vidit, ideo sedentem vidit, hinc Divus Ioannes Christi gloriam hic Isaiam vidisse testatur. [5] Hoc forte est quod Dominus in hodierno Evangelio ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* [6] quia ipse est Dominus sedens *super solium excelsum et elevatum,* [7] quia *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei,* [8] medius inter Patrem et Spiritum Sanctum, hi enim sunt duo Seraphim. Tres enim personae divinae tres spiritus sunt, unde in tribus Angelis Deus Abrahamo apparuit. [9] Sunt item tres Seraphim ardentes, quia Deus ignis est, [10] *Deus caritas est.* [11] Unus de istis Seraphim, accepto igne ex altari divino, descendit ad purgandum labia prophetae, ut Christi gloriam mundo praedicaret; [12] sic Spiritus Sanctus in igne descendit ad purganda labia Apostolorum, [13] ut

1) 6, 3. Vulg.: *Deus exercituum. Sabaoth* ex Liturgia Ecclesiae. 2) Mt 28, 19. 3) Dn 7, 10. 4) Is 6, 2. 5) Cf. 12, 41. 6) Mt 28, 18. 7) Is 6, 1. 8) Mc 16, 19. 9) Cf. Gn 18, 2. 10) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 11) 1 Io 4, 8. 16. 12) Cf. Is 6, 6-7. 13) Cf. Act 2, 1-4.

Christi Evangelium per universum orbem annunciarent: *Euntes... docete omnes gentes.*

Vidit ergo hic Vates Divus mysterium Sanctissimae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, Filium Deum in humana forma ob mysterium incarnationis Verbi, Patrem vero et Spiritum Sanctum in forma duorum Seraphim, quia sunt illi Spiritus altissimi omniumque nobilissimi. Sex alas habebant Seraphim et duabus tegebant capita sua, duabus pedes et duabus volabant. [14] Senarius autem numerus perfectus est et primus perfectorum; [15] summam ergo perfectionem in Divinis Personis mysterium istud designat, imo et infinitam, hoc est enim quod caput et pedes velabant Seraphim isti divini. Aeternitas quoque earum designatur, quod neque principium habuerint neque finem, Deus enim *A* est et *Ω*, *principium et finis* [16] principium sine principio, finis sine fine. Sex item hae alae forte potentiam et sapientiam Dei, iustitiam et misericordiam, bonitatem et caritatem Dei designant; potentia enim et sapientia sua infinita Deus mundum creavit, iustitia et misericordia redemit, bonitate et caritate ad aeternam beatitudinem praedestinavit.

Sex alae Seraphim significant summam in Divinis Personis perfectionem

II. Ob Trinitatis mysterium Deus in Scripturis Divinis dictus est אֱלֹהִים, יְהוָה אֱלֹהִים: [17] *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum;* [18] *Spiritus Domini*, רוּחַ אֱלֹהִים, *Spiritus Deorum.* Duo praecipua nomina attribuuntur Deo in Scripturis Divinis, esse et bonum: *Ego sum qui sum;* [19] *Nemo bonus nisi solus Deus.* [20] Deus, quia esse primum est, unus est; quia vero summe bonus, trinus est, omne enim bonum diffusivum est sui ipsius; [21] ita lux, ignis, sol lumen, splendorem, calorem communicant et quo maiores sunt, et maiora lumina diffundunt.

Deo praecipue tribuuntur esse et bonum.

Inquit Divina Scriptura quod Deus apparuit Abrahamo et enarrans huiuscemodi apparitionem ait quod apparuerunt ei tres viri, idest tres Angeli Dei in humana forma; quod quidem Abraham

14) Cf. Is 6, 2. 15) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 74, a. 1. 16) Apc 1, 8; 21, 6; 22, 13. 17) Ms.: *Elohim, Iehovah Elohim*, et infra: *Ruah Elohim*. 18) Ps 32, 6. 19) Ex 3, 14. 20) Lc 18, 19. 21) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas, *S. Theolog.*, 1ª, q. 5, a. 4.

Mysterium SS. Trinitatis cernitur significatum in apparitione trium Angelorum Abrahae.

existimavit vere homines esse, unde rogavit eos ut apud se manerent, ut quiescerent sub arbore, ut lavarent pedes suos, ut sumpto cibo recrearentur, unde festinavit ipse parare eis mensam. Quare non intellexit primo Abraham hanc esse divinam apparitionem, sed tres illos viros, in quibus Deus illi apparuit, vere homines esse credidit; postea tamen intellexit Angelos Dei esse, ac tandem eis tanquam Deo honores divinos tribuit,[22] mysterium Trinitatis Divinarum Personarum intelligens, uti vere est. Hinc ait apparuisse illi Dominum יְהוָה[23] cum apparuerint illi tres viri, quibus, quasi unus tantum esset, singulariter Abraham loquitur: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis;*[24] deinde ait pluraliter locutos esse et dixerunt: *Ubi est Sara uxor tua?*[25] Postmodum singulariter et dixit: Revertendo revertar ad te, vita comite, et Sarae erit filius. Cum autem Sara hoc audiens risisset, inquit, וַיֹּאמֶר יְהוָה:[26] *Cur risit Sara?* Num impossibile erit Deo verbum?[27] Sic saepe postmodum tres isti viri dicuntur יְהוָה,[28] quod est nomen essentiae Dei, quoniam tres Personae Divinae sunt unus solus verus Deus.

sicut postea sanctus patriarcha obscure intellexit ex divino colloquio.

Quoniam autem Trinitatis mysterium omnium difficillimum est, hinc Abraham non intellexit primo divinam hanc apparitionem, sed postea ex divino colloquio intellexit; ubi etiam datur intelligi quod tempore incarnationis Filii Dei, quae in conceptu et nativitate Isaac praefigurabatur, declarandum erat Trinitatis mysterium. Nam in omnibus apparitionibus ante hanc Deus apparuit Abrahae in humana forma, sed in specie unius tantum viri;[29] nunc autem cum conceptus et nativitas Isaac nunciatur, in specie trium virorum, quoniam ante incarnationem Deus unus in essentia colebatur, non cognita Personarum trinitate, sed post incarnationem colitur in fide Trinitatis.

III. Dicens Deus Moysi: *Ego* sum *Deus qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indi-*

22) Cf. Gn 18, 1-14. 23) Ms.: *Iehovah.* 24) Gn 18, 3. 25) Ibid. vr. 9. 26) Ms.: *Vaiomer Iehovah,* et infra: *Iehovah.* 27) Gn 18, 13-14. 28) Cf. ibid. vrr. 17. 20. 22. 26. 33. 29) Cf. ibid. 12, 1-7; 13, 14-17; 15, 1 sqq.; 17, 1-22.

cavi eis, [30] ostendit magnum illi beneficium contulisse revelando ei divinum suum nomen, idest multo maiorem suae divinitatis cognitionem ipsi quam Patriarchis tribuendo. Nam sicut lux solis mundo huic permulta commoda affert, unde *vidit lucem Deus quod esset bona,* [31] ita divinae cognitionis lux, cum sit vera sapientia, spiritui maxima emolumenta praebet. Quare Deus maximum utique universae Ecclesiae beneficium contulit cum ei per Christum Sanctissimae Trinitatis mysterium revelavit. Hoc enim nedum universis mundi sapientibus ignotum fuit, sed vix sanctis synagogae Patriarchis atque Prophetis notum fuit; siquidem in lege et Prophetis nullibi manifeste elucet Sanctissimae Trinitatis mysterium sicut in sacrosancto hodierno Evangelio: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Vere magnum beneficium Deus Ecclesiae contulit revelando per Christum hoc mysterium.

Philosophi quidem cognoverunt Deum per creaturam, nam *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas;* [32] sed ea quidem cognitio valde imperfecta fuit, sicut imperfectissime noctua solem Philosophi Deum cognoverunt, sed valde imperfecte;

30) Ex 6, 2-3. Vulg.: *Ego Dominus,* etc. In margine haec adiecta fuerunt: « Inter duodecim fidei articulos, quae sunt duodecim stellae sacrae coronae coelestis [mulieris], mysterium Sanctissimae Trinitatis lucidissime splendet tanquam sol inter planetas ac inter universa altissimi firmamenti splendidissima astra.

Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. In nostra generatione imprimitur nobis naturalis Dei imago, siquidem anima, quam in generatione accipimus, imago est Dei; in regeneratione vero imprimitur imago gratiae, nam et gratia est Dei imago; una est enim unusque supernaturalis divinusque habitus, trina autem in tribus theologicis virtutibus: fide, spe et caritate; vel si illa imago est, haec utique similitudo dicetur. Unde cum Deus hominem creaturus vellet ei non tantum naturam, verum etiam et gratiam tribuere, ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; ad imaginem* quidem quoad naturam, *ad similitudinem* vero quoad gratiam.

Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. In sacrosancto hoc Evangelio Christus novum quendam mundum creare videtur. Sicut enim Deus duo primitus magna corpora creavit: coelum semper mobile, terram vero semper immobilem, ita in Baptismo duo tribuuntur: fides immobilis et caritas bonis operibus semper mobilis; hinc duo hic dicuntur: *Baptizantes eos;* ecce fides; *docentes eos servare omnia:* ecce caritatis operatio. Sic homo vere est *microcosmos,* parvus mundus et quoad naturam et quoad gratiam.

Quod si coelum in duodecim partes dividitur, in duodecim, inquam, zodiaci signa, sicut annus in duodecim menses, similiter et caritas duodecim habet praecepta, decem quidem Veteris Legis, duo vero evangelica.

Sicut avi ad volandum duae alae necessariae sunt ambaeque pennatae, sic homini ad salutem ut in coelum ascendat duo haec quam maxime necessaria sunt, fides et caritas: fides quidem una ala est duodecim pennas habens, duodecim, inquam, articulos, caritas vero altera ala est duodecim similiter alas habens, duodecim videlicet praecepta utriusque Testamenti. Oportet autem integras esse has alas, nam: *Si quis in uno offendat, factus est omnium reus* ».

31) Gn 1, 4. Vulg.: *Vidit Deus lucem,* etc. 32) Rom 1, 20.

agnoscit. Hinc *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt... sed evanuerunt in cogitationibus suis.*[33] Cognoverunt enim Deum esse ens summum, aeternum et infinitum, principium a quo coelum et natura dependet.

Prophetae clarius cognoverunt Deum unum, sed non trinum;

Prophetae vero clarius Deum cognoverunt, sicut sol clarius splendet in ortu quam in aurora et primo diei crepusculo; cognoverunt hi Deum esse ens summum, aeternum, independens, infinitum, unicum omnium rerum principium. Sed non tantum, ut philosophi, Deum esse naturae principium, verum et gratiae, non tantum mundi gubernatorem, sed etiam Ecclesiae; cognoverunt eum Dominum, regem ac iudicem sanctissimum, iustissimum, optimum, maximum, infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis, itemque misericordiae, iustitiae et caritatis. At non manifeste Deum unum trinumque cognoverunt, Deum esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

solus Christus altissimam hanc cognitionem Dei nobis revelavit,

Hoc nostrum est privilegium, nobis divinissimum hoc incomprehensibile et ineffabile mysterium revelavit, nobis altissimam hanc sui cognitionem dedit, ut eum altissima summaque caritate diligeremus. Nam sicut lucem solis consequitur calor, ita cognitionem boni sequitur amor; incognitum enim bonum nequaquam diligitur, cognitum vero quo maius bonum est magisque cognoscitur, magis item magisque amatur. Deus autem infinitum est bonum, omne bonum, sicut sol omnis lux, ignis omnis calor, homo omnis natura.

ut Deum melius cognitum magis diligamus

Reprehendit A p o s t o l u s philosophos quod, *cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Deo autem cognito debetur cultus, honor et gloria tanquam summo regi, debetur summus amor tanquam summo bono, debetur summa aestimatio sicut infinito thesauro. Sed si mysterium hoc Trinitatis incomprehensibile est faciliusque homo mundum universum pugillo continere quam mysterium istud comprehendere mente possit, cur nobis revelare Deus id voluit? Revelavit quidem ut quo magis eum cognosceremus eo magis diligeremus. Et quidem hinc maxime constat Deum infinitum esse bonum et sui ipsius summe communicativum, cum Filium sibi consubstantialem, coaeternum et coaequalem genuerit, Sanctumque Spiritum similiter coaequalem sibi in omnibus produxerit et

33) Ibid. vr. 21.

absque huius cognitione mysterii non possemus, ut par est, redemptionis nostrae sacramentum cognoscere infinitamque in eo Dei tum potentiam, sapientiam et bonitatem, tum erga nos misericordiam, clementiam, et caritatem; non possemus cognoscere infinitum donum Dei, quoniam *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [34] donum item Spiritus Sancti.

Tandem ut fides nostra maius haberet meritum, unde nos maiori cum gratia in hoc mundo tum gloria in venturo saeculo donaret, *fides* enim *est substantia sperandarum rerum.* [35] Cum enim mysterium istud difficillimum sit captu et intellectu, siquidem incomparabiliter vincit humanae rationis vires magis quam lux solis vim oculorum nycticoracis, quo maior est difficultas eo maius est meritum. Si enim «fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum», [36] summum illa meritum habet cui nullum humana ratio praebet experimentum. [37]

et ut fides nostra maius haberet meritum.

34) Io 3, 16. 35) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.*
36) S. Gregorius *In Evangelia*, hom. 26, (P. L. 76, 1197). 37) Deest in codice Dominica infra Octavam Corporis Christi.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

Hodie Christus de divina misericordia loquitur.

I. Fatidicus Vates Isaias divinos Seraphim vidit sex alas habentes, ita dispositas ut duabus velarent capita sua, duabus vero pedes et duabus volantes. [1] Seraphim vero pulcherrimae divinissimaeque imagines sunt summi Dei, cuius in Scripturis Divinis inter multa, sex tamen sunt quae praecipue de eo demonstrantur: potentia et sapientia, iustitia et misericordia, caritas atque bonitas. Et duae quidem priores maxime in principio mundi elucent, duae postremae in fine, mediae vero in medio; primae, inquam, in opere creationis, postremae in opere glorificationis, mediae vero in opere redemptionis. Dominus autem noster Iesus Christus in sacrosancto hodierno Evangelio de una harum loquitur, de misericordia, inquam, Dei erga peccatores poenitentiam agentes, quam duabus parabolis demonstrat: pastoris erga ovem quae periit et mulieris drachmam perditam quaerentis, cui etiam tertiam addidit, filii, inquam, prodigi et clementissimi patris. [2]

Magna est misericordia Dei.

II. Magna plane misericordia Dei est, sicut et potentia et sapientia et iustitia et bonitas atque caritas, aequales enim uti in avibus hae alae in Seraphim visae sunt. Magna misericordia Dei est, hinc Moyses clamat: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millibus, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata.* [3]

Magna misericordia Dei uti effectus ipsi demonstrant. O christiane, si coelum vides, scito misericordiae Dei, opus esse: *Qui fecit*

1) Cf. 6, 2. 2) Cf. Lc 15, 3 sqq. 3) Ex 34, 6-7. Vulg.: *In millia*, etc.

coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia eius;[4] si terram, scito misericordiae eiusdem opere creatam: *Qui firmavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia eius;*[5] si magna luminaria coeli, solem, lunam et stellas, ab eodem scito profluxisse: *Qui fecit luminaria magna... solem in potestatem diei... lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia eius.*[6] Si enim videns Deus multa hominum scelera in diebus Noe, zelo iustitiae ductus mundum aquis diluvii inundavit atque destruxit,[7] cum omnia omnium saeculorum scelera a diebus aeternitatis praesentissima illi semper fuissent, quomodo mundum creasset, nisi illa clementissima illius misericordia induxisset? *Quoniam in aeternum misericordia eius.*

Ipsi enim tribuuntur opera creationis

Misericordia eius facit ut mundi providentiam tanquam pastor gregis habeat, ut prima hodierni Evangelii parabola demonstrat; misericordia eius in causa est ut animas nostras tanquam mulier pretiosissimas quasque margaritas gemmasque plurimi faciat summoque in pretio habeat, uti secunda parabola ostendit; misericordia eius operatur ut homines tanquam pater filios verissime cordialissimeque diligat, uti parabola tertia clarum facit; quibus etiam ostenditur nos oves, gemmas filiosque Dei esse.

et providentiae quotidianae.

Comparat Christus perditum peccatorem ovi et drachmae perditae. Est enim duplex peccatorum genus; quidam enim sunt ad instar ovis, quae separata a grege errans in deserto, lupum timens balat et suo balatu pastorem veluti quaerit, quam quidem facile pastor invenit tum ob balatum tum etiam quia non resistit pastori. Alii vero sunt ad instar drachmae, quae perdita in domo, manet sepulta in pulvere, nec vocem nec sonum habet unde cognosci possit ubinam sit, unde nonnisi maxima diligentia conquisita inveniri potest.

Elucet misericordia Dei maxime erga peccatores.

Imo triplex est peccatorum genus iuxta tres parabolas, quemadmodum tres mortuos Dominus suscitavit;[8] et quidam peccant in Patrem, quidam in Filium et quidam in Spiritum Sanctum, quemadmodum et R e g i u s V a t e s ait: *Beatus vir qui non abiit in*

Triplex est genus peccatorum erga quos Deus suam misericordiam exercet.

4) Ps 135, 5. 5) Ibid. vr. 6. 6) Ibid. vrr. 7-9. 7) Cf. Gn 6, 3-14; 7, 1 sqq.
8) Cf. Mt 9, 24-25; Lc 7, 14-15; Io 11, 43-44.

consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae, sive irrisorum, *non sedit.* [9] Sicut enim in virtutibus nemo repente fit summus, [10] sed dantur incipientes, proficientes atque perfecti, ita et in peccatis. Hinc loquens Christus de peccatoribus tria ponit: filium prodigum, ovem amissam et drachmam perditam, in quibus diversi videntur peccatorum gradus. Homo enim melior est ove, ovis autem drachma. Haec igitur infimum locum tenet, ovis medium, filius supremum. Hic sua sponte rediit ad patrem; multi enim divina tantum inspiratione moti convertuntur; at ovis quaesita est, non ex se venit ad gregem, difficilius ergo inventa; drachma tandem difficillime et summa diligentia perquisita: *Everrit* enim *domum et quaerit diligenter, donec inveniat* [11] eam. Sic reperimus peccatores conversos ad Christum in tribus his gradibus: Magdalena enim per se venit ad Christum, [12] Matthaeus vocatus a Christo, [13] Paulus prostratus ad terram. [14]

SECUNDA PARS

Contra murmurantes Pharisaeos ostendit Dominus peccatores misericorditer suscipiendos esse.

III. Murmurabat perfida Pharisaeorum malignitas contra piissimi Salvatoris nostri erga peccatores clementiam: *Quia hic peccatores recipit et manducat cum eis.* [15] Quare Dominus noster tribus parabolis in eos invehitur, quibus ostendit peccatores esse misericorditer ad salutem suscipiendos. Harum prima est pii pastoris, qui e centum amissam unam ovem diligenter quaerit et inventa laetatur; altera diligentis mulieris, quae e decem drachmis unam perditam mundana indagine, idest diligentissima quaerit, donec inveniat; tertia est haec hodierni Evangelii. De seipso ergo loquitur litteraliter Christus seipsumque pastorem pium ostendit, diligentissimam mulierem et amantissimum patrem, hoc est quod peccatores amat sicut pastor amissam ovem, sicut mulier amissam drachmam et sicut pater filium a se discedentem. Haec ergo vellem nos semper meditari, fratres mei carissimi et dilectissimae sorores.

9) Ps 1, 1. 10) Proverbium, de quo cf. S. Bernardus *De Gradibus Humilitatis et Superbiae*, cp. 9, (P. L. 182, 956). 11) Lc 15, 8. 12) Cf. ibid. 7, 37-38. 13) Cf. Mt 9, 9. 14) Cf. Act 9, 1-7. 15) Lc 15, 2. Vulg.: *Cum illis.*

Sensus igitur litteralis trium harum parabolarum hic est: O Pharisaei, vos de me murmuratis quod non vobiscum, sed cum publicanis et peccatoribus conversor, manduco et vivo. Quaeso, dicite: si pastor centum habens oves unamque earum perdiderit, num male ageret si perditam hanc quaereret? Si mulier habens decem drachmas amitteret unam ex eis, nonne bene utique ageret si hanc diligentissime perquireret? Si pater duos habens filios, unus ab eo discederet vitamque perditissimam duceret, postea vero hic poenitentia ductus ad eum rediret, nonne bene ageret si paterne eum domi reciperet? Imo etiam gaudium magnum magnamque festivitatem et convivium celebraret tanquam si mortuus filius ei revixisset? Quid ergo de me murmuratis quod peccatores recipiam et manducem cum eis? Num bene alter filius egit murmurans de patre? Nonne ipse quoque gaudere debuisset ac si frater eius a mortuis surrexisset?

tribus parabolis propositis,

In hac igitur parabola paterfamilias Christum designat, qui Deus cum sit, Pater est omnium nostrum; filius prodigus coetum publicanorum et peccatorum; alter filius murmurans congregationem Pharisaeorum qui de Christo murmurabant, qui tanquam filius hic iustos se existimabant, veluti ille pharisaeus qui cum publicano ascendit in templum ut oraret,[16] Christusque eos iustos dixit cum ait: *Non... veni vocare iustos, sed peccatores*[17] ad poenitentiam, non quod vere iusti essent, sed quia iustos se existimabant et in iustitia suorum operum confidebant hominibusque iusti videbantur, unde Christus sepulcris dealbatis eos comparavit.[18] Mos autem Scripturae est res appellare non quatenus verae sunt, sed quatenus apparent; hinc ait quod serpens tentavit Evam, quia serpens videbatur, cum diabolus esset;[19] hinc quod Abrahae tres viri apparuerunt, cum essent Angeli.[20]

praesertim tertia, qua Deum exhibet sub figura patris filium ad poenitentiam reversum recipientis.

IV. Vocat Christus peccatorem adolescentem, sicut etiam filius viduae Naim mortuus *adolescens* dicitur,[21] quoniam omnis peccans, ex vigore sensus carnis et mentis debilitate peccat; in adolescentibus enim viget maxime sensus carnis, ignis concupiscentiae ardet, mens autem debilis est et ratio rerum ignara. Quare innuit Christus con-

Ostendit etiam Christus concupiscentiam et ignorantiam radicem esse peccati.

16) Cf. ibid. 18, 10. 17) Mt 9, 13; Mc 2, 17. 18) Cf. Mt 23, 27.
19) Cf. Gn 3, 1. 20) Cf. ibid. 18, 2. 21) Cf. Lc 7, 14.

cupiscentiam esse peccati originem, sicut Divus Iacobus ait: *Unusquisque... tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; concupiscentia autem cum conceperit, parit peccatum;* [22] sic patet in peccato primorum parentum [23] et in peccato David. [24] Simul autem cum concupiscentia ignorantiam esse radicem peccati, si enim homo vere Deum, seipsum, virtutem, vitium, poenam agnosceret et gloriam, quasi a facie colubri peccatum effugeret. [25]

Per Baptismum Christus multos filios suscipit, sed non omnes fideles perseverant,

Pater, da mihi portionem substantiae, etc. [26] Christus in lavacro regenerationis et renovationis multos ab Ecclesia, quae sponsa ipsius est, recipit filios, quorum aliqui semper in perpetua innocentia vivunt, semper servientes Deo et nunquam mandatum eius transgredientes, sicut dicit alter frater hodie patri: *Ecce tot annis servio tibi et mandatum tuum nunquam praeterivi;* [27] alii ad aetatem adolescentiae, infantiae et pueritiae terminis transvolatis, pervenientes, carnis concupiscentia allectis in peccatum labuntur, in ea enim aetate habetur plenus rationis discursus, quomodo potest homo inter bonum et malum discernere, ideo in ea aetate potest, dimissa baptismali innocentia et gratia, in consilio impiorum abire et stare in via peccatorum [28] sequendo malorum hominum tum prava consilia tum mala opera, perditissimos mores et peccandi licentiam.

subtrahunt enim se ab eius obedientia,

Sic adolescentior filius ait patri: *Da mihi portionem substantiae quae me contingit.* Antequam homo christianus peccet, est Dei filius per gratiam in Baptismo receptam; in adolescentia autem habens rationis usum et liberum voluntatis arbitrium, tunc se ut pro libito suo vivat a Dei subtrahit obedientia, volens non Dei sed propriam in omnibus exequi voluntatem.

divinis beneficiis abutuntur

Portio autem quae hominem contingit est rationis usus, arbitrii libertas omnesque vires animae et corporis ac omne bonum vel naturae vel fortunae quod homo in mundo hoc possidet, quae omnia a Deo accepimus: *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* [29] Accepimus autem haec a Deo ut ipsum ex toto corde, anima, mente et viribus

22) 1, 14. Vulg.: *Deinde concupiscentia,* etc. 23) Cf. Gn 3, 6. 24) Cf. 2 Rg 11, 2-4. 25) Cf. Eccli 21, 2. 26) Lc 15, 12. 27) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Nunquam mandatum tuum,* etc. 28 Cf. Ps 1, 1. 29) 1 Cor 4, 7. Vulg.: *Si autem accepisti,* etc.

super omnia diligamus; sic Deus *divisit illis substantiam* suam, [30] nam *divisiones... gratiarum sunt.* [31] Multos autem qui in peccatis vivunt multas videmus gratias habere, divitias, honores, voluptatem, corporis sanitatem, membrorum integritatem, sensuum vigorem, pulcritudinem, gratiam, facundiam, eloquentiam, ingenium, iudicium, prudentiam, sagacitatem, memoriam, multam doctrinam ac sapientiam et alia huiuscemodi, quibus omnibus male uti videmus luxoriose vivendo, [32] idest secundum carnem non secundum spiritum, ut placet mundo non ut placet Deo, et ita vivere ac si nihil horum accepissent a Deo. Sic adolescens hic, *congregatis omnibus, peregre profectus,* abiit *in regionem longinquam;* [33] sic multi, multa cum a Deo acceperint beneficia, longe a Deo vivunt, longe intellectu, cum non cognoscant Deum nec a Deo omnia agnoscant, longe voluntatis affectu et cordis cogitatione, cum nec Deum diligant nec unquam de Deo cogitent, longe memoria, cum Dei sint obliti, sicut ait: *Populus... meus oblitus est mei diebus innumeris.* [34]

et longe a Deo vivunt.

30) Lc 15, 12. 31) 1 Cor 12, 4. 32) Cf. Lc 15, 13. 33) Ibid.
34) Ier 2, 32.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

Mandatorum observantia via ad coelum est.

I. Mittebat Salomon naves suas in Tharsis ut adducerent in Ierusalem aurum, argentum, ebur, simias et pavones;[1] Christus Iesus, verus Salomon; summi Dei Filius et rex universi, volens omnes homines salvari ad supernamque Ierusalem perduci, ad mundi huius Indias naves suas misit. Si quis autem salvari vult, mandata servet.[2] Mandatorum ergo observantia sicut via ad vitam est, ita et per fidem, spem et caritatem navis est quae homines perducit in coelum.

Ante adventum suum in mundum duas leges Deus dedit: naturalem et mosaicam.

II. Ante adventum suum duas naves misit Deus in mundum: legem scilicet naturae et Moysi legem, ut per illius observantiam salvarentur Gentiles, per huius vero ad salutem perducerentur Hebraei. Hi in deserto, e Monte Sinai lege suscepta,[3] in promissionis terram ingressi sunt, in figura quod per legis observantiam salvandi erant. Gentiles item per naturalis legis observantiam salvabantur, ita enim Divus Paulus *ad Romanos* ait: *Cum enim Gentes quae legem*, scilicet Moysi, *non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*[4] Per hanc legem salvati sunt omnes sancti patres qui Moysen aetate praecesserunt.

Hae duae leges forte duae sunt naves quas hodie Christus secus stagnum Genezareth reperit.[5] Christus enim in mundum adveniens has duas leges a se promissas adinvenit, utique ut adduce-

1) Cf. 3 Rg 10, 22; 2 Par 9, 21. 2) Cf. Mt 19, 17; Lc 18, 20. 3) Cf. Ex 19, 10-20, 1 sqq. 4) 2, 14-15. 5) Cf. Lc 5, 2.

rent in coelum aurum perfectorum hominum per caritatem, argentum doctorum, eloquia enim Domini iusta, argentum purum,[6] ebur innocentium, pavones hominum elegantia morum decoratorum, et simias Dei opera imitantium. Hi sunt pisces ad quos episcandos hasce naves misit Deus in mundum, ut piscatores, idest praelati sanctis praedicationibus et exemplis iustitiae veluti retibus ad naves suas, scilicet ad legum observantias peccatores homines adducerent, avocantes a mundi huius illecebris et mortiferis voluptatibus.

quibus tum Gentiles tum Hebraei salvari poterant,

At vero *piscatores... descenderant et lavabant retia*[7] sua, quia *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*[8] Quod prospiciens e coelo Deus descendit et in hunc mundum venit factus homo ascenditque in navim Simonis, quia *semen Abrahae apprehendit,*[9] factus sub lege,[10] qui legem venit non solvere sed adimplere,[11] rogavitque *a terra reducere pusillum,*[12] quia ex Hebraeis discipulos quosdam elegit, quos a mundana conversatione, ipso vivente, voluit aliquantulum esse separatos, evangelica eis praecepta tradens. Tunc inde praedicare coepit, quod ipsa praefigurabat piscatio, quia *sedens docebat de navicula* legis divinae *turbas.*[13]

usque dum venit Christus ad praedicandum,

Quattuor autem sunt quae vel maxime homines scire desiderant: quaenam sit Dei natura, quod mundi principium, generis humani quaenam origo ac demum quis finis. Haec autem et eos qui sub lege naturae et qui sub Moysi lege vixerunt, oportuit et credere et scire, ideo haec et philosophia exquisivit et lex perfectius explicavit, Christus vero prefectissime docuit. Ut *autem cessavit loqui,*[14] cum dixit in cruce: *Consummatum est,*[15] ex tunc enim, etsi resurrexit, Christus non amplius turbis praedicavit, sed dixit ad Simonem: *Duc in altum et laxate retia... in capturam*[16] piscium. Hoc fuit vere impletum quando, post resurrectionem ascensurus in coelum, dixit ad discipulos suos: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.*[17] *Duc in altum, docete omnes gentes*, praedicantes *Evange-*

mittens postea Apostolos in mundum universum.

6) Cf. Ps 11, 7. 7) Lc 5, 2. 8) Ps 13, 1. 3; 52, 4. 9) Hebr 2, 16.
10) Cf. Gal 4, 4. 11) Cf. Mt 5, 17. 12) Lc 5, 3. 13) Ibid. 14) Ibid. vr. 4.
15) Io 19, 30. 16) Lc 5, 4. 17) Mt 28, 19 sqq.

lium omni creaturae; [18] sic prendiderunt *piscium multitudinem copiosam.* [19] Petrus enim, accepta Spiritus Sancti virtute, una in concione tria millia hominum, [20] in alia vero quinque millia convertit. [21] *Rumpebatur autem rete* propter exurgentes haereses a principio nascentis Ecclesiae, et vocaverunt fratres *qui erant in alia navi.* [22] Apostoli enim aliique Christi discipuli cum Iudaeis praedicassent, et Gentes ad Christi fidem vocare voluerunt, ex quibus sapientes multi conversi sunt, veluti Lucas et Dionysius Areopagita, [23] qui et ipsi sua praedicatione multos ad Christi fidem converterunt.

In tribus quae hodie Petrus egit tres status fidelium designantur.

III. Tria egit hodie Christus: ascendit in navim Simonis Petri, secundo docuit *de navicula turbas,* tertio iussit duci in altum navim laxarique retia, unde magnum est secutum miraculum. Petrus item tria facit: desinit a lavandis retibus et cum Christo ascendit in navim, reducit a terra pusillum navim Christumque docentem audit, tertio, obedit Christi mandatis. In quibus tres utique designantur fidelium status: incipientium, proficientium et perfectorum. Primi relinquunt mundi vanitatem et ascendunt in navim Simonis Petri obedientiae stabilis Christumque per fidem et caritatem intra cordis sui navim suscipiunt; secundi reducunt a terra navim cordis ut orationi et divinarum rerum contemplationi dent operam, ubi Christum docentem audiunt coelestisque sapientiae luminibus illustrantur; tertii promptissime Christo obediunt etiam difficilia imperanti, ac per experientiam cognita infinita Christi virtute, admiratione et stupore pleni non gloriantur de mirabilibus operibus quae Christus per eos operatur, sed magis magisque humiliantur procidentes ad genua Iesu suaque peccata agnoscentes, unde tandem, *relictis omnibus,* [25] Christum sequuntur divinasque Christi virtutes, purgatis affectibus illuminatisque mentibus, imitantur.

18) Mc 16, 15. 19) Lc 5, 6. 20) Cf. Act 2, 41. 21) Cf. Ibid. 4, 4.
22) Lc 5, 6-7. 23) Cf. Act 17, 34. 24) Cf. Lc 5, 8. 25) Ibid. vr. 11.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

I. Si non adeo coelum excedit terram, mare quemlibet alium lacum, fluvius ille paradisi Iordanem, lux diei modicum noctis lumen, lux ipsa solis lunae splendorem, quantum fides et Evangelium Christi legem Moysi, mirum non est, dilectissimi, si praecipit Christus hodie ut iustitia nostra, qui sub Evangelio sumus, iustitiam scribarum et Pharisaeorum excedat, qui sub Moysi lege erant: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* [1]

Iustitia christiana superare debet Pharisaeorum iustitiam.

PRIMA PARS

II. Summum patriarcham omnium Abraham duas habuisse uxores [legimus] duosque ex illis filios generasse: Agar et Sara uxores, Ismael et Isaac filios. [2] Haec autem, secundum Apostolum *ad Galatas, sunt per allegoriam dicta,* [3] duo enim testamenta et duo sunt populi: Moysi testamentum et Christi, hebraeus populus et christianus. Haec duo sunt luminaria magna: Moyses et Christus, nam et illius cum legem tulit resplenduit facies, et Christi etiam faciei splendorem novimus; at illius faciei uti luna resplenduit, ideo *cornuta* [4] dicta est, huius vero *sicut sol.* [5] Quanto ergo sol lunae, dies nocti, Sara ipsi Agar, tantum Christi Evangelium legi praestat. Summa ergo ratione praecipit Christus hodie ut nostra iustitia, quae ex fide est, [6] abundet plus quam scribarum et Pharisaeorum quae

Lex evangelica infinite praestat legi mosaicae.

1) Pericope huius diei Mt 5, 20-24. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 16, 15; 21, 2-3. Ms.: *Filii.* 3) 4, 24. 4) Ex 34, 29. 5) Mt 17, 2. 6) Cf. Rom 10, 6.

ex lege est: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*

Utranque legem Christus iustitiam vocat, quia utraque legalem iustitiam docet, bona facere et mala vitare.

Utranque legem *iustitiam* vocat Christus, quia legalis virtus iustitia est et omnis virtus iustitia est, sicut omne vitium et peccatum iniquitas, sicut omnis defectus corporis infirmitas est, omnium vero et singulorum eius membrorum integritas partiumque perfectio sanitas. Item quia lex utraque et bona facere et mala praecipit evitare, quae partes iustitiae sunt. Et quidem propterea lex sic dicta est, quia ad haec facienda ligat et quod publice legatur, ut haec facienda doceat. Hinc Graecis lex dicta est νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν,[7] a distribuendo, quod unicuique quod suum est tribuat; Hebraeis vero dicta est תּוֹרָה, a verbo יָרָה,[8] quod est docere, quia quid bonum sit, quid vero malum docet, et a Moyse *sapientia et intelligentia* dicta est: כִּי הוּא חָכְמַתְכֶם וּבִינַתְכֶם: *Ipsa est sapientia et intelligentia vestra;*[9] intelligentia in cognoscendo vera bona et mala, sapientia in diligendo bona et odiendo mala. Qui autem haec facit, uti par est, vere iustus est, ideo legem hic Christus *iustitiam* vocat: *Nisi abundaverit iustitia vestra.*

Lex christiana nobilior est antiqua

III. Quod si oculate inspiciamus, videbimus plane quanta cum ratione velit Christus iustitiam nostram multo maiorem quam observatorum legis antiquae esse. Exploratum quidem est uniuscuiusque naturae essentiam, virtutem et operationem adeo sibi proportionatas esse, ut qualis essentia est talis et virtus, talis et operatio. Luce clarius id in sole et luna videre poterimus; ille enim natura lucidissimus est, haec luminosa minus; ille maiorem habet vim illuminandi, haec minorem; ille magis splendet, haec minus. Si ergo lex Christi est veluti lux solis, lex Moysi veluti lumen lunae, plane cum sit essentia et virtute nobilior, debet et operatione excellentior esse.

auctore et miraculis,

Et si paulo diligentius haec consideremus, inveniemus plane utriusque legis auctorem exstitisse Deum, sed illam dedit Deus *per Angelos in manu mediatoris*[10] Moysi, hanc autem non per Ange-

7) Ms.: Νεμος απο του νεμειν. 8) Ms.: תורה et: ירה. 9) Dt 4, 6. Ms.: *Chi hi hocmathchem ubinathchem.* 10) Gal 3, 19.

los, sed per Spiritum Sanctum, qui creator est Angelorum; non per Moysen, sed [11] per Christum, qui *tanto melior est* Moyse *effectus, quanto differentius* prae illo *nomen hereditavit;* [12] ille servus Dei, hic Filius Dei: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [13] Illa multis fuit miraculis confirmata, sed haec infinitis, *quae si scribantur per singula,* ut Ioannes ait, *nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* [14]

Praemium illius observantiae promissum felicitas est terrae Ierusalem et temporalis regni gloria, huic autem est coelestis beatitudo: regnum coelorum promittit Evangelium semper. Si scopum legis illius attendamus, ait: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [15] Christus vero: *Perfecti estote sicut... Pater vester coelestis perfectus est.* [16] Dedit lex virtutum exemplar infallibile, sed minime cognitum, quia *Deum nemo vidit unquam,* [17] Evangelium vero et infallibile et cognitum, quia Deum hominem, qui ait: *Exemplum... dedi vobis,* etc.; [18] *Discite a me, quia mitis sum,* etc. [19] praemio et scopo,

Item lex non poterat dare virtutem ad eam sanctitatem perveniendi, at vero Evangelium dat, quia Sacramenta novae legis gratiam conferunt et continent infinitam Christi gratiam et merita passionis: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [20] gratia quam confert,

Item si legis virtutem et formam consideremus, iustitia est: *Iustus autem ex fide vivit;* [21] fides autem legis imperfecta valde, nihil enim palam confitetur de Trinitate, de mundi redemptione et glorificatione, quare et spes valde erat infirma et caritas imperfecta; at Evangelium iustitia perfectissimum est, fide, spe et caritate ac gratia, quae hominem per Sacramenta a peccato iustificat, quod lex non faciebat. virtute et forma,

Si demum legis naturam inspiciamus, tria praeceptorum genera reperiuntur in lege: moralia quibus recte vivitur, caeremonialia quibus Deus colitur, et iudicialia quibus peccata castigantur. At [si] moralia consideremus, sunt quidem alia affirmativa, alia vero ne- natura praeceptorum moralium positivorum,

11) Ms.: *Sem,* loco: *Sed.* 12) Hebr 1, 4. 13) Mt 17, 5. 14) 21, 25. 15) Lv 11, 44; 19, 2; 20, 7; 1 Petr 1, 16. 16) Mt 5, 48. Vulg.: *Estote ergo vos perfecti,* etc. 17) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 18) Io 13, 15. 19) Mt 11, 29. 20) Io 1, 17. 21) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Gal 3, 11; Hebr 10, 38.

gativa; illis praecipitur ut fiant bona, istis ut evitentur mala. Sed omnia haec multo perfectiora in Evangelio reperiuntur. Nam si moralia consideremus, primum legis praeceptum est amor Dei: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc.; alterum vero: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*[22] Si lex praecipit ut toto corde diligatur Deus, perfecta videtur, quia qui totum dicit, nihil excludit.

praesertim caritatis tum erga Deum

At vero advertite intelligentes, quod in praeceptis[23] decalogi non reperitur hoc praeceptum, neque in tota lege, nisi in *Deuteronomio*, quae symbolum est Evangelii, unde graece dicitur: Δευτερονόμος, quod est altera lex, secunda lex, posterior lex; similiter et hebraice dicitur מִשְׁנֵה תּוֹרָה,[24] secunda lex; haec vero Evangelium est, quare praeceptum illud evangelicum est. Quod si legale dicere velimus, dicam quod quatenus legale imperfectum est, amor enim cognitionem sequitur,[25] quia incognita amare nequimus. Lex ergo taliter Deum nobis praecipit diligendum quatenus et cognoscendum; at cognoscimus Deum per legem tanquam creatorem tantum, ergo propter creationis mundi beneficium iubet nos Deum diligere; Evangelium vero recreationis nobis sacramentum proponit, quo Deus seipsum nobis donavit, ita quod propterea Deum diligentes, Deum propter Deum diligimus; hic vero amor perfectior multo est. Deinde lex praecipit Deum diligere, sed virtutem non dat ad diligendum; sed Evangelium et praeceptum et gratiam dat cum praecepto et habet sacramentum amoris.

tum erga proximum;

De proximo vero diligendo habet ut tanquam nos ipsos proximos diligamus,[26] de inimico vero diligendo nec verbum dicit; Evangelium vero et amicum imperat in Deo diligendum et inimicum propter Deum.[27] Item lex propter creationem tantum iubet proximum diligi; Evangelium vero propter id et multo magis propter redemptionem et glorificationem.

Quoad praecepta vero negativa inquit lex: *Non occides*,[28] manum prohibet, non animum; Evangelium vero nedum praecipit

22) Dt 6, 5; Mt 22, 37 39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 23) Ms.: *Praecepti.* 24) Dt 17, 18; Ios 8, 32. Ms.: *Miscne thorah.* 25) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 80, a. 2; q. 82, a. 3-4; 1ª 2ªᵉ, q. 8, a. 1. 26) Cf. Lv 19, 18. 27) Cf. Mt 5, 44 sqq. 28) Ex 20, 13; Dt 5, 17.

non occidendum, sed ut ne verbo quidem inimicum offendamus, imo nec odio habeamus, nec ei irascamur, imo ut et corde diligamus et ei bona faciamus et pro eo [29] oremus, cuius rei immensum nobis exemplum legislator Christus in cruce dedit; [30] in aliis quoque quibusvis aliis peccatis non tantum opus, sed et animum prohibet, nam: *Qui viderit,* inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* [31] Sed quid dicemus quod minima etiam oris peccata non admittit? *Amen dico vobis* quod de omni verbo otioso *quod locuti fuerunt homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* [32]

nobilior etiam est natura praeceptorum, negativorum

SECUNDA PARS

IV. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego... dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* [33] Erant quidem legis iudicia severa admodum et rigoris immensi; at si rigorem evangelicae iustitiae meditemur, sunt eius multo severiora iudicia. Sic praesens Evangelium testatur. Quaeso, nonne minus est hominem verbo tantum offendere quam occidere? Et nonne minus est tantum irasci quam iniuriam verbo inferre? Et lex quidem propter homicidium tantum ad mortem iudicat hominem: *Qui occiderit, reus erit iudicio, iudicio,* inquam, mortis: מַכֵּה אִישׁ וָמֵת מוֹת יוּמָת: *Percutiens hominem morte moriatur;* [34] at vero Christus inquit: Si quis *irascitur fratri suo, reus erit iudicio* mortis.

Iudicialia etiam praecepta Evangelii perfectiora sunt praeceptis legis antiquae

Et lex quidem temporalem comminabatur mortem sicut et vitam, at Evangelium minitatur aeternam: *Reus erit iudicio* aeternae mortis. Cuius rationem reddit Divus Ioannes in sua *Canonica* dicens: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est;* [35] ideo: Si quis *irascitur... reus erit iudicio,* ira enim odium fratris est, quia est appetitus vindictae et inferendi malum cupido.

quoad qualitates poenarum

29) Ms.: *Et eis... et pro eis.* 30) Cf. Lc 23, 34. 31) Mt 5, 28. 32) Ibid. 12, 36. Vulg.: *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum*, etc. 33) Ibid. 5, 21-22. 34) Ex 21, 12. Ms.: *Macche isc vameth moth iumath.* 35) 1 Io 3, 15.

et quoad iudicium culparum,

Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio.[36] Quid sit *raca* non satis apud Latinos et Graecos Doctores exploratum est. Est autem vox hebraea, quae v a c u u m et i n a n e significat. Hinc in *Psalmo* 2: לָמָּה רָגְשׁוּ גוֹיִם וּלְאֻמִּים יֶהְגּוּ־רִיק: *Quare tumultuatae sunt gentes et populi meditati sunt inane?*[37] Item *Genesi* 37: *Et miserunt Ioseph in cisternam veterem:* וַיִּקָּחֻהוּ וַיַּשְׁלִכוּ אֹתוֹ הַבֹּרָה וְהַבּוֹר רֵק אֵין בּוֹ מָיִם: *et cisterna vacua sine aquis.*[38] In libro *Iudicum* 9 dicitur de Abimelech quod *conduxit sibi... viros inopes et vagos*: וַיִּשְׂכֹּר בָּהֶם אֲבִימֶלֶךְ אֲנָשִׁים רֵיקִים וּפֹחֲזִים: *viros vacuos et vagos.*[39] Item eodem libro capite 11 de Iephte dicitur quod *congregati... sunt ad eum viri inopes et latrocinantes* וַיִּתְלַקְּטוּ אֶל־יִפְתָּח אֲנָשִׁים רֵיקִים: *viri vacui.*[40] Item *2 Paralipomenon* 13, ubi dicitur quod congregati sunt ad Ieroboam *viri vanissimi et filii Belial*: וַיִּקָּבְצוּ עָלָיו אֲנָשִׁים רֵקִים בְּנֵי בְלִיַּעַל,[41] ponitur eadem vox. Ex his ergo Sacrarum Scripturarum locis colligere possumus quisnam sit vocis huiusce sensus *rakah*, designat enim hominem inopem, vacuum, inanem.

condemnat enim Evangelium etiam verba iniuriosa, quamvis levia,

In hoc sacro Evangelio, ut breviter dicam, non significat nisi iniuriam verbo ex ira factam non multi momenti: *Qui* ergo *dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio*, hoc est iudicum congregatione, ut iuxta mensuram delicti sit et plagarum modus.[42] Si enim qui irascitur tantum *reus erit iudicio*, procul dubio qui foris ostendit irae signa gravius peccat, gravius ergo puniri debet.

nedum gravia,

Demum *qui... dixerit*: *fatue*, hoc est gravius iniuriatus fuerit, *reus erit gehennae ignis.*[43] Videtis iudicii christianae legis severitatem?

At vero iustissima sunt iudicia, si quis christianum hominem consideret: *Vos... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta,*

36) Mt 5, 22. 37) Vr. 1. Ms.: *Lamah raghsu goim uleumin iehegu rik.* 38) Vr. 24. Vulg.: *Miseruntque eum, etc.* Ms.: *Vaikahuhu vaiasclihu otho haborah veabor rek en bo maim.* 39) Vr. 4. Ms.: *Vaiscor Abimelech bahem anascim rekim upohazim.* 40) Vr. 3. Ms.: *Vaithlakethu el iiphtah anascim rekim.* 41) Vr. 7. Ms.: *Vaikabetsu halau anascim rekim ubene belial.* 42) Cf. Dt 25, 2. 43) Mt 5, 22.

populus acquisitionis.[44] Est enim christianus imago et similitudo Dei, filius Dei, frater Christi, heres Dei, coheres Christi, pupilla oculi Dei, membrum corporis Christi, concivis Angelorum. Talem ergo summum principem offendere nonne gravissima culpa ?

et iuste quidem, considerata dignitate christiana hominis.

Demum si caeremonialia praecepta Evangelii consideremus, multo sunt legis ipsius perfectiora. Quae enim munera legis illius sacerdotes Domino offerebant? Carnalia tantum; at legis huius sacerdotes offerunt Deo sacrificium immensi valoris, quod est Altaris Sacramentum, de quo dicit: *Cum ergo offers munus tuum ad altare*, etc.[45]

Caeremonialia quoque praecepta Evangelii perfectiora sunt legis praeceptis.

V. Ex his omnibus patere potest evangelicam legem tantae perfectionis, ut nec Deus ipse possit perfectiorem dare, si et auctorem et mediatorem et finem et scopum et formam iustitiae et naturam praeceptorum consideremus et media deveniendi in finem. Quid mirum ergo si Christus dicat abundantiorem debere esse nostram iustitiam quam scribarum? *Estote... perfecti sicut... Pater vester coelestis perfectus est.* Certe quanto Christus perfectior est Moyse, tanto quilibet christianus perfectior esse debet quolibet observatore legis, quales erant scribae et Pharisaei, viri qui summa religione praeseferebant.

Merito ergo Christus monet iustitiam nostram maiorem esse debere iustitia Pharisaeorum;

Sed heu! si hanc legis theoricam ex vitae christianorum practica hodie in mundo considerare volumus, longe abundantior erat iustitia illorum quam nostra. Num legem Christi nos observamus? Discutiamus, quaeso, praesentia Christi praecepta de non occidendo, de non iniuriando, de non irascendo, de inimicos diligendo, heu, heu me! haeccine a nobis observantur? Nos proximum tanquam nos ipsos diligimus? Dicant id, quaeso, hodie, inimicitiae, irae, rixae, detractiones, homicidia, et non consideremus quae Christus dicit: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum;* nisi legem Dei perfectius servaveritis quam scribae et Pharisaei servaverint, salutem aeternae vitae non consequemini. Faciamus ergo, dilectissimi, ut Deum toto corde diligamus et proximos nostros tanquam nos ipsos, et sic intrabimus in regnum coelorum.

hodie autem inter christianos contrarium cernitur.

44) 1 Petr 2, 9. 45) Mt 5, 23. Vulg.: *Si ergo offers munus*, etc.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN

Hodie agitur de magno divinae providentiae miraculo a Christo operato.

I. Si omnis homo paterfamilias, natura ipsa exagitante et amoris vehementi impulsu, non potest filiis suis, servis et universae familiae non providere, princeps quilibet non suum statum gubernare, rex regnum, imperator imperium, monarcha monarchiam, senatus universam rempublicam, quid mirum si Deus, cum sit universi totius magnus familias pater: *Tu enim fecisti omnia, coelum et terram et universa quae coeli ambitu continentur,* [1] cum sit Dominus omnium: *Dominus universorum tu es,* [2] cum sit rex mundi: *Quoniam rex omnis terrae Deus,* [3] ipse regum omnium imperator: *Rex regum et Dominus dominantium,* [4] solus mundi monarcha: *Dominus Deus noster Deus unus est,* [5] ipse sicut omnia per potentiam, sapientiam et bonitatem suam creavit et fecit, ita omnia per providentiam suam conservet, regat, moderetur, gubernet, nutriat et sustentet? Et si Christus verus est Filius Dei, vero Deo consubstantialis, coaeternus et coaequalis, unus verus Deus, quid mirum si admirandum [6] divinae providentiae opus hodie operatur, dum ea septem permodicis panibus innumeram multitudinem in deserto cibat et saturat? Magnum miraculum et admirabile sacramentum hoc sumus hodie, favente Deo et Sanctissima Virgine Dei Matre, pertractaturi.

1) Est 13, 10. Vulg.: *Et quicquid coeli continetur.* 2) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Dominus omnium es.* Affert ex Missali Rom. Dom. 21 post Pent., *Introitus.* 3) Ps 46, 8. 4) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 5) Dt 6, 4. Vulg.: *Dominus unus est.* 6) Ms.: *Admirandus.*

PRIMA PARS

II. Multis atque diversis sacris figuris divinisque hieroglyphicis symbolica theologia in Scripturis Sacris summum Deum habere omnium mundi rationem, rebus omnibus esse praesidentem, omnia providentia sua administrantem [ostendit]. Quid enim esse putamus quod Iacob patriarcha Deum vidit in summitate scalae coelestis? [7] quod Moyses, vir divinus, coeli oraculum et miraculum mundi, in admirabili illo tabernaculo Deum in supremo statuit loco super cherubim? [8] quod Salomon templum regi coelorum aedificans, similiter in suprema sancti sanctorum parte Deum collocavit? [9] quod Isaias Dominum vidit regia maiestate supra divinum templum in solio glorioso et alto sedente? [10] quod Ezechiel eum vidit animalibus et coelestibus rotis veluti divino curru insidentem et quo vellet ipse omnia perducentem? [11]

Multis hieroglyphicis S. Scriptura Dei providentiam ostendit,

Quid enim in mysterio scala illa coelestis designet, nostra expositione non indiget; nam ipsemet patriarcha Divino Spiritu afflatus sacramentum aperiens ait: *Vere Dominus est in loco isto... hic... domus Dei est et porta coeli.* [12] Quid item tabernaculum Moysi et templum Salomonis, divina delubra, adaperuit Propheta ille qui ait, vel per quem Deus: *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum;* [13] et ille alius: *Coelum et terram ego adimpleo;* [14] item et ille qui ait: *Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* [15] Haec ergo omnia mundi huius, templi plane divini et domus Dei, figurae sunt hieroglyphicae.

praecipue scala Iacob, tabernaculo Moysi et templo Salomonis,

Sed videte, quaeso, quanta cum ratione in universo tres substantiae philosophis etiam manifestissime reperiuntur: terra, coelum et intelligentiae coelum moventes. Et quidem in scala Iacob tria haec commemorantur: terra ubi erant pedes scalae, coelum quo pertingebant eius cacumina, et Angeli per eam ascendentes et descendentes. Et Moyses in tres partes, atrium, sancta

quae mundum figurabant

7) Cf. Gn 28, 12-13. 8) Cf. Ex 25, 17-22; 40, 16 sqq. 9) Cf. 3 Rg 8, 6-12; 2 Par 5, 4-9. 10) Cf. Is 6, 1. 11) Cf. Ez 1, 1 sqq. 12) Gn 28, 16-17. 13) Is 66, 1. Vulg.: *Coelum sedes mea, etc.* 14) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 15) Ps 138, 8.

et sancta sanctorum, tabernaculum divisit;[16] similiter et Salomon templum; et infimam quidem nullo tecto coopertam, hominibus et animalibus communem relinquens, secundam vero iugiter aurei candelabri septem lucernis illuminatam, in tertia vero arcam et cherubim aureos posuere.[17] Num melius poterant tres hasce mundanas naturas nobis describere?

Sed quid est quod Deus manet in summitate scalae, tabernaculi et templi? Declaravit hoc S a n c t u s ille qui dixit: *Dominus de coelo prospexit super filios hominum*,[18] quia Dominus Deus est omnium, ideo *in altis habitat;*[19] *Coelum coeli Domino;*[20] sed quia regis est regnum suum gubernare, *prospexit super filios hominum* de coelo. Quod autem haec divinae sunt providentiae hieroglyphica, quaeso, singula examinemus, forte enim haec sunt sacri hodierni Evangelii mysteria, ubi Dominus innumeram multitudinem satiat sedens in alto monte.

a Deo gubernatum.

III. Si primum hieroglyphicum contemplemur, audimus Deum loquentem Iacob et dicentem: *Ego sum... Deus Abraham patris tui et Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terrae; dilataberis ad orientem et occidentem et septentrionem et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae; et ero custos tuus quocunque perrexeris et reducam te in terram hanc.*[21] Nonne providentiae verba sunt haec?

Verba Dei ad Iacob verba sunt providentiae;

Si secundum tabernaculi mysterium consideremus, plane Moyses in cunctis populi necessitatibus ad Deum recurrit: si panis deest, recurrit ad Deum et pluit populo manna de coelo, quo per annos quadraginta immensa multitudo sustentatur;[22] si deest aqua, ad Deum recurrit et ex durissima petra flumina exeunt;[23] si serpentes igniti populum interficiunt, recurrit ad Deum et dat eis aeneum serpentem ad salutem;[24] inde etiam dat Moysi Deus statuta atque iudicia legis pro populi regimine.[25] Haec autem omnia divinae sunt providentiae argumenta.

in cunctis necessitatibus populi Moyses ad Deum recurrit;

16) Cf. Ex 40, 16-31. 17) Cf. 3 Rg 6, 2-10. 18) Ps 13, 2. 19) Ps 112, 5. 20) Ps 113, 16. 21) Gn 28, 13-15. 22) Cf. Ex 16, 1 sqq. 23) Cf. ibid. 17, 2-6; Nm 20, 8-11. 24) Cf. Nm 21, 5-9. 25) Cf. Ex 21, 1-23, 1 sqq.

Si item tertium templi mysterium speculemur, videmus ibi Salomoni Dominum apparentem et dicentem: *Audivi orationem tuam et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero coelum et pluviam non fluxerit, et mandavero et praecepero locustae ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum, conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit et exquisierit faciem meam et egerit poenitentiam a viis suis pessimis, et ego exaudiam de coelo et propitius ero peccatis eorum et sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti et aures meae intentae ad orationem eius qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum ut sit nomen meum ibi in sempiternum et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* [26] Num volumus providentiae divinae testimonia clariora?

In dedicatione templi Deus suam providentiam Salomoni promittit.

IV. Gentiles etiam hieroglyphicis figuris demonstrarunt Deum rerum omnium rationem habere. Hinc Aegyptii Deum dipingebant manum zona una coelum terramque cincta tenentem, [27] alias vero virgam rectissimam desuper unum oculum habentem; [28] et non nos meminit subdialis illius statuae Iovis cum tribus oculis? [29] Item quid esse putamus quod poetae finxere antiquissimi, deum Saturnum tres filios habere, Iovem coelo, Neptunum mare, Plutonem terrae regnantes, nisi quod Deus omnium horum rationem habet? [30] Haec trina ratio tres illi sunt oculi, haec zona coelum et terram complectens, haec virgae oculus.

Gentiles etiam hieroglyphice demonstrarunt divinam providentiam;

Et quidem haec veluti adaperiens Aristoteles dixit Deum principium esse a quo coelum et natura dependent, [31] et dicere solitus erat Deum et naturam nil agere frustra, [32] Deum et naturam coniungens ut [sunt] navis et gubernator, currus et auriga, hortus et consitor, opifex et horologium, rex et regnum.

eam admittere videtur ipse Aristoteles.

Et forte hoc idem dicere voluit latinus ille poeta cum ait:

26) 2 Par 7, 12-16. Vulg.: *Aures meae erectae*, etc. 27) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica, Comment.*, lib. prior, pag. 620. 28) Cf. ibid. lib. 33, pag. 333.
29) Cf. ibid. pag. 335. 30) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 2, cp. 8, pag. 140.
31) *De Mundo*, cp. 2, t. 1, pag. 370; cp. 6, pag. 375-379; *Metaphysic.*, lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 485. 32) *De Coelo*, lib. 1, cp. 4, t. 1, pag. 269; *De Republica*, lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 178.

sed clarius Virgilius

« Principio coelum ac terras camposque liquentes
Lucentemque globum lunae, titaniaque astra
Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem ac magno se corpore miscet ». [33]

Haec quidem eadem videntur cum Moysi verbis: *In principio creavit Deus coelum et terram... et Spiritus Domini ferebatur super aquas*,[34] et quod Ezechiel ait quod spiritus vitae erat in rotis.[35]

et Pythagoras.

Hinc et Pythagoras Deum vocavit φύχωσιν τοῦ παντός, animationem totius universi.[36] Deus enim suapte natura ubique est per potentiam, praesentiam et essentiam, sicut anima hominis, Dei imago, in toto corpore, quod mundi compendium est. Habet enim tres partes praecipuas sicut et mundus: ventrem, qui terrae respondet, pectus coelo, caput empyreo. Anima in his omnibus ea vivificans et nutriens atque conservans; ita Deus omnes mundi partes, ideo enim et mundus magnus homo in mysteriis sacrae *Geneseos* dicitur.

Insinuant divinam providentiam prima verba *Genesis*, quibus Moyses refert creationem mundi,

Et hic, quaeso, intelligentes quod, quando dixit Moyses: *In principio creavit Deus*, verbum בָּרָא [36a] posuit, quod in hebraeo non solum creare significat, ut noster Interpres vertit, aut facere, ut Septuaginta, sed significat etiam eligere, decidere sententiam, ex nihilo producere, ex aliquo facere, et etiam pinguefacere; ita quod universam exprimit creationis mundi rationem, non enim necessitate sed consilio voluntatis suae mundum creavit. Poterat autem plures aut hunc solum, maiorem vel minorem creare. Materiam primam ex nihilo produxit, ex ea omnia fecit, ac demum omnia pinguefacit, idest abundanter nutrit. Terram enim luce clarius videmus nutrimento egere aquarum ne moriatur, elementa absque coelorum influxu corrumpuntur, plantae sine nutrimento non vivunt, animalia moriuntur et homines fame intereunt. Quis haec omnia nutrit? Deus qui creavit. Specialiter tamen homines, qui divina sunt simulacra.

Ideo de hac Dei in homines providentia loquitur sacrosanctum

33) Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vrr. 724-727. Ms.: *Et terram... lucidumque globum.* 34) Gn 1, 1-2. Vulg.: *Spiritus Dei*, etc. 35) Cf. 10, 17. 36) Cf. S. Iustinus Martyr *Cohortatio ad Graecos*, (P. G. 6 275). 36a) Ms.: *Bara.*

Evangelium: *Cum turba multa esset cum Iesu nec haberent quod manducarent,* dixit: *Misereor super turbam.* [37] Cum audis *Iesum,* Deum illum intellige scalae Iacob, tabernaculi Moysi et templi Salomonis, propterea enim in scala illa humana forma visus est scalae innixus, quia Deus homo futurus erat, ut esset hic *Iesus;* cum autem *turbam* audis, homines intellige.

verba etiam hodierni Evangelii.

V. Sed quid est quod de hominum tantum providentia loquitur Evangelium, non autem aliarum rerum? Quia nonnisi propter hominem ceterarum omnium rerum, quae videntur, curam habet Deus, sicut nonnisi propter hominem illa creavit. Item, quid est quod dicit: *Turba multa?* Cur non dicit: omnis turba? Num non omnes homines nutrit Deus? Utique: *Qui dat escam omni carni, quoniam in saeculum misericordia eius.* [38] Sed non omnes homines cum Iesu sunt, non omnes fideles Christi sunt, ideo inquit: *Cum turba multa.*

Deus curam omnium habet, sed praecipue hominum,

Etsi autem omnes nutriantur a Deo tam hi qui sunt fideles quam infideles, hi tamen nonnisi propter fideles sustentantur, unde Dominus ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.* [39] Propter iniustos enim homines Deus diluvium misit, [40] et quia in Pentapoli iusti non erant, quinque civitates illas igne consumpsit. [41] Omnis autem divinae provindentiae erga nos ratio ab hoc verbo pendet: *Misereor super turbam.* Sicut enim Deus nonnisi ex bonitate sua mundum creavit, ita etiam nonnisi ex sua bonitate conservat providentia sua: *Misereor super turbam.* Omnia enim ex misericordia fecit Deus, ut in *Psalmo 135* decantat Regius Vates; [42] misericordiae veluti sol Deus est: *Quoniam misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* [43] Nos autem, fratres, si hanc gratiae et gloriae misericordiam volumus, simus cum Christo et simus cum eo perseverantes usque in finem, ut dicere possit Dominus: *Ecce iam triduo sustinent me.* [44] Hoc enim si fecerimus, cibabit nos pane supersubstantiali.

et maxime fidelium.

37) Mc 8, 1-2. Affort ex Missali Rom. hac Dom. 38) Ps 135, 25. Vulg.: *Quoniam in saeculum,* etc. 39) Mt 5, 45. 40) Cf. Gn 6, 3-7. 41) Cf. ibid. 18, 23-19, 24-25. 42) Cf. vrr. 1 sqq. 43) Ps 83, 12. Vulg.: *Quia misericordiam,* etc. 44) Mc 8, 2.

SECUNDA PARS

Sub figura panis bis multiplicati verbum Dei intelligitur

VI. *Cum turba multa esset cum Iesu nec haberent quod manducarent*, etc. Bis legimus Dominum ad turbas famescentes saturandas divina virtute panes multiplicasse: altera quando ex quinque panibus satiavit quinque millia hominum,[45] altera vero hodiernum miraculum est, quo ex septem panibus quattuor millia hominum satiat, praeter mulieres et parvulos;[46] illud factum fuit prius, istud vero posterius; in illo ex fragmentis duodecim cophinos sustulerunt, in hoc autem septem sportas. Haec vero omnia mysteriis magnis non vacant. Quis nesciat quod per panem in Scripturis praecipue verbum Dei intelligitur? Ita plane Moyses in *Deuteronomio*, quod Christus retulit ad tentatorem: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.*[47] Quis item nescit duo esse Testamenta? Vetus Testamentum est lex Moysi, Novum Christi Evangelium. Item et duo sunt populi: alter qui prius vixit sub Moysi lege, alter qui nunc vivit sub Christi Evangelio.[48]

In lege et in Evangelio traditum.

Ecce ergo mysterium apertum. Christus, qui verus est Deus, primo quinque panibus fideles turbas satiat, quia primo Legem Moysi quinque libris constantem dat, postea vero quattuor panibus, quia postmodum dat Evangelium, quod constat quidem quattuor libris et fide Trinitatis, et perfectum est septiformi gratia virtutum, donorum Spiritus Sancti et beatitudinum; et septem praecipue mysteria in Evangelio pertractantur: Trinitatis, incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionis, adventus ad iudicium et finalis omnium electorum glorificationis.

Lex designatur per quinarium numerum.

Nec magno mysterio vacat quod quinque illis panibus quinque millia hominum satiavit, septem autem istis tantum quattuor millia. Scitis, intelligentes, quod numerus quinarius est imperfectus, unitate enim deficit a senario, qui est primus perfectorum,[49] ideo lex eo numero datur, quia imperfecta erat, tota umbratilis et figuralis. Et

45) Cf. Mt 14, 16-21; Mc 6, 34-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 46) Cf. Mt 15, 32-38; Mc 8, 2-9. 47) 8, 3; Mt 4, 4; Lc 4, 4. 48) In margine haec adiecta fuerunt: « Evangelium liber est septem sigillis, quem Ioannes vidit ». 49) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 74, a. 1.

eodem numero populus sub ea vivens designatur, quia, ut Apostolus ait, *neminem ad perfectum adduxit lex;* [50] Evangelium vero per septenarium hic exprimitur, quia supplet legis imperfectionem addens perfectionem geminae caritatis per gratiam et veritatem, nam *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [51] Qui autem sub Evangelio vivunt, quaternario numero describuntur, quia perfectus hic numerus est et denarium virtute continet, [52] hoc enim numero cardinales virtutes continentur, ex quibus decem praeceptorum legis observantia perfecte consurgit. Hinc quarto die Deus luminaria, solem et lunam et stellas, posuit in coelo, hinc quarta mundi aetas robustissima fuit sub Davide, et similiter quarta aetas hominis, idest iuventus fortissima omnium est. Ex quinque panibus legis colliguntur duodecim cophini articulorum fidei et ex septem panibus evangelicae doctrinae septem Ecclesiae Sacramenta, quae panem continent dantem vitam aeternam. [53]

Evangelium vero per septenarium.

VII. Nec magno item vacat mysterio quod utrunque numerari populum voluit Dominus et a numero parvulos et mulieres excludi; sic praecepit Dominus populum ex Aegypto egressum numerari, unde ab hoc quartus liber legis dictus est *Numerorum liber,* ibique etiam viros tantum, non pueros et mulieres, numerari voluit. [54] Neque enim mundani reges militiae ascribunt parvulos et mulieres, sed perfectos viros; sic non eos qui tanquam pueri sensu carnis ducuntur, nec segnes et effeminatos inter electos suos numerat Dominus, sed virtute multa praeditos viros.

Non meretur inter electos numerari qui multa virtute praeditus non est

Populus autem ille non in Aegypto numeratus fuit, sed iam ex Aegypto egressus, mari Rubro transacto, deserto ingresso, [55] manna cibato, [56] lege Dei digito conscripta accepta, [57] tabernaculo constructo [58] et Amalec cum exercitu suo superato. [59] Sic non est dignus quispiam inter electos Domini numerari, nisi prius mundana vitia reliquerit, nisi Christi sanguine in Baptismo prius et postea in sacramentali Poenitentia aspersus fuerit, nisi pretiosum Christi

et mundana vitia non relinquit.

50) Hebr 7, 19. Vulg.: *Nihil ad perfectum,* etc. 51) Io 1, 17. 52) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum,* part. 2, pag. 89, not. 17. 53) Cf. Io 6, 49-59. 54) Cf. 1, 1 sqq. 55) Cf. Ex 14, 1 sqq. 56) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 57) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 58) Cf. ibid. 40, 1 sqq. 59) Cf. ibid. 17, 8 sqq.

corpus in Communione sumpserit et eo veluti manna usus fuerit, nisi legem divinae caritatis cordi inscriptam habuerit, nisi per inhabitantem Spiritus Sancti gratiam templi Dei effectus fuerit, nisi Dei et Christi virtute diabolicas tentationes superaverit, dignus unquam non erit intra electorum Dei numerum censeri.

Oportet semper Christum sequi in via poenitentiae.

O nos felices et ter quaterque beatos, dilectissimi, si hoc numero digni inveniemur! Sic enim numerari in felicem illam coelestem terram verae promissionis cum veris Israelitis ingrediemur. At si id volumus, facienda nobis haec sunt: primo, cum turba hac Christum sequi et semper cum Christo esse. Est enim Christus caput nostrum; mundum ergo relinquamus et Christum sequamur, quia utrunque facere non possumus; si quis mundum diligit, cum Christo esse non potest: *Si quis... voluerit amicus esse huius saeculi, inimicus Dei constituitur.* [60] Relinquamus Aegyptum, sequamur per desertum Moysen, hoc est in via poenitentiae Christum, qui solus potest desideria nostra implere. Non audis quid dicit? *Manducaverunt et saturati sunt.* [61] Et ubi saturati sunt? In solitudine, non in mundo. Vere ita res est, non reperitur in mundo qui sit vere satur, qui sit plene contentus: *Non satiatur oculus visu nec auris impletur auditu.* [62] Si quis mundi totius et universae gloriae eius esset possessor, nec tamen contentus esset: *Non satiatur oculus visu.*

In hoc mundo nemo vere felix est, nisi in sequela Christi.

Quaeso, experimentum facite. Ite ad nobilissimum quempiam principem, cui divitiae multae non desunt, honores, deliciae: quaerite an sit sua sorte contentus. Num poterit quispiam in hoc mundo felicior esse Adamo in paradiso terrestri, Lucifero in coelo empyreo? Nec tamen fuerunt sua sorte contenti, sed divinos ambiere honores. [63] Deinde ite, quaeso, ad virum quendam religiosum, qui nihil in [64] mundo possideat, non divitiae sed paupertatem, non delicias sed poenitentiam, ieiunia, flagella et mille carnis mortificationes, non honores, sed humiliationes, opprobria et vilipendia, qui semper vacet orationi et divinarum rerum contemplationi – in Religionibus enim sanctis multi horum inveniuntur, hae [65] enim sunt Christi solitudines, – petite an sit contentus: respondebit plane se cupere

60) Iac 4, 4. Vulg.: *Quicunque... voluerit amicus esse saeculi huius*, etc.
61) Mc 8, 8. 62) Eccle 1, 8. Vulg.: *Non saturatur... auditu impletur.*
63) Cf. Gn 3, 5-6; Is 14, 12-14. 64) Ms.: *Cum loco: In.* 65) Ms.: *Haec.*

dissolvi et esse cum Christo,[66] se nihil mundi huius desiderare nisi mortem, ut cum Christo sit. Unde hoc quod contentus hic est, ille vero non? Quia hic est cum Christo, ille vero cum mundo; hic panem Christi gratiae manducavit, quae est gloriae similitudo, hinc iusti et timentes Deum *beati* dicuntur:[67] *Manducaverunt et saturati sunt.*

66) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi,* etc. 67) Cf. Ps 111, 1; 127, 1; Prv 28, 14.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

Docet hodie Christus prudentiam et iustitiam.

I. Sicut navi et vela necessaria sunt et nauclerus, triremi boni remiges et optimus portisculus qui eos moderetur, sicut militi forti ac strenuo propugnatori necessaria sunt non minus arma prudenter defensiva quam potenter offensiva; si aquilae ut in altum volet geminae perquam necessariae sunt integerrimae alae; si diligenti scriptori nil minus necessarius est sanus oculus quam velox manus; si animal ununquodque ut vivat habere opus est et cognoscentem sensum bona sibi apprehendentem et appetitivum desiderantem; si homo non vere homo est arbitrio liber quin et intellectum habeat et voluntatem; sic vero christiano, ut vere sanctus sit, Christo similis et Dei per gratiam filius, duae sunt perquam necessariae virtutes: prudentia atque iustitia; illa ut bona cognoscens a malis discernat, haec ut bona diligens operetur et mala odio habens omnino declinet. Sic navis haec nostra in portum ducetur aeternae salutis; sic contra diabolum victores erimus, sic veluti aquilae in coelum ascendemus, sic vita ut animalia sancta in sanctitate et iustitia ducemus, sic vere homines erimus *ad imaginem et similitudinem Dei.* [1] Et has duas virtutes Christus nos hodie in Evangelio docet.

PRIMA PARS

Adam in paradiso collocatus mysterium innuit:

II. Cum formasset Deus Adam et inspirasset in faciem eius spiritum vitae, [2] qui est imago Dei, ait Divinus Moyses quod *tulit* illum *Deus et posuit ... in paradiso voluptatis ut operaretur et cu-*

1) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 2) Cf. Ibid. 2, 7.

stodiret illum: וַיִּקַּח יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם וַיַּנִּחֵהוּ בְגַן־עֵדֶן לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ.[3] Verum quidnam, quaeso, hoc est: *Ut operaretur et custodiret illum?* Num posuit Deus hominem in paradiso ut esset terrae colonus? rusticus homo? villicus? Quomodo ergo *ad imaginem et similitudinem suam* creavit? Quomodo gloria et honore eum coronavit?[4] Sed mysteria haec magna sunt. Paradisus proprie locus est beatitudinis, beatitudo vero summi boni fruitio est, fruitio autem in visione, dilectione et possessione summi boni consistit; hinc coelum empyreum, ubi Angeli Deo fruuntur, paradisum vocamus. Angeli vero in coelo empyreo non beati comprehensores creati fuere, quia tunc Lucifer et Angeli eius peccare non potuissent, sed viatores beatificabiles conditi sunt, ut per gratiam et merita sibi gloriam acquirerent.[5] Gratia vero sine fide, spe et caritate haberi non potest, quia *sine fide... impossibile est placere Deo*[6] et *iustus... in fide sua vivit.*[7] Per gratiam ergo Angeli consecuti sunt gloriam, ita quod beatitudo praemium fuit gratiae, visio fidei, possessio spei et fruitio caritatis. Sed si homo ad eandem gloriam cum Angelo praedestinatus fuit, ergo per eadem media consecuturus eam erat; per gratiam ergo, fidem, spem et caritatem.

paradisus locus beatitudinis est,

ad quem pervenitur gratia et virtutibus.

Deinde, quis nostrum nescit, intelligentes, quod gratia similitudo quaedam est gloriae? Nescitis quod iusti beatificantur in Scripturis? *Dicite iusto quoniam bene;*[8] *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, etc., אַשְׁרֵי הָאִישׁ, *beatitudo viro.*[9] Et quidem summa cum ratione gratia dicta est *beatitudo*, sicut enim Deus sanctus et benedictus animam beatificat per gloriam, ita et per gratiam sanctificat. Cum enim Deus animam beatificat, primo per lumen gloriae disponit intellectum ad visionem beatificam; secundo unitur intellectui tanquam species intelligibilis, veluti sol in speculo; tertio anima Deum videns sic summopere amat; quarto dulcissime fruitur ex illa visione et dilectione. Ita et cum per gratiam sanctificat hominem, primo per lumen fidei intellectum disponit ad co-

Gratia similitudo quaedam gloriae est;

3) Ibid. vr. 15. Ms.: *Vaiikah lehovah elohim eth haadam veianihehu began heden lehabdah ulescamrah.* 4) Cf. Ps 8, 6. 5) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 61, a. 1; q. 67, a. 4. 6) Hebr 11, 6. 7) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Gal 3, 11; Hebr 10, 38. 8) Is 3, 10. 9) Ps 1, 1, Ms.: *Ascre hais.*

gnitionem Dei; secundo per sapientiae donum ipsi intellectui unitur ut sapienter anima Deum cognoscat; tertio anima per caritatem summe diligit; quarto perfectam habet gratiam ex his constantem.

sic et fides.

Si ergo gratia similitudo quaedam gloriae est, sicut luna plena solis, summa item sympathia est inter cognitionem per fidem et per visionem, et inter possessionem, dilectionem habitumque caritatis, gratiae in via et gloriae in patria, nec differt nisi ut imperfectum et perfectum, sicut lux solis et lumen lunae.

Gratia ergo paradisus quidam est,

Item dico quod beatitudo proprie est paradisus, hinc enim Christus latroni ait: *Hodie mecum eris in paradiso,* [10] quia eo die beatificavit eum in gloria. Coelum autem non dicitur paradisus, nisi quia est locus beatitudinis; similiter ergo et gratia paradisus dicenda est. Et locus ille deliciarum ea ratione paradisus dicebatur, quia erat locus innocentiae, iustitiae, sanctitatis et gratiae. Si sic autem intelligatur, clara omnia erunt: *Tulit... Dominus Deus hominem* formatum in statu naturae *et posuit eum in paradiso voluptatis,* non coelesti gloriae, quia non fuit conditus comprehensor et beatus, sed in paradiso gratiae.

cuius figura fuit ille terrestris.

Huius autem erat paradisus ille terrestris veluti hieroglyphicum, quoddam aenigma, ut arbor scientiae boni et mali fidem significet, arbor vitae caritatem, cetera ligna ceteras virtutes, fluvius ille [11] perpetuum influxum gratiae Dei, quae descendit ad nos sicut rivus a fonte et radius a sole.

Paradisum operari spiritualiter intelligendum est,

Sed quidnam adhuc est hunc paradisum operari et custodire? Paradisus hic in terra cordis nostri plantatus est; colendus autem est iugibus cogitationibus, meditationibus et sanctis orationibus, ut fides perficiatur cognitione Dei, spes desiderio, caritas dilectione et gratia fruitione; sic operari et custodire iubetur.

Deinde quis nescit, intelligentes, quod Adam in statu illo innocentiae non erat in gratia confirmatus? quod non erat, ut ita dicam, impeccabilis? quod poterat peccare? quod veluti luna erat plena quidem, sed eclipsabilis? veluti lampas accensa, sed extinguibilis? veluti homo vivens, sed mortalis? Ut autem paradisum illum gra-

10) Lc 23, 43. 11) Cf. Gn 2, 9-10.

tiae divinae conservaret, duae illi erant virtutes summopere necessariae: iustitia atque prudentia, ut iustitia voluntatem perficeret, prudentia intellectum; ut voluntas iustitia informata vellet in Deum credere, sperare et summe amare, proximum item propter Deum diligere tanquam seipsum, sibi ipsi item vitam salutemque conservare; intellectus vero prudentia perfectus decernere quaenam digne de Deo credenda erant, quaenam speranda, quomodo diligendus Deus erat et quomodo proximus, quomodo item salus sibi procuranda erat; per prudentiam item cavendum sibi erat ab insidiis inimici serpentis, diaboli. Hoc est ergo *ut operaretur et custodiret illum : ut operaretur* per iustitiam *et custodiret* per prudentiam. Quod si duae istae virtutes etiam in statu innocentiae perquam necessariae homini erant, quanto magis in hoc statu?

Idest iustitia voluntatem perficere et prudentia intellectum.

III. Sed iam ad haec mysteria in Evangelio videnda ingrediamur. Cum paradisum illum nec operatus fuisset Adam nec custodisset, sed per peccatum destruxisset, venit Christus Filius Dei, verus Deus, in mundum et terrestrem Ecclesiae paradisum iterum replantavit; sic enim Ecclesia dicta est: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus.* [12] Hunc ut operemur et custodiamus paradisum duas nobis virtutes Christus praecipit: *Estote ... prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* [13] Simplicitas columbae iustitia est, quae nescit mala facere et est bonorum operum fetu fecundissima, hinc Christus dum baptizaretur, descendit Spiritus Sanctus in columbae specie, [14] quia in Baptismo iustificamur. At vero ad praecavenda mala serpentis item necessaria prudentia est. Et ecce Christus hodie in Evangelio de Ecclesia loquitur tanquam de paradiso, homines arbores vocans: *Omnis arbor bona fructus bonos facit,* etc. [15] In hoc horto Christus fidem, spem et caritatem plantavit et gratiae coelestis flumine iugiter irrigat.

Etiam Ecclesia paradisus terrestris dicitur,

Habemus autem quilibet in corde nostro, qui fideles sumus, hunc divinum paradisum. Quilibet ergo nostrum Adam est forma-

quem nos iustitia operari debemus

12) Ct 4, 12-13. 13) Mt 10, 16. 14) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 9-10; Lc 3, 21-22; Io 1, 32-33. 15) Mt 7, 17.

tus a Deo et in paradiso, in statu gratiae positus, sed *ut operaretur et custodiret illum, ut operaretur* per iustitiam: ecce Christus hodie ait: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;* [16] iustitia ergo summe nobis necessaria est ut operemur bona. At non sufficit tantum operari, verum necesse est et custodire: *Ut operaretur et custodiret illum*, hinc et Christus ait: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* [17]

et prudentia custodire.

At si Scripturas Sacras percurramus, videbimus plane quantum cum ratione id praecipiat Christus. Cain amicabiliter dixit ad Abel: *Egrediamur foras*, sed in agro occidit eum; [18] Abimelech cum dulcibus verbis principatum sibi Israelis acquisivit, sed factus princeps occidit septuaginta fratres suos; [19] Iahel amice Sisaram domo recepit et lacte potavit, sed dormientem occidit; [20] sic Dalila Samsonem, [21] sic sub amici pelle Ioab occidit Abner [22] et Amasam, [23] Absalom occidit Amnon fratrem suum, [24] sic Iudas Christum amici osculo tradidit, [25] sic diabolus in angelum lucis se transfigurat, uti Apostolus in *2 ad Corinthios* ait. [26] Et quis non videt quomodo in Angelum lucis se transfiguravit primos parentes tentando? *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [27] Multa bona promittit: sic falsus propheta satanas fuit.

Falsi prophetae sunt qui falsam doctrinam docent et falsa bona promittunt.

IV. *Attendite a falsis prophetis.* Falsi prophetae sunt qui falsam doctrinam docent et falsa bona promittunt, diabolum tanquam patrem et magistrum suum imitantes. Falsi prophetae fuerunt antiqui philosophi et poetae qui de Deo et mundi creatione et providentia multa falsa dixerunt, unde omnes gentes Dei cultum relinquentes, adorabant idola, daemonum simulacra. Prophetae falsi fuerunt et sunt haeretici, qui Divinas falsificant Scripturas, quae sunt Dei litterae, divina Sacramenta, quae sunt summi regis sigilli divinae gratiae in animam imprimentes imaginem Dei, etiam numismata quae sunt merita Christi, sanctorum et bonorum operum quibus coelum comparatur.

16) Ibid. vr. 19. 17) Ibid. vr. 15. 18) Gn 4, 8. 19) Cf. Idc 9, 1-5. 20) Cf. ibid. 4, 18-21. 21) Cf. ibid. 16, 15-21. 22) Cf. 2 Rg 3, 27. 23) Cf. ibid. 20, 9-10. 24) Cf. ibid. 13, 28-29. 25) Cf. Mt 26, 48-49; Mc 14, 44-45; Lc 22, 47. 26) Cf. 11, 14. 27) Gn 3, 5.

Attendite a falsis prophetis. Summa cum ratione Christus in hoc Evangelio primo docet prudentiam quam iustitiam, quia haec voluntatem perficit, illa intellectum; hic voluntatem praecedit sicut amorem cognitio. Est autem voluntas potentia caeca [circa ea] quae ab intellectu cognoscuntur: amat quae bona indicantur ab intellectu, odit autem quae [28] mala ab illo demonstrantur. Hinc videmus quod gentes gentiliter vivunt, haeretici haeretice, quia voluntas sequitur intellectus errores; si caecus intellectus est, caecus caeco ducatum praebet *et ambo in foveam cadunt.* [29] Ideo divinae legis prudentia summe nobis necessaria est et vera fides. *Attendite a falsis prophetis* qui falsa docent, quia doctrinam operatio et vita sequitur sicut caecus ductorem.

Summa cum ratione Christus primo prudentiam docet.

V. *Attendite a falsis prophetis;* maxime vero falsi prophetae sunt diabolus, mundus et caro. Inquit diabolus: *Dic ut lapides isti panes fiant:* [30] inducit nos ut temporalium rerum abundantiam omni nobis cura et sollicitudine provideamus ac si Deus nullam haberet mundi providentiam. Inquit diabolus: *Mitte te deorsum... quia Angelis suis* Deus *mandavit de te:* [31] committe confidenter peccata, quia Deus misericors est. Inquit diabolus: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me:* [32] avaritiam et vanam mundi gloriam suadet. Sed, o christiani, *attendite a falsis prophetis. Eritis sicut dii!* Mendax est diabolus et mendacii pater. [33]

Maxime falsi prophetae sunt diabolus,

Sed et mundus falsus quidam propheta est, docet enim honori, vanitati et pompae super omnia attendendum, inimicis non ignoscendum, quia honori praeiudicat, non attendendo vitae spirituali et frequentiae Sacramentorum, quia hypocritarum hoc est. O quam falsus hic propheta est! *Mundus totus in maligno positus est;* [34] *Attendite a falsis prophetis:* docet super omnia hic non Deo sed mammonae serviendum, et, quod summis fletibus lugendum est, omnes eius doctrinam sequuntur magisque aurum et argentum diligunt quam Deum. Sed in morte prophetae huius falsitas apparebit. Sic venit mundus in veste ovina, intrinsecus autem lupus est rapax, animam devorans. Si sic est, dicat dives ille epulo. [35]

mundus

28) Ms.: *Quae* bis ponitur. 29) Mt 15, 14; Lc 6, 39. 30) Mt 4, 3. 31) Ibid. vr. 5. 32) Ibid. vr. 9. 33) Cf. Io 8, 44. 34) 1 Io 5, 19. 35) Cf. Lc 16, 19 sqq.

et caro,

Sed et caro falsa quaedam prophetes est, docet enim non ieiunandum esse, quia Deus alimenta omnia fecit ut manducentur; quid ergo ieiunare? Docet venereis voluptatibus attendendum, quia Deus hominem fecit androgynum et hermaphroditum, idest virum atque mulierem, ut voluptati operam darent. O Deus, o Christe, o coelum, o terra, quam falsa haec est prophetes! Et omnes illi credunt et omnes doctrinam eius sequuntur.

contra quos necessaria est christiana prudentia.

Bone Deus, ego quid dicam? Quod [36] caro est omnis homo. Sed aquae diluvii [37] et ignis Pentapolis [38] testari possunt quam abominetur Deus vitia carnis, qui nunquam in mundum venisset, nisi Sanctissimam Virginem mente et corpore purissimam invenisset. De carnalibus vero ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine... quia caro est.* [39] Eia ergo, dilectissimi, contra hos omnes prophetas falsos christianam prudentiam accipiamus. Diabolicis tentationibus docuit nos Christo respondere.

SECUNDA PARS

Post prudentiam Christus iustitiam docet,

VI. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* [40] Iustitiae opera hic Christus docet. Quid autem per arborem intelligit, Christus ipsemet apud Divum Lucam interpretatur: *Non est enim arbor bona quae faciat fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum;* [41] deinde subiungit: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.* [42] Sic et Divus Vates virum iustum *arborem* appellavit: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* [43] Ergo bona arbor bonus homo. Sed quid est bonus homo? *Nemo bonus nisi solus Deus.* [44] Sed homo est *ad imaginem et similitudinem Dei,* unde: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Do-*

36) Ms.: *Quid* loco: *Quod.* 37) Cf. Gn 7, 10 sqq. 38) Cf. Ibid. 19, 24-25.
39) Ibid. 6, 3. 40) Mt 7, 17-18. 41) 6, 43. Vulg.: *Quae facit*, etc. 42) Ibid vr. 45.
43) Ps 1, 3. 44) Mc 10, 18; Lc 18, 19.

minus Deus vester; [45] *Perfecti estote sicut... Pater vester coelestis perfectus est;* [46] *Estote... imitatores Dei sicut filii carissimi.* [47]

Nunc bonus ergo homo est quando Deum imitatur; et hinc est quod in sua conditione homo bonus dictus non est, non enim legimus sexto die dictum: *Et vidit Deus quod esset bonum*, sicut in aliis diebus, [48] quia gratia Dei et caritate homo futurus erat bonus. Gratia autem et caritas non secundum naturam homini inest, sed spiritus Dei est, veluti lumen in luna et radius in speculo.

quae consistit in gratia et caritate.

Haec autem mysteria evangelica altissimo sensu Divus Paulus *ad Galatas* aperire videtur: *Spiritu*, inquit, *ambulate et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecunque vultis illa faciatis.* [49] Quod autem hic *carnem* vocat Apostolus, Divus Petrus inquit *carnalia desideria* in *1 Canonica: Carissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis quae militant adversus animam.* [50] In *1* vero *ad Timotheum* Apostolus ait quod *radix... omnium malorum est cupiditas,* [51] idest illa concupiscentia carnis per originale peccatum nobis inflicta. Per carnem ergo intelligendus est carnalis amor, per spiritum vero amorem divinum intelligimus. Sequitur deinde Apostolus enarrare opera tum carnis tum spiritus: *Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus,* etc., [52] deinde opera spiritus enumerat dicens: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* [53] Si ergo homini condito divinum adhibeamus amorem, habebimus bonum hominem, arborem bonam et fructus bonos; si vero carnis concupiscentiam, hominem malum, arborem malam, fructus malos.

Mysteria hodierni Evangelii aperit D. Paulus.

Sic *omnis arbor bona fructus bonos facit.* In *Apocalypsi* arborem legimus fructus duodecim afferentem, [54] et duodecim fructus spiritus enumerat Paulus; duodecim item sunt praecepta divina: decem legis et duo Evangelii. Qui gratiam Dei habet, bona arbor

Qui gratiam Dei habet, arbor est faciens fructus bonos.

45) Lv 19, 2. 46) Mt 5, 48. Vulg.: *Estote ergo vos perfecti*, etc. 47) Eph 5, 1.
48) Gn 1, 4. 10. 12. 18. 21. 25. 49) 5, 16-17. 50) 2, 11. 51) 6, 10.
52) Gal 5, 19-20. 53) Ibid. vrr. 22-23. 54) Cf. 22, 2.

est et bonos hos duodecim fructus facit, unde iustus quilibet iustitiae coronam a iusto iudice accipiet, [55] illam forte coronam duodecim stellarum, quam in capite coelestis mulieris vidit in *Apocalypsi* Ioannes. [56] *Mala* autem *arbor malos fructus facit*, contrariorum enim contrariae sunt causae: [57] lux illuminat, tenebrae obscurant; sol diem facit, terra sua umbra noctem; gratia salvat, peccatum damnat; iustitia sanctificat, iniquitas inquinat. Sic iustus operatur bona, impius vero mala, quia iustus filius est Dei, impius vero diaboli.

Exponitur Salvatoris sententia: *Non potest arbor bona*, etc.;

VII. Verum quidnam illud est: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere?* Nonne Lucifer bonus a Deo creatus in coelo fuit? et Adam in terrestri paradiso? Nonne hi peccaverunt? Quomodo ergo arbor bona non potest fructus malos facere? Deinde, nonne homo quilibet, sive bonus sive malus, arbitrio liber est? Ergo et malus [potest] bona facere et bonus mala, sicut multi sancti: Moyses, Aaron, [58] David, [59] Salomon, [60] Petrus [61] peccaverunt. Formaliter loqui hic Christus videtur, veluti cum dicimus quod praedestinatus non potest damnari et praescitus salvari, quod in sensu composito haec vera sunt, non autem in sensu diviso. Sic bonus quatenus bonus non potest peccare, quia quandiu secundum gratiam operatur, fructus bonos facit; sic et peccator mala, dum secundum carnem operatur. Sed quid? Nonne in ipsomet Evangelio multi leguntur hypocritae bona facientes? Et tamen hypocrita malus est.

Affertur alia expositio.

Alius mihi loci huius videtur esse intellectus, ut simpliciter verum sit quod Christus dicit, si per bonam et malam arborem iuxta Apostolum spiritum et carnem intelligamus, gratiam et peccatum, virtutem et vitium; sic simpliciter verum est quod Christus Dominus noster ait. Sciendum vero est quod *nemo* simpliciter *bonus, nisi solus Deus* et ideo solus Deus simpliciter non potest malum facere; quilibet autem homo et malum habet et bonum. Iustus habet quidem gratiam et virtutes, quae mala facere non possunt, quia im-

55) Cf. 2 Tim 4, 8. 56) Cf. 12, 1. 57) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 49, a. 3. 58) Cf. Nm 20, 12 59) Cf. 2 Rg 11, 2-17. 60) Cf. 3 Rg 11, 1-11. 61) Cf. Mt 26, 69-74; Mc 14, 66-71; Lc 22, 56-61; Io 18, 25-27.

plicat dicere quod virtus malum operetur; habet nihilominus arbitrii libertatem et peccati originalis fomitem, quod iugiter ad peccatum inclinat et huius mali ratione *septies* in die *cadit iustus,* [62] et *non est ... homo ... in terra qui faciat bonum et non peccet,* [63] quia *omnis homo mendax.* [64] Peccator similiter, si malum habet, vitia et peccata habet, nihilominus naturam bonam et liberum arbitrium natura bonum, ut possit bonum eligere et aliquando bonum operari; at radix boni huius non est malum, sed bona vis naturae. Sic quando iustus bona operatur, radix bonorum non fomes peccati est, sed gratia, virtus et vis bona naturae. Hinc apud Lucam Dominus ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum et malus homo de malo thesauro* cordis sui *malum.* Sic verissime utique *non potest arbor bona fructus malos facere,* aut *mala ... bonos.*

In S. Scriptura quod impossibile dicitur, saepe ut valde difficile intelligendum est.

Sciendum vero quod non semper huiuscemodi propositiones in Scriptura dicunt simpliciter impossibile, sed valde difficile, veluti cum Christus ait: Impossibile est divites intrare in regnum coelorum, [65] alibi dixit: *Quam difficile qui divitias habent intrabunt in regnum coelorum!* [66] Ita et illud est quod in libro *Iosue* legimus: *Non poteritis servire Domino* exercituum, *quia Deus sanctus ipse:* [67] hoc [est]: difficile valde est Deo servire in sanctitate et iustitia. Hoc forte est quod Christus hic dicit: *Non potest,* hoc est: difficillimum. Ecce Apostolus *ad Romanos* ait: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames?* etc. [68] Mala autem arbor, homo peccator, non potest opera vitae aeternae meritoria simpliciter facere. Potest homo peccare et gratiam amittere, sed non suis viribus acquirere; potest se in profundissimum puteum proiicere, sed non inde exire; potest seipsum quisquam occidere, sed non vivificare. Sic potest quilibet per peccatum seipsum damnare, sed non per gratiam salvare, nisi per misericordiam Dei et Poenitentiam sacramentalem.

Opera bona facere oportet.

VIII. Nos vero, o fratres, quid facimus? Iugiter peccamus et nunquam fructus dignos poenitentiae facimus. [69] Non audimus hic

62) Prv 24, 16. Vulg.: *Cadet iustus. In die* lect. cod. 63) Eccle 7, 21. 64) Ps 115, 11; Rom 3, 4. 65) Cf. Mt 19, 23-24. 66) Lc 18, 25. Vulg.: *Qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt.* 67) 24, 19. Ex hebraico. 68) 8, 25. 69) Cf. Mt 3, 8.

Christum dicentem: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur?* [70] Tremenda plane sententia! *Omnis arbor*, omnis homo cuiuscunque status, conditionis et sexus, quia *non est personarum acceptio apud Deum,* [71] *omnis arbor quae non facit fructum bonum* per observantiam legis, *excidetur* per mortem temporalem *et in ignem mittetur* infernalem.

Duplex est genus praeceptorum: alia affirmativa sunt, alia autem negativa.

Et attendite, o fratres carissimi, quod non dicit Christus Dominus noster: Omnis arbor quae facit fructus malos, sed: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum.* Scitis quod duo sunt legis praecepta, idest duo praeceptorum genera: quaedam sunt affirmativa, uti in Deum credere, festa sanctificare, proximum diligere, parentes honorare; alia vero sunt negativa, ut idola non colere, Dei nomen non assumere in vanum, non falso iurare, non blasphemare, non furari, non occidere, non fornicari, etc. Sic duo sunt praeceptorum genera: quaedam sunt commissionis, quae committuntur contra praecepta negativa, veluti occidere, furari et fornicari; alia sunt omissionis, quae sunt contra praecepta affirmativa, ut in Deum non credere, proximum non diligere, inimicos non diligere sed odire, pauperibus eleemosynas non facere.

Non sufficit ergo abstinere a malo, sed oportet etiam bonum operari.

Non dicas, o christiane: Salvus sum quia mala non facio, non sum fur, occisor, moechus. Audis quid Christus dicat: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur?* Si bonos fructus non facis, salvus non es; si Deum toto corde non diligis et proximum tum amicum tum inimicum tanquam teipsum, salvus non es, sed excideris et in ignem mitteris. Non dicas: Christianus ego sum, ergo salvabor. Vide ne sis christianus aequivocus, christianus nomine et non re. Audi quid Christus hic dicit: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum,* non enim ut mundani principes Christus adulatores diligit, *sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum,* [72] haec enim perfecta iustitia est, Dei voluntatem facere. Non sufficit ad salutem sola fides quae *sine operibus mortua est,* [73] sed illa fides est necessaria quae *per dilectionem operatur.* [74]

70) Ibid. 7, 19. 71) Rom 2, 11; Eph 6, 9; Col 3, 25. 72) Mt 7, 21.
73) Iac 2, 26. 74) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem operatur.*

Qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. Haec est autem, secundum Apostolum, *voluntas Dei, sanctificatio vestra;* [75] nonnisi sancti ergo intrabunt in regnum coelorum. Si ergo volumus ad vitam intrare, servemus mandata Dei, [76] sic enim voluntatem Dei faciemus, sic sancti erimus, sic in coelorum regnum intrabimus in aeterna gloria victuri.

Nonnisi sancti intrabunt in regnum coelorum.

75) 1 Thess 4, 3. 76) Cf. Mt 19, 17.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN

Deus hodie sub figura hominis divitis repraesentatur, quia fons est omnium bonorum

I. Si dives est terra, basis et fundamentum mundi, thesauris metallorum auri et argenti, fodinis marmorum et gemmarum, seminalibus virtutibus omnium generabilium, plantis, floribus, arboribus, fructibus, pretiosis liquoribus et suavibus odoramentis et animalibus; si dives est aqua et mare fontibus, fluminibus, conchyliis, margaritis, corallis et omnigenis piscibus; si dives est aer luminibus, coloribus, rerum visibilium speciebus, spiritibus, nubibus et ceteris meteoricis impressionibus; si dives est coelum solaribus radiis, lunae luminibus, planetarum influxibus, stellarum splendoribus et orbium perpetuis motibus; si dives est paradisus Angelis, supercoelestibus astris; si divites sunt Angeli sapientia, virtute et summi boni possessione; quid mirum, dilectissimi, si, cum sit Deus rerum harum omnium creator et dominus, *homo dives* in sacro hodierno Evangelio a Christo Filio eius unigenito Domino nostro dicitur? *Homo quidam erat dives.* Quod si haec omnia tanquam bona a summo bono communicant nobis divitias suas, terra fructus, aqua pisces, aer pluvias, coelum influxus, sol lucem, quid mirum si, cum sit Deus summum ipsum bonum, divitias suas nobis communicare voluit? *Homo quidam erat dives qui habebat villicum,*[1] et tradidit illi bona sua.

et bona sua nobis communicare voluit.

Det nobis Deus, dilectissimi, ut nos *boni dispensatores* simus *multiformis gratiae Dei.*[2] Hoc enim potissimum est mysterium sacri Evangelii hodierni, quod vobis, favente Deo et gratiam intercedente eius Sanctissima Matre, expositurus advenio. Vos, quaeso, pro me ad Deum orate ut gratiam suam et Spiritum Sanctum nunc mihi donare dignetur, *qui dives est in misericordia.*[3]

1) Lc 16, 1. 2) 1 Petr 4, 10. 3) Eph 2, 4.

PRIMA PARS

Deus Moysi tantum manifestavit nomen essentiae et naturae suae.

II. Apparens omnipotens Deus suo gratiosissimo servo et fidelissimo amico Moysi in deserto, dixit illi: אֲנִי יְהוָֹה : וָאֵרָא אֶל־אַבְרָהָם אֶל־יִצְחָק וְאֶל־יַעֲקֹב בְּאֵל שַׁדָּי וּשְׁמִי יְהוָֹה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם.[4] Altissima plane ego hic sacri hodierni Evangelii video. Vocatur apud M o y s e n Deus אֵל שַׁדָּי, *Deus omnipotens;* in sacro vero Evangelio *homo dives.* At videtur quod אֵל שַׁדָּי non sit proprium Dei nomen, quia ipsemet inquit: *Nomem meum Iehovah non indicavi eis.*[5] Adverte quod propterea אֵל שַׁדָּי proprium Dei nomen non dicitur, quia אֵל proprie potentiam dicit, unde Laban ad Iacob ait: יֶשׁ לְאֵל יָדִי לַעֲשׂוֹת עִמָּכֶם רָע: *Est potestas in manu mea ad faciendum vobis malum.*[6] Ergo non proprium, sed appropriatum nomen est, sicut potestas quae etiam creaturis convenit, unde et homines dii sunt appellati, iusti, Prophetae, iudices et principes divinae potestatis ratione.

ut unitatis essentiae divinae et Trinitatis Personarum mysteria in lege consignaret.

Deinde, quando Moyses petiit quidnam esset nomen Dei, non respondit: אֲנִי אֵל שַׁדָּי: *Ego Deus omnipotens*, sed: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה: *Sum qui sum;*[7] quando autem dixit ut Moyses nomen Dei nunciaret, dixit: כֹּה תֹאמַר לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם;[8] deinde dixit: כֹּה תֹאמַר אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל יְהוָֹה אֱלֹהֵי אֲבֹתֵיכֶם אֱלֹהֵי אַבְרָהָם אֱלֹהֵי יִצְחָק וֵאלֹהֵי יַעֲקֹב שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם זֶה־שְּׁמִי לְעֹלָם וְזֶה זִכְרִי לְדֹר דֹּר.[9] Neque hic men-

4) Ex 6, 3. Ms.: *Ani Iehovah vaera el Abraham veel Isshak veel Iahakob beel scadai usemi Iehovah lo nodahthi lahem,* et infra: *El scadai,* et: *El.* 5) Ex 6, 3. Vulg.: *Nomen meum Adonai.* 6) Gn 31, 29. Ms.: *Iesc leel iadi laascoth himachem rah.*
7) Ex 3, 14. Ms.: *Ehieh ascer ehieh.* 8) Ibid. Ms.: *Coh thomar libne Iisrael ehieh scelahani alehem.* 9) Ibid. vr. 15. Ms.: *Coi thomar el bene Iisrael Iehovah elohe abothechem elohe Abraham elohe Iisshak velohe Iahakob scelahani alechem zeh scemi leholam vezeh zicri ledor dor.*

tionem facit de nomine אֵל שַׁדַּי.[10] Apparuit ergo Deus summis Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, sed nomen suum, nomen essentiae et naturae suae non manifestavit eis, sed Moysi legislatori, ut unitatis essentiae divinae et Trinitatis Personarum mysteria mysteriose in lege propalaret. Hinc semper M o y s e s Deum יְהֹוָה אֱלֹהִים appellat, in uno insinuans essentiae unitatem, in alio pluralitatem personarum.

In divina ergo theologia multo sapientior Moyses ceteris Patriarchis fuit; illi veluti stellae erant, Moyses veluti luna, unde facies eius ita resplenduit in signum sapientiae eius.[11]

Christus tamen Deum non nomine proprio, sed hominis in parabolis suis appellat,

At si Christus tanto sapientior Moyse est quanto sol luna splendidior, unde Christi facies sicut sol resplenduit,[12] quid est quod Christus Deum ipsum non proprio nomine, sed hominem appellat dum loquitur de Deo: *Homo quidam ?* Sic fere semper in parabolis suis Christus Deum hominem appellat, uti in parabola vineae,[13] in parabola filii prodigi,[14] in parabola nuptiarum.[15] Plane non absque altissimo mysterio hoc Christus egit. Primo enim, si sacrae theologiae secretioris mysteria inspiciamus, videbimus quod nomen illud tetragrammaton et nomen hominis in hebraeo eiusdem valoris sunt. אָדָם enim in hebraeo ratione arithemetica numerorum

quia nomen Dei et hominis in hebraico arithemetice eiusdem valoris sunt,

valet quadragintaquinque, magno mysterio, nam ad hominis constitutionem quadragintaquinque res concurrunt ut perfectus sit homo. Si item nomen illud tetragrammaton plenum accipiamus, idem valet numerorum. Nam primo est unitas nominis, secundo prima littera plena valet 20, duae ה 12, ו plenum 12. Haec simul iuncta sunt quadragintaquinque.[16] Idem ergo est valor horum nominum, ve-

10) Ms.: *El scadai*, et infra: *Iehovah Elohim*. 11) Cf. Ex 34, 29 sqq.
12) Cf. Mt 17, 2. 13) Cf. ibid. 20, 1; Mc 12, 1; Lc 20, 9. 14) Cf. Lc 15, 11.
15) Cf. Mt 22, 2. 16) אדם valet 45, nam: א = 1; ד = 4; ם = 40; s. t. 45. Quomodo vero nomen יהוה ratione arithmetica idem valeat numerorum, arcanum est. Ut aenigma hoc solvatur et intelligatur quid sibi velit « littera plena », sic procedendum nobis videtur. Disiungendae sunt singulae litterae huius nominis et tot litteris scribendae quot pronunciantur: י, *iod* plenum: יוד; ה, *he* plenum: הא; ו, *vau* plenum: וו; ה, *he* plenum: הא.

Prima littera plena, י, valet viginti, nam:

luti apud arithmeticos numerus quaternarius plenus denarius est.[17] In secreta ergo theologia idem est dicere יְהוָה et אָדָם,[18] Deus et homo.

Insuper quia sicut homo continet omnia universi bona,

Cur autem Christus magis hoc quam illud nomen adducat, altissimum mysterium est, nam hoc nomen non solum tantum valet, sed etiam illud declarat. Dictus est homo in Scripturis Sacris Dei imago atque similitudo[19] ob id maxime quod sicut homo, una quaedam natura cum sit, in suo tamen esse naturali continet omnia universi bona, veluti ἀνακεφαλαίωσις,[19*] habet enim esse cum elementis coeli et mixtis inanimis, vitam cum plantis, sensum et motum cum animalibus, intellectum cum Angelis, cum quibus etiam gratiam et gloriam participat; bona vero alia ab his non reperiuntur; unus ergo homo suo in esse omnes alias naturas includit; sic et Deus, unus natura cum sit, omnes tamen entium perfectiones summa in excellentia et perfectione continet, sicut unitas omnes numeros, ignis omnes gradus caloris et sol lucis. Hinc Deus omne bonum dictus est, ita nanque Moysi respondit cum petiit ille divinum aspicere vultum: *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum;*[20] sicut enim qui solem videt, omnem lucem intuetur, ita qui Deum videt, videt omne bonum. Videtis quanta ratione Christus Deum hominem appellat: *Homo quidam?*

sic Deus omnes entium perfectiones.

Deus etiam dicitur hic *homo quidam*

III. Sed, quaeso, aliud mysterium advertite. *Ego sum Deus,* inquit, *et apparui Abraham*, etc. Quid est: *Et apparui ?* Et visus sum, וָאֵרָא enim idem est ac v i s u s s u m, a verbo רָאָה.[21]

י = 10, ו = 6; ד = 4;	s. t. 20.
Secunda littera plena, ה, valet sex, nam:	
ה = 5, א = 1;	s. t. 6.
Tertia littera plena, ו, valet duodecim, nam:	
ו = 6, ו = 6;	s. t. 12.
Quarta littera plena, ה, valet sex, nam:	
ה = 5, א = 1;	s. t. 6.
Quibus si addatur unitas nominis tetragrammaton,	1.
summa totalis erit	45.

17) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 9, col. 1237. 18) Ms.: *Iehovah* et: *Adam*. 19) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 19*) Ms.: *Anachephaleosis*. 20) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi*. 21) Ms.: *Vaera* et: ראה.

quod est videre. Sic et in *Genesi* inquit: יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה: *Et appareat arida*, et videatur arida.[22] Ergo apparere Deum est videri Deus. Sed quid est videri Deus? Nonne scriptum est: *Non... videbit me homo et vivet?*[23] *Deum nemo vidit unquam?*[24] *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest, lucem* enim *habitat inaccessibilem?*[25] Quomodo ergo apparuit, si videri non potest? Unde nec oculus corporis gloriosi, etsi lumine gloriae confirmatus, poterit Deum videre in patria; nam etiam glorificatus, corporeus erit non spiritus, sensus non intellectus; confirmatus autem erit ut possit lucidissimam gloriam corporis Christi videre et omnium aliorum Beatorum sole multo lucidius splendentium. Si ergo homo beatus in patria non poterit oculis corporeis divinam essentiam videre, quomodo homo viator Deum unquam videre potuerit?

ad innuendum mysterium humanitatis in Deo.

Ezechiel propheta; hunc vinculum enodat; inquit enim se Deum vidisse כְּמַרְאֵה אָדָם, *tanquam visionem hominis;*[26] et sic visus Deus Iacob,[27] Moysi,[28] Isaiae,[29] Michaeae,[30] Danieli[31] et praedicto Ezechieli fuit. Ergo et cum dicit: *Ego sum Deus, et apparui*, in voce *apparui* mysterium hoc humanitatis in Deo et ipse Moyses posuit, qui Deum in humana forma patriarchis apparuisse testatur. Altissimo ergo mysterio Christus Deum hominem appellat: *Homo quidam erat dives. Apparui in Deo omnipotente* et *homo dives* forte idem est.

Dicitur *homo dives*, quia solus Deus sibi sufficiens est.

Sed, quaeso, attendite mysterium. אֵל שַׁדָּי idem est ac Deus qui est sufficiens; שַׁדָּי,[32] quasi שֶׁדַּי, quod sufficit. Est quidem terra dives, at non sufficit sibi, pluvia enim et sole eget, alioquin pauperrima efficitur et omnia animalia et homines fame pereunt. Est coelum dives astris, sed luce solari eget, alioquin omni luce privatur et obscurissimum est; non

22) 1, 9. Ms.: *likauu hammaim mitahath hascamaim makon el ehad vatterach haiabascah.*
23) Ex 33, 20. 24) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 25) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Lucem inhabitat..., nullus hominum*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 26) 1, 26. Ms.: *Chemareh Adam* 27) Cf. Gn 28, 13. 28) Cf. Ex 24, 10. 29) Cf. Is 6, 1.
30) Cf. 3 Rg 22, 19. 31) Cf. Dn 7, 9. 32) Ms.: *El scadai*, et infra: *Scadai, scedai.*

ergo est sibi sufficiens. Erat homo in paradiso dives valde, sed egebat gratia Dei, quam cum amisit, nudum se conspexit et foliis ficus egentem pro vestimento.[33] Erat dives Lucifer in coelo, suprema omnium creaturarum, sed non sibi sufficiens, sed gratia Dei et ipse egebat quam cum peccando amisit, pauper et miserabilis factus est, infelicissimus cacodaemon. Sic nulla sibi sufficit creatura. Hoc est quod Sapiens dixit: הֲבֵל הֲבָלִים הַכֹּל הָבֶל.[34] Solus ergo Deus sibi sufficiens est, solus Deus dives, omnipotens, hoc est אֵל שַׁדַּי, Deus omnipotens, homo dives: *Homo quidam erat dives.*

Hoc est quod in Scripturis Sacris Deus non tantum in humana figura visus est, sed in regis prosopopoeia, hominis regis divitis, regibus enim divitiae non desunt: *Homo quidam erat dives; Domini est terra et plenitudo eius;*[35] *Tu* enim *fecisti* omnia, *coelum et terram et universa quae coeli ambitu continentur, Dominus universorum tu es.*[36] Posset item mille et millies mille mundos creare hic Deus, si vellet; at isti immensi thesauri sunt qui in archivis idearum mentis eius continentur, sicut omnis rex thesauros habet absconditos: *Homo quidam erat dives,* Dei enim sunt omnes divitiae coeli et terrae. **Ideo repraesentatur etiam in S. Scriptura sub forma regis divitis,**

Sed, quaeso, videamus quam sufficientes sunt divitiae Dei. Et quidem divites mundi omnes ideo divites sunt, quia terrenas divitias acquisitas habent, non enim terrenae divitiae nisi a terra ortum habent; quare passive sicut luna divites sunt; Deus autem formaliter et effective dives [est] sicut sol lucidus et ignis calidus: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[37] **ipse enim vere et formaliter dives est,**

Item omnes mundanae divitiae terrae sunt, non hominum, ideo in terra semper manent, nec homines eas semper possident, sed illis privari possunt; Deus autem a nemine privari suis potest, sicut nec sol luce sua, nec mare suis aquis, nec terra suo pulvere, nec coelum suis stellis. **et suis divitiis a nemine potest privari,**

Item in mundo quis dives [est] opibus, sed pauper honore, uti

33) Cf. Gn 3, 7. 34) Eccle 1, 2. Ms.: *Habel habalim vehaccol habel,* et infra: *El scadai.* 35) Ps 23, 1. 36) Est 13, 10-11, Vulg.: *Et quicquid coeli... Dominus omnium es.* Affert ex Missali Rom., Dom. 21 post Pent., *Introitus.* 37) Iac 1, 17.

dives avarus, fenerator, carnalis et vanus; Deus autem circumdatus est honore sicut sol splendentibus radiis.

Item quis dives est et opibus et honore, sed pauper voluptatibus honestis, vel propter infirmitates graves vel propter adversae fortunae calamitates; Deus autem suapte natura felix est, beatus et impassibilis sicut sol lucidus.

suapte natura beatus,

Item quis hisce etiam dives est, sed pauper potestate, quia privatus vir est non princeps; Deus autem summus rex est: *Rex regum et Dominus dominantium.* [38]

summus rex et Dominus,

Item quis potestate dives erit, potentatu inops inopia gentium et exercituum; Deus autem innumerabiles habet exercitus, non est numerus militum eius: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris.* [39]

Multi item virtute exercituum divites et copia gentium, pauperes sapientia sunt ad regendum, non omnes sunt sapientes ut Salomon; [40] Dei autem infinita sapientia est.

infinita sapientia praeditus,

Multi divites et hisce sunt, sed possunt omni hac virtute privari bello, fame, peste et morte; Dei autem immortales exercitus sunt; potest autem ipse omnes mortuos vivificare et immortalitate donare, sicut faciet in die iudicii. [41] At vero et diabolus immortales habet daemonum exercitus, sed iustitia omni privatus est; sic sunt multi principes mundi omni iniustitia et nequitia pleni; Deus autem et sanctissimus et iustissimus est, imo ipsamet sanctitas et iustitia sicut sol lux et ignis calor; dat autem Deus unicuique iuxta opera sua, [42] iustis praemia vitae aeternae, iniustis poenas aeternae mortis.

sanctitate, iustitia

Multi item principum divites sunt iustitia et severitate legum, sed nesciunt misereri; Deus autem misericordissimus est: *Misericordia Domini plena est terra;* [43] *Miserationes eius super omnia opera eius;* [44] *Universae viae Domini misericordia et veritas;* [45] *Qui dives est in misericordia.* [46]

et misericordia,

Si quis vero optimus princeps his etiam virtutibus polleat, vita tamen ipsa non potest non pauper esse, quia mortales omnes sumus, nec vitae certitudinem aliquam habemus, sed vorax tempus omnes

solus aeternus.

38) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 39) 3 Rg 22, 19. 40) Cf. ibid. 3, 5 sqq.; 2 Par 1, 7-12. 41) Cf. Io 5, 28. 42) Cf. Prv 24, 12; Mt 16, 27; Rom 2, 6. 43) Ps 32, 5. 44) Ps 144, 9. 45) Ps 24, 10. 46) Eph 2, 4.

consumit aetates: *Omnes morimur et sicut aquae dilabimur .... quae non revertuntur.* [47] Coelum hoc, unde tempus vitae habemus, veluti rhombus quidam est, qui singulis circumlationibus aliquid de lana tollit, quousque plenas exoneret colus et saepe saepius praematurus rumpitur filus; Deus autem suapte natura immortalis est: *Qui solus habet immortalitatem,* [48] ipse enim solus aeternus est, qui nunquam incoepit nec aliquando desinet esse. Quam vere ergo Christus Dominus noster Deum vocavit hominem divitem: *Homo quidam erat dives!*

Homo dives: duobus hisce verbis Christus duas attulit rationes quibus tenemur Deum diligere.

IV. Sed nobis Christus duobus hisce in verbis sapientissima mente duas attulit principalissimas rationes quibus tenemur Deum dil'gere. Primo, quia *homo* est, idest *omne bonum*, summum bonum, cuius nos imagines et similitudines sumus; secundo, quia *dives* est: *Dives,* inquit Paulus, *in misericordia.* Hoc est quod Divus Vates aiebat: הוֹדוּ לַיהוָה כִּי־טוֹב כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ: [49] *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [50] Ecce *homo : Quoniam bonus : Nemo bonus nisi solus Deus ;* [51] *dives in misericordia : Quoniam in aeternum misericordia eius.*

Misericordiam et caritatem Dei cognoscere nos oportet ut eum diligamus;

O nos felices, carissimi, [si] hanc misericordiam Dei in nos et caritatem agnosceremus! אֵל שַׁדַּי, [52] significat etiam vox ista Hebraeis materna ubera, designat vero nobis ea caritate nobis misereri Deum qua mater diligentissima filio dat ex uberibus lactem. Non legistis apud Isaiam : Nunquid potest mulier oblivisci pueri sui ut non recordetur filii uteri sui? *Et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui ?* [53] Videtis qua nos caritate diligit *homo* iste *dives ?* Quomodo dives est misericordia eius? Non est in mundo vir qui non velit a summis principibus amari et summam apud eos gratiam habere, quia divites et praepotentes sunt; et nos de gratia Dei et amore erga nos nihil curamus! Scitis quare? Quia in tenebris ambulamus et non in lumine. In nocte ad depellendas tenebras lumina lucernarum et lampadum quaerimus, diu vero, lucente sole,

47) 2 Rg 14, 14. Vulg.: *Et quasi aquae,* etc. 48) 1 Tim 6, 16. 49) Ms.: *Hodu laihovah chi tob chi leholam hasdo.* 50) Ps 117 (hebr. 118), 1. 51) Lc 18, 19. 52) Ms.: *El scadai.* 53) 49, 15. Vulg.: *Et si illa,* etc.

necessaria lumina illa nil sunt; sic qui gratiam Dei habet, gratiam mundi non quaerit.

Eh, dilectissimi, si homines sumus, hunc hominem toto corde diligamus, et si vere divites esse volumus, ei adhereamus, quia nos hic gratia sua ditabit et gloria in futuro. Sed heu, heu, heu! hodie ubinam reperitur qui Deum toto corde diligat? aut qui velit diligere? aut qui desideret velle? *Obstupescite coeli . . . et portae eius desolamini vehementer,* dicit Dominus per Ieremiam; *duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas dissipatas, cisternas, quae aquas continere non valent.* [54] Quidnam hoc est? Idemmet Deus per eundem Prophetam dicit: *Audite verbum Domini, domus Iacob . . . Haec dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me et ambulaverunt post vanitatem et vani facti sunt?* [55] Peius autem multo est quod per Isaiam Dominus ait: *Audite, coeli, et auribus percipe, terra, quia Dominus locutus est: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* [56] *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* [57] *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [58] Nos miseri! vanitatem diligimus et non veritatem, tenebras et non lucem, malum et non bonum, mortem et non vitam!

sed quia Deum non diligimus, vanitates quaerimus.

Quaeso, quidnam iniquitatis in Deo reperimus quod diligere nolumus? Quod si summum bonum est, cur ergo non summe diligimus? Dilige Dominum Deum tuum, o christiane, *ex toto corde tuo.* [59] O carissimi, si sciremus quam bonum et iucundum est Deum diligere, certe nihil aliud omnino desideraremus. Amor enim Dei paradisus quidam deliciarum est et felix quaedam beatitudo in terra. Hoc vellem ego, dilectissimi mei, ut nihil aliud peteremus a Deo omni tempore, nisi ut gratiam nobis daret diligendi Deum ex toto corde, in veritate. O tunc nos felices et ter quaterque beati! Deum enim intra nos ipsos et possideremus et frueremur. Non enim possibile est ut quis Deum in veritate diligat et non fruatur cum vere possideat. Rem olentissimam manu pertractare, ad nares apponere

Deum cognoscere et amare suavissimum est et vera beatitudo.

54) 2, 12-13. Vulg.: *Cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*
55) Ibid. vrr. 4-5. 56) 1, 2. Vulg.: *Audite, coeli... quoniam Dominus,* etc.
57) Ps 4, 3. 58) Eccle 1, 2; 12, 8. 59) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.

et non sentire suavitatem odoris, mel dulcissimum gustare et non sentire dulcedinem quis potest? suavissimum concentum audire et spectacula videre pulcherrima et non laetari? Sic fieri non potest ut Deum cognoscentes et diligentes ac per gratiam possidentes in cordibus nostris, non perfruamur summa bonitate eius, qui summum est bonum, omne bonum quod diligere possumus.

SECUNDA PARS

Dives dicitur Deus quia Dominus universi.

V. *Homo quidam erat dives qui habebat villicum:* Ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος ὅς εἶχεν οἰκονόμον :[60] *Homo quidam erat dives qui habebat dispensatorem,* οἰκονόμος enim graece idem est ac dispensator rei domesticae, ἀπό τοῦ οἶκος,[61] quod est d o m u s, et νέμιν, quod est d i s t r i b u e r e quae ad rem domesticam pertinent; sive etiam ἀπό τοῦ οἶκος et νόμος, quod est l e x, ut significet eum qui lege domum gubernat.

E s s e Dei est aeternum, quia esse et essentia in Deo idem sunt, h a b e r e vero temporale, quia est respectus ad extra. Hoc [est] *erat dives,* quia aeternae sunt divitiae Dei, in se ipso omnia bona continens. Sed cum universum hunc mundum creavit et omnia quae in eo sunt, veluti alter Assuerus ut divitiarum suarum gloriam demonstraret,[62] habere coepit creatas divitias ex tempore.

hominem vero constituit dispensatorem divitiarum suarum.

Legimus autem Abraham patriarcham universalem domus suae oeconomum, idest dispensatorem habuisse Eliezer damascenum;[63] sic princeps quilibet habet suum dispensatorem qui totius palatii curam habet; sic item et Deus voluit villicum habere, nec opus est multis quaerere quisnam is fuerit. Nam fabricato hoc mundi palatio, Deus hominem *ad imaginem suam creavit*[64] eumque totius mundi villicum effecit ut dominaretur rebus omnibus.[65]

Diffamatus autem hic villicus fuit apud Deum *quasi dissipasset bona illius,*[66] quia peccando gratiam Dei amisit; nec latuit Deum Adae peccatum, quapropter vocavit illum Deus dicens: Adam, *ubi*

60) Lc 16, 1. Ms.: *Antropos tis in plusios os ichen iconomon.* 61) Ms.: *Apo tu icos,* et infra: *Nemin, apo tu icos nomos.* 62) Cf. Est 1, 3-4. 63) Cf. Gn 15, 2. 64) Ibid. 1, 27. 65) Cf. ibid. vr. 26. 66) Lc 16, 1. Vulg.: *Bona ipsius.*

Villicus diffamatus figura hominis, qui peccando gratiam Dei dissipavit.

es ? [67] *Redde rationem villicationis tuae.* [68] Num de ligno *de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti ?* [69] *Iam enim non poteris villicare,* [70] quia eiecit illum Deus a paradiso et mortis eum sententia damnavit. [71] Nunc quid facto opus est? *Ait autem villicus intra se : Quid faciam ? Fodere non valeo,* idest propria virtute amissam gratiam recuperare, *mendicare erubesco:* [72] sic Adam erubescebat post peccatum coram Deo apparere itemque erubuit amissam gratiam a Deo quaerere et peccati remissionem. [73] Quid agendum ergo? quid agendum? Fame moriendum est? *Quid faciam quia dominus meus aufert a me villicationem ?* [74] Factis opus est, non dictis. Ait villicus intra se: *Quid faciam,* non quid dicam.

Ad salutem consequendam necessaria sunt opera misericordiae.

Quaeso, dilectissimi, advertite mysterium. Christus apud Divum Lucam tribus parabolis, ovis perditae, drachmae mulieris et filii prodigi, ostendit summam erga nos peccatoris Adae filios peccatores misericordiam Dei infinitamque clementiam, [75] at ne homo [76] spe quadam vana et mortua nimis huic gratiae fidat, perseveret autem in peccatis et bona opera negligat, statim parabolam et exemplum adduxit quod necessaria sint pietatis opera ad salutem: exemplum est de divite illo *qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide,* qui *mortuus est... et sepultus... in inferno,* [77] quia pauperi Lazaro, mendico miserabili, misertus non fuit nec eleemosynas faciebat. [78] Parabola autem ad hoc idem probandum a Christo inducta est praesentis Evangelii.

Vult Christus ut divites cogitent se in hoc mundo Dei esse administratores,

Divitibus ergo praecipue Christus in hoc Evangelio loquitur vultque ut divites cogitent se hoc in mundo Dei esse factores, procuratores, villicos, dispensatores, qui debent secundum voluntatem dominorum bona sibi commissa distribuere et calendarios tenere, libros rationarios et adversarios ex amussim registratos, absque errore, ut recte possint totius villicationis rationem reddere exitus et introitus. O utinam sic facerent mundi divites et iugiter recordarentur huius parabolae!

Quaeso, divites, dicite mihi: undenam divitias vestras habetis? Num vos in hunc mundum intulistis? Nonne nudi in mundum hunc

67) Gn 3, 9. 68) Lc 16, 2. 69) Gn 3, 11. 70) Lc 16, 2. 71) Cf. Gn 3, 23 sqq. 72) Lc 16, 3. 73) Cf. Gn 3, 7-12. 74) Lc 16, 3. 75) Cf. 15, 3 sqq. 76) Ms.: *Nos* loco: *Homo.* 77) Lc 16, 20-22. 78) Cf. ibid. vrr. 20-21.

venistis? Quis creavit divitias quas possidetis? Vos ne? Nonne Deus? Dei sunt ergo et vos villici eius estis. Non poterat Deus facere ut vos filii pauperum et mendicorum nasceremini? Placuit tamen Deo ut vos faceret divitiarum suarum villicos, vobis divitias dare. Nonne ergo debetis vos secundum voluntatem Dei divitias expendere et distribuere? **divitiae enim Dei sunt et divites villici eius;**

Si autem aliter feceritis, ecce quid sequitur: *Et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona illius.* Pauperes esurientes, sitientes, nudi, multa patientes vos apud Deum accusant, daemones, Angeli, conscientia ipsa; ipsemet Deus videt qui per divinam inspirationem venit ad cor et dicit: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, iam enim non poteris villicare.* In morte, inquit, rationem Deo reddes quomodo divitias expenderis. Quid facis? Dissipas bona Dei in peccatis et vanitatibus mundi? *Redde rationem.* **si autem contra fecerint, rationem Deo reddent.**

O paterfamilias, et tibi dicet Deus: *Redde rationem.* O sacerdos, et tibi Deus dicet: *Redde rationem*, quomodo Sacramenta divina administraveris. O praelati utriusque potestatis, et unicuique vestrum dicet Deus: *Redde rationem villicationis tuae*, quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo rexisti: *Iam enim non poteris villicare*, mors enim omnia aequat,[79] omnibus dat finem. **sicut omnes qui Dei dona administrant.**

VI. Sed prudens iste villicus *ait intra se: Quid faciam?* Eh, carissimi, dicamus et nos semel intra nos: Quid faciemus? Cogitemus quid erit de nobis in hora mortis, quid in die iudicii. *Quid faciam quia Dominus... aufert a me villicationem?* Mori necesse est et non est redemptio. Et quidem omnes bona Dei dissipavimus, quia omnes peccavimus: *In multis... deliquimus omnes.*[80] *Quid faciam? Dominus meus aufert,* non inquit auferet, sed *aufert,* quia mortales nedum sumus, sed mors nobis semper praesens est nec certum quippiam vitae spatium habemus. Non meministis poetici illius mysterii trium Parcharum, quarum una fusum tenet, altera colum, tertia forfices ad filum admotas, ut si modicum quid digitos **Cogitare debemus quid erit de nobis in hora mortis et iudicii, qui bona Dei dissipavimus.**

79) Cf. Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 2, vr. 302.

80) Iac 3, 2. Vulg.: *Offendimus omnes.*

stringat, resecet filum?[81] Nam haec tempora sunt praeteritum fusus, futurum colus, praesens forfices. Et quod peius est, inquit hic villicus: *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Omnes hoc dicunt: Non possum semper ieiunare, disciplinare carnem, portare cilicium, peccata mea plangere: *Fodere non valeo, mendicare erubesco,* frequentare iugiter sanctissima Sacramenta, ecclesias visitare, semper orationi vacare, his enim modis gratiam et veniam peccatorum a Domino postulamus. Item inquit ille: Non possum pro peccatis meis Religionem ingredi pauperem et arctam Mendicantium, qui semper de eleemosynis vivunt.

Nullius desperata est salus, sed oportet operibus misericordiae incumbere

Quid ergo? Desperata est salus? Non possunt salvari? Nonnisi Religiosi salvantur? Deus *vult omnes homines salvos fieri,*[82] sic et Christus *pro omnibus mortuus est.*[83] *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.*[84] Incipit domini sui bona distribuere. Hoc est quod Daniel propheta dixit Nabuchodonosor regi: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum;*[85] hoc est quod Christus dixit: *Facite eleemosynas et ecce omnia munda sunt vobis;*[86] hoc est quod ipse aiebat: *Estote... misericordes sicut... Pater vester* coelestis *misericors est;*[87] hoc quod dicebat: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;*[88] et illud: *Eadem... mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis;*[89] et in iudicio electos salvat, quia, inquit, *esurivi... et dedistis mihi manducare,* reprobos vero damnat, quia, inquit, *esurivi..... et non dedistis mihi manducare;*[90] hoc est demum quod in hoc Evangelio Christus dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* hoc est de divitiis, *ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*[91] Regnum coelorum pauperibus a Christo datum fuit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[92] Ergo si divites illud volunt, necesse est ut a pauperibus per eleemosynas emant, alioquin iam data a Christo sententia est: Impossibile est divites intrare in regnum coelorum.[93]

et eleemosynis regnum coelorum emere,

81) Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 3, cp. 6, pag. 174-178. 82) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 83) 2 Cor 5, 15. 84) Lc 16, 4. 85) 4, 24. Vulg.: *Misericordiis pauperum.* 86) Lc 11, 41. Vulg.: *Date eleemosynam.* 87) Ibid. 6, 36. 88) Mt 5, 7. 89) Lc 6, 38. 90) Mt 25, 35. 42. 91) Lc 16, 9. 92) Mt 5, 3. 93) Cf. ibid. 19, 23-24; Mc 10, 24-25; Lc 18, 24-25.

Non tamen intelligendum hic est quod liceat furari et ex furto eleemosynam facere; sed a minori argumentatur Christus, quod si laudatus hic villicus fuit hoc faciens, quanto magis laudabitur a Deo qui bona sibi ad hoc data pauperibus erogaverit?

Sed heu! quam verum est hodie quod Christus dicit: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt!* [94] Nos felices si eam quisque prudentiam haberet ut Deo placeret, quam quisque habet ut placeat mundo! Quae sanctitas in mulieribus cerneretur si ea diligentia studerent placere Deo qua student placere mundo! si mercatores tantum insudarent pro acquirendis coelestibus thesauris quantum laborant pro terrenis! si patricii viri pro divina gloria acquirenda adeo solliciti essent uti sunt pro mundana! si artifices sic vellent doctrinam christianam addiscere quemadmodum artes! — **quod tamen valde pauci facere volunt.**

Sed *filii huius saeculi prudentiores filiis lucis... sunt.* Sed quid dico? Iam Christus eleemosynae centuplam mercedem promittit in hoc saeculo et vitam aeternam in futuro. [95] Quid est ergo quod tam renitenter eleemosynae fiunt? Si sic liceret fenerari in mundo, quis non esset fenerator? Pro uno centum accipere, et nolumus? et non sic feneramur? O caecitas execranda! Credimus Christo? credimus vera esse Christi verba? Sic legimus in figura Isaac patriarcham seminasse et centuplum collegisse. [96] — **Maxima promittitur eleemosynae merces;**

Sed *filii huius saeculi prudentiores filiis lucis... sunt.* Nihil aliud attentat diabolus nisi prudentiam christianam perdere; sic Naas ammonites servis suis dextros oculos eruebat. [97] In homine duplex est oculus; in christiano duplex esse debet prudentia: temporalium rerum et spiritualium; haec dexter oculus est, illa sinister. At vero diabolus de sinistro eruendo non curat, sed de dextro, quia si quis Deum et voluntatem eius non cognoscit, amare non potest et peccata nulla evitabit; sine prudentia vero christiana non cognoscitur Deus nec voluntas eius; sic Philisthaei Samsoni oculos eruerunt, [98] sic Nabuchodonosor oculos effodit Sedeciae regis Iuda, captivi, [99] sic temporalium rerum amorem diabolus oculos mentis — **sed diabolus prudentiam christianam perdere conatur ne Dei et voluntas divina cognoscatur.**

94) Lc 16, 8. 95) Cf. Mt 19, 21; Mc 10, 21; Lc 18, 22. 96) Cf. Gn 26, 12.
97) Cf. 2 Rg 11, 2. 98) Cf. Idc 16, 21. 99) Cf. 4 Rg 25, 7.

nostrae excaecat, ut Deum et voluntatem eius sanctissimam cognoscere non possimus.

Ergo si salvari volumus, fratres carissimi, Deum rogemus ut oculos nostros illuminet, ut possimus in omnibus voluntatem eius facere, illum toto corde diligere et proximos nostros tanquam nos ipsos.[100] Haec enim servare oportet, si volumus ad vitam intrare, quod nobis Deus concedat.

100) Cf. Mt 5, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN

I. Si in admirabili spectaculo faciei humanae, qua videri in mundo hoc nil pulcrius potest, propter admirandam sympathiam unionis animae et corporis, sensus et rationis, carnis et spiritus, partium concupiscibilis, irascibilis et rationis, veluti in aperto theatro videntur omnes motus, affectiones et passiones animi non duplicis et cordis non ficti, quid mirum si in Christo, qui facies illa Dei est quam Moyses videre cupiebat: Obsecro, Domine, *si . . . inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*,[1] de qua Divus Vates aiebat: *Ostende faciem tuam et salvi erimus*,[2] et: *Respice in faciem Christi tui*,[3] propter superadmirandam divinae et humanae naturae unionem luce clarius conspiciuntur hodie affectus divini cordis, misericordiae et irae, dum videns Ierusalem, misericordia motus flet super eam, et templum divinum profanatum cernens, ex zelo divini honoris seipsum ad iram movens, inde eiicit profanatores?[4] Nos felices, carissimi, si ad haec duo cogitemus semper, ad divinam scilicet et misericordiam et iustitiam! Profecto et iustitiam timeremus et misericordiam speraremus; hoc faceret ut bonum diligeremus, illud ut malum odio haberemus, in quibus vitae perfecta iustitia consistit, unde datur aeterna salus.

Duo semper cogitanda nobis sunt: divina iustitia et misericordia.

1) Ex 33, 13. Vulg.: *Gratiam in conspectu tuo.* 2) Ps 79, 4. 8. 20. 3) Ps 83, 10. 4) Cf. Lc 19, 41-45.

PRIMA PARS

Quattuor sunt praecipua divina attributa: potentia, sapientia, misericordia et iustitia,

II. Sicut quattuor sunt mundi universales causae: efficiens, materialis, formalis et finalis; quattuor elementa ex quibus constant omnia quae videntur;[5] quattuor quae hominis esse perficiunt: natura, vita, sensus et intellectus; quattuor virtutes quae illum perfectum reddunt: iustitia, prudentia, fortitudo et temperantia; quattuor quae absolute gratum faciunt Deo: fides, spes, caritas et gratia; quattuor quae beatum corpore efficiunt: claritas, impassibilitas, subtilitas, agilitas; item quattuor quae spiritum beant: lumen gloriae, visio, possessio et fruito summi boni; ita in mystica theologia quattuor sunt nominis divini elementales litterae: י, ה, ו, ה,[6] et in theologia symbolica quattuor divina attributa: potentia, sapientia, misericordia et iustitia. Hinc dicitur Deus אֵל גִּבּוֹר,[7] *Deus potens*, יְהוָה צְבָאוֹת,[8] *Deus exercituum*, idest Angelorum, qui sunt sapientissimi spiritus, pleni sapientia sicut stellae luce, אֵל רַחוּם וְחַנּוּן, *Deus misericors et gratiosus*,[9] אֵל קַנָּא, *Deus zelotes*,[10] idest Deus iustus.

quae iugiter in S. Scriptura nobis demonstrantur,

Et recte quidem quattuor haec attributa quattuor litteris nominis illius, quod divinam essentiam significat, correspondent, quia nec illa essentia aliud est quam haec quattuor attributa, nec ista aliud sunt quam divina essentia. Ideo consultissimum Scripturis Sacris est haec nobis iugiter demonstrare, quod faciunt primo in mundi creatione: potentiam ostendunt, quia ex nihilo creasse Deum asserunt coelum et terram;[11] sapientiam, quia sua tantum arte mundum hunc optima ratione fabricavit; iustitiam et misericordiam in casu Angeli et lapsu hominis: eos punire iustitia fuit, non annihilare misericordia.[12] Haec item ostendunt in legislatione: potentiam, quia commovit coelum et terram; sapientiam, quia legem dedit omni sapientia plenam; iustitiam, quia dedit ad punienda peccata; misericordiam, quia pro gentis fidelis salute.

5) Idest: terra, aqua, aer, ignis. Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 217.
6) Ms.: *Iod, he, vau, he.* 7) Ps 23 (hebr. 24), 8; Ier 32, 18. Ms.: *El ghibor.*
8) In innumeris prope locis. Ms.: *Iehovah zebaoth.* 9) Ex 34, 6. Ms.: *El rahum vehanun*
10) Ex 20, 5; 34, 14. Ms.: *El kanah.* 11) Cf. Gn 1, 1. 12) Cf. ibid. 3, 1 sqq.

Supra omnia vero in Verbi Dei incarnatione haec ostenduntur. Summae enim potentiae opus fuit ut Deus faceret hominem verum Deum et Deum verum hominem, et facere ut in uno homine habitaret omnis plenitudo divinitatis,[13] quem coeli et coeli coelorum capere non possunt;[14] summa sapientia, incomprehensibile opus efficere ut sicut Deus unus est substantia in tribus personis, ita Christus una esset persona in tribus substantiis: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!*[14a] summa misericordia, quia *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum*, consubstantialem, coaeternum et coaequalem *daret;*[15] summa iustitia, quia Filium pati voluit propter Adae peccatum.

et super omnia ostenduntur in Verbi incarnatione.

Est Deus summus rex universi; principi autem quattuor haec summe necessaria sunt: potentia, quia impotentes principes facile contemnuntur; sapientia, ut recte administrare status sui rempublicam sciat; iustitia, ut peccata puniat; misericordia, ut princeps amabilis sit, non uti tyrannus crudelis, odibilis. Sic Deum summum regem Scripturae ostendunt.

Haec attributa maxime principi conveniunt.

Sed quidnam illud est quod Zacharias propheta ait? וְהָיָה יְהוָה לְמֶלֶךְ עַל־כָּל־הָאָרֶץ בַּיּוֹם הַהוּא יִהְיֶה יְהוָה אֶחָד וּשְׁמוֹ אֶחָד?[16] Nonne semper fuit rex Deus? Quid est ergo *erit? Erit Dominus rex super omnem terram*. Homo futurus erat Deus et homo rex, sedens super solium Davidis:[17] ecce Christus, Deus et homo, qui tanquam rex ingreditur hodie Ierosolymam. Ingressus enim hic Christi ille est qui in die palmarum celebratur, uti apud Lucam clarissime cernitur;[18] illud autem factum est ut adimpleretur Zachariae vaticinium dicentis: גִּילִי מְאֹד בַּת־צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת־יְרוּשָׁלַםִ הִנֵּה מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמוֹר.[19] Ille ergo rex Christus est, de quo ait

ideo et Christo, qui Deus est et homo rex,

13) Cf. Col 2, 9. 14) Cf. 3 Rg 8, 27; 2 Par 6, 18. 14a) Rom 11, 33. 15) Io 3, 16. 16) 14, 9. Ms.: *Vehaiah iehovah lemelech hal col haarezz beiom hahu iihieh iehovah ehad usceemo ehad.* 17) Cf. Is 9, 7. 18) Cf. 19, 28-40. 19) 9, 9. Ms.: *Ghili meod bath zzion harihi bat ieruscalaim hineh malchech iabo lach zzadik venoscah hu hani verocheb hal ha mor.*

iste **P r o p h e t a** : *Erit Dominus rex super omnem terram,* rex divinus, rex Deus homo. Si ergo Christus rex Deus, conveniunt ei procul dubio quattuor illa attributa: potentia, sapientia, misericordia et iustitia. Sicque in Evangelio haec quattuor praecipue de Christo ostenduntur: potentia in miraculis, sapientia in praedicationibus Evangelii sui, misericordia in pascendis turbis, aiebat enim: *Misereor super turbam,*[20] iustitia in iudicii praesentatione.

sicut elucent in hodierno Evangelio

Potissime vero in Christi passione haec de eo ostenduntur: potentia, quia in cruce miracula summa fecit; sapientia, quia diabolum vicit; misericordia, quia in remissionem peccatorum nostrorum proprium sanguinem dedit; iustitia, quia pro totius mundi peccatis Deo satisfecit. Omnia ergo haec quattuor attributa divina Christo conveniunt, sicut et nomen quattuor litterarum: וְזֶה־שְּׁמוֹ אֲשֶׁר־יִקְרְאוֹ יְהוָה צִדְקֵנוּ.[21]

et maxime in Christi passione.

III. Sed sacrosanctum Evangelium hodiernum, cum Christum nobis uti regem summum ostendat, haec quattuor praecipue de eo ostendit. Primo misericordiam, quia *videns civitatem flevit super eam.*[22] Misereri est malis adversae fortunae proximis compati; Christus autem ideo flet super Ierusalem: *Quia,* inquit, *si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,*[23] mala extremae ruinae.

Hodiernum Evangelium ostendit Christi misericordiam,

Item et iustitiam Christi demonstrat praesens Evangelium, quia *ingressus in templum coepit eiicere vendentes in illo et ementes.*[24] **D i v u s I o a n n e s** rationem huius reddit: *Quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me,*[25] et hic Christus Deus ille est qui dictus est אֵל קַנָּא,[26] *Deus zelotes;* item de quo scriptum est: *Deus noster ignis consumens est.*[27] Zelo itaque iustitiae ardens Christus hos eiicit a templo Dei: *Quia,* inquit, *domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.*[28] Templum enim domus Dei est, locus sanctus et porta coeli, ideo summa cum

iustitiam,

20) Mc 8, 2. 21) Ier 23, 6. Ms.: *Vezeh scemo ascer ikreu iehovah zzidkenu.*
22) Lc 19, 41. Vulg.: *Flevit super illam.* 23) Ibid. vr. 42. 24) Ibid. vr. 45.
25) 2, 17. 26) Ms.: *El kanah.* 27) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 28) Mt 21, 12; Mc 11, 17; Lc 19, 46.

reverentia standum ibi est ad Deum toto corde colendum, unde mortalia vitia omnia deponenda sunt cum templum Dei ingredimur. Et hoc forte est quod Dominus Moysi praecepit, cum primo ei in deserto apparuit in igne flammae rubi. Cum enim vellet Moyses ad vocantem Deum accedere pedibus calceatis, inquit Deus: *Ne appropies... huc; solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* [29] Vocat nos ad se Deus, vult nos templa sacra adire, sed absque mortalibus vitiis, alioquin eiiciet nos a templo suo Christus.

Tertio ostenditur hic Christi summa potentia dum hos mercatores eiicit. Pro magno miraculo habetur in Scripturis quod David iuvenis Goliath gigantem occiderit, [30] quod Ionathas cum armigero suo subverterit castra Philisthaeorum, [31] quod Samson solus una asini mandibula exercitum mille virorum occiderit [32] et quod ipse Dominus in horto prostraverit legionem militum dicens: *Ego sum.* [33] Sed hoc hodiernum nil minus hisce omnibus est. Nundinae celebrabantur Ierosolymis, quae metropolis erat totius regni, ad quas veniebant ex omni provincia mercatores; quot millia ergo hominum ibi erant! Christus autem solo aspectu et faciei terrore, nihili armatus, sed inermis omnino, nundinas omnes subvertit et omnes eiecit e templo, nec fuit in tanta hominum multitudine qui se illi vel verbo opponeret. O summum miraculum! Quomodo non omnes in eum ira exarserunt et occiderunt? Quis talem tantumque omnibus timorem incussit? Sola Christi omnipotentia, quae cuncta ex nihilo creavit et in nihilum redigere potest. Mitto quod Matthaeus ait hic Christum multa fecisse miracula, quia: *Accesserunt ad eum caeci et claudi... et curavit eos.* [34] potentiam.

Demum Christi hic sapientia demonstratur, quia, inquit: *Erat docens quotidie in templo.* [35] Si docentem et loquentem Salomonem quis audisset, aut summum Prophetarum Moysen sapientissimum, pro summa id gloria haberet. Sed quid audire docentem Christum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, [36] qui est omnium Prophetarum et Angelorum magister? Quae doctrina e sapientiam.

29) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum*, etc. 30) Cf. 1 Rg 17, 19-51. 31) Cf. ibid. 14, 6-15. 32) Cf. Idc 15, 14-16. 33) Io 18, 6. 34) 21, 14. Vulg.: *Et sanavit eos.* 35) Lc 19, 47. 36) Col 2, 3.

sanctissimo illo ore pluebat! Qui lucis radii ex lucidissimo illo sole procedebant! *Et erat docens quotidie in templo.* Deum loquentem audire absque terrore illo quo legem dedit, sed summa cum benignitate, summa plane gloria esset fidelium turbarum. Solus Christus poterat omnia legis mysteria lucidissime aperire, de natura divina, de mundi creatione, de hierarchia angelica, de coelorum ordine et constitutione, de secretis naturae, de hominis conditione, de terrestri paradiso, de electorum praedestinatione, de impiorum iustificatione, de fine mundi, de extremo iudicio, de poenis inferni, de gloria paradisi loqui, quia solus ipse omnia novit, Dei enim sapientia est.[37]

Ideo Christus hodie ostenditur summus princeps, vere sol mundi.

IV. Habemus ergo, dilectissimi, summum principem Christum sapientissimum, potentissimum, iustissimum et misericordissimum tanquam lucidissimum solem. Hic planeta potentissimus est, quia ipse in mundo omnia operatur: sub terra lapides et metalla, super terram plantas et fructus earum, in aquis pisces, in aere nubes, pluvias, fulgura et ignea fulmina, in coelo omnes stellarum influxus; Christus autem simpliciter omnia fecit et creavit, omnia conservat et gubernat. Sol planeta splendidissimus est, quia coelum et terram illuminat; sic Christus sapientia sua et Angelos et homines. Sol planeta benignissimus est, lucem enim et quaecunque bona habet largissime nobis distribuit, a nobis nihil accipiens; ita et Christus omnia sua et seipsum dedit nobis ineffabilibus modis. Demum sol planeta iustissimus est et regularissimus, semper enim in zodiaco sub linea ecliptica graditur manens in coeli medio, singulis quae sua sunt tribuit coelestibus atque terrestribus; sic Christus secundum iustissimas leges Dei universum iudicabit medius inter electos et reprobos.

a quo discere debemus misericordiam et iustitiam.

Discamus, quaeso, fratres, ab ipsomet sole opera tum iustitiae tum misericordiae divinae, in vere et autumno. Sol misericordiae opera facere videtur: dat in vere pulcros flores, in autumno bonos fructus; sic Christus per misericordiam suam dat nobis et gratiam et gloriam suam. Sed sol non semper in vere aut autumno est, sed

37) Cf. 1 Cor 1, 24.

aliquando elongatus a nobis hiemem efficit, aliquando vero nisi prope factus radiis suis comburit ardentibus; sic Christus elongatur a nobis propter peccata nostra gratiam suam auferens et demum inferni poena iuste comburens.

Qui gaudent in hoc mundo, lugebunt in altero, et qui in hoc lugent, in altero gaudebunt.

Et hoc item advertite, fratres, quod post ver sequitur aestas et post autumnum hiems mundanis hominibus, quia consolationem habent in hoc mundo, in alio vero damnabuntur, sicut dives ille epulo:[38] *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationes vestras!* inquit Christus; *Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis! Vae vobis, qui ridetis... quia lugebitis et flebitis!*[39] Iusti autem prius hiemem habent et post ver aestatem et postea autumnum, quia prius hic affliguntur, uti pauper ille Lazarus, et postea in aeterna vita consolantur: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*[40]

et qui non thesaurizat pro aeterna vita, peribit aeterna morte.

Item, quaeso, et aliud advertite. Si quis in aestate et in autumno nollet messes colligere, vineas vindemiare, vina locare et arborum fructus, terminato autumno, in hieme fame peribit; sic qui in hac vita non thesaurizat sibi pro aeterna vita, peribit aeterna morte.

Ergo quandiu in hac vita sumus, bonis operibus regnum coelorum nobis comparemus.

Quaeso, et hoc attendite. Si quis tempore messium et vindemiarum posset vilissimo pretio et frumenta et vina emere, sciens quod post illud tempus, etiam si mille aureis vellet frumenti modium aut panem unum emere, non inveniret, nonne stultus hic vir esset omnino? O christiani, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*[41] Quandiu in hac vita sumus, vilissimo pretio, peccatorum nostrorum confessione gratiam Dei acquirimus, parva eleemosyna regnum coelorum comparamus nobis. Veniet tempus quando nullo modo haec emere poterimus. Recordamini Christi parabolae decem virginum: quinque fatuae negligentes fuerunt oleum sibi gratiae divinae emere, et damnatae fuerunt.[42] Multi volunt in hora mortis gratiam Dei comparare, sed non virtutis amore, sed formidine poenae,[43] et ideo non inveniunt, quia dum sic gratiam quaerunt, venit mors et gratiae locum praeoccupat. Ideo dico vobis: *Dum tempus*

38) Cf. Lc 16, 19 sqq. 39) Ibid. 6, 24-25. Vulg.: *Consolationem vestram*, etc.
40) Ps 125, 6. 41) 2 Cor 6, 2. 42) Cf. Mt 25, 1-12. 43) Cf. Horat. *Epist.*, lib. 1, epist. 15, vrr. 51-52.

habemus, operemur bonum;[44] *Quaerite Dominum dum inveniri potest,*[45] « neforte subito praeoccupati die mortis, quaeramus spatium poenitentiae et invenire non possimus ».[46]

SECUNDA PARS

Flet hodie Christus super synagogam, quam maxime diligebat.

V. Flevit summe patriarcha Abraham mortem uxoris suae Sarae[46a] et Isaac mortem matris suae,[47] flevit populus Israel mortem Aaron summi sacerdotis[48] et Moysi summi prophetae,[49] flevit David mortem Saul[50] et filii sui Absalom;[51] sic deflet Christus hodie super Ierusalem. Quis nescit quod synagoga in Scripturis Sacris dicta est sponsa Dei?[52] Christus est Deus, Ierusalem synagoga. Videt Christus mox futuram uxoris suae mortem et propterea *videns civitatem flevit super eam.* Item quis nescit quod synagoga mater Christi est, quia natus est ex semine Abrahae secundum carnem?[53] Vidit Christus mortem matris suae et flet super eam. Flevit Ioseph mortem Iacob patris sui,[54] Christus autem sicut dictus est filius David et Abraham, ita sanctissimi Iacob dicendus est, cuius si filius non fuisset, nec Davidis filius esse potuisset. Quid autem Iacob nisi israeliticus populus? Videt ergo Ioseph, Christus, mortem israelitici populi, patris sui legalis, et flet super Ierusalem; videt Christus mortem sacerdotii et prophetiae Hebraeorum per extremam populi ruinam, ideo hunc Aaronem et Moysen deflet. Videt regni ipsorum extremum diem et flet super Saul regem. Erat populus ille filius Dei;[55] Christus est Deus; sic David Absalom plorat: *Absalom fili mi, fili mi Absalom! quis mihi det ut pro te moriar, Absalom fili mi?*[56] Sic Ierusalem Christus dicit: Quis mihi det, o Ierusalem, ut pro te moriar? paratus enim sum pro te mori ut tu salveris. Amabat tenerrime David Absalom filium, quamvis impium et qui patrem occidere quaerebat ut regnum illi auferret,[57] ideo flebat,

44) Gal 6, 10. 45) Is 55, 6. 46) Breviarium Rom. Dom. 1 Quadr. ad Mat., 4 respons. 46a) Cf. Gn 23, 2. 47) Cf. ibid. 24, 67. 48) Cf. Nm 20, 30. 49) Cf. Dt 34, 8. 50) Cf. 2 Rg 1, 11-12. 51) Cf. ibid. 18, 32 sq. 52) Cf. Os 2, 19-20. 53) Cf. Gal 3, 16; Hebr 2, 16. 54) Cf. Gn 50, 1. 55) Cf. Ex 4, 22-23; Ier 31, 9. 56) 2 Rg 18, 33. Vulg.: *Fili mi, Absalom! Absalom fili mi! quis mihi tribuat ut ego moriar pro te,* etc. 57) Cf. ibid. 15, 1-14.

ideo pro eo mori cupiebat; sic Christus Ierusalem, ideo flet super eam, quia peritura ut Absalom erat. Deplorat eam Christus et non tantum pro eius salute mori cupit, sed vere mortuus est. Sed Christi summus hic dolor erat quia in Ierusalem ibat pro illius salute mori, sed illius culpa Christi mors non in salutem, sed in maiorem damnationem illi futura erat.

Tria facit: appropinquat civitati, videt eam et flet.

VI. *Cum appropinquaret Iesus Ierosolymam, videns civitatem flevit super eam.*[58] Tria facit: appropinquat civitati, videt eam, flet super eam. Appropinquavit Iesus civitati in sua incarnatione, cum *Verbum caro factum est;*[59] vidit civitatem, quia a primo instanti suae conceptionis omnia vidit, praecipue vero mundi peccata pro quibus erat moriturus; et flevit, quia pro peccatis nostris Christus poenitentiam egit, unde flevisse eum pluries legimus,[60] risisse autem nunquam. Et quidem hae tantum lacrimae pro totius mundi salute sufficientissimae erant, quia infiniti meriti atque valoris.[61]

Haec tria verba semper nobis cogitanda sunt.

Sed quaeso, fratres, ad haec tria verba semper attendamus. Nam hoc appropinquare infinitae caritatis est, videre sapientiae, flere misericordiae. Haec tria vellem ut iugiter cogitaremus: primo, adventum Christi in mundum, quod summae caritatis Dei et Christi erga nos est; secundo, sapientiam Dei et Christi, quia omnia videt: *Videns civitatem.* Hoc forte mysterium illud est: Vidit itaque Dominus Deus *quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis . . . ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus, et praecavens in futurum: Delebo, inquit, hominem quem formavi a facie terrae,*[62] sicque diluvium aquarum misit Deus ad peccata delenda.[63] Hodie plane mysteria ista omnia adimpleta sunt his verbis: *Videns civitatem flevit.* Aquae illae diluvii lacrimarum Christi figurae extitere, hinc pluit e coelo Deus quasi lacrimae ex oculis eius defluerent. O homo, videt

58) Lc 19, 41. Ex Missali Rom. pericope huius diei. 59) Io 1, 14. 60) Cf. ibid. 11, 35; Hebr 5, 7. 61) In margine haec adiecta fuerunt: « Hae lacrimae, quas hic sparsit Christus, diluvium quoddam maximum fuere ad delenda omnia peccata mundi, quia infiniti meriti et valoris ». 62) Gn 6, 5-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, *praecavens in futurum* expunctum fuit. 63) Cf. ibid. 7, 10 sqq.

Deus, videt Christus omnia peccata tua, cogitationes tuas, et pro omnibus passus est Christus.

Christus in passione non tantum doluit quia patiebatur, sed quia homines hoc beneficium agnituri non erant.

Videns civitatem flevit super eam... quia si cognovisses et tu. Non tantum doluit Christus in passione crucis de poenis et morte sua, quantum de hoc, quod non erant homines beneficium hoc agnituri: *Quia*, inquit, *si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi!* Nascimur omnes irae filii et inimici Dei; vitae autem huius universum tempus ad pacem dat nobis Deus, ad gratiam Dei consequendam, ut demum gloriam consequamur. Sed, proh dolor! nil minus nobis consultum est, sed quotidie peccantes inimici Dei magis magisque constituimur. Hoc autem est, quia finis gratiae Dei et finis peccati, quae mors est aeterna, abscondita sunt ab oculis nostris.

Extrema ruina Ierusalem figura est aeternae damnationis peccatorum, nisi poenitentia peccata deleant.

Sed, o christiani, hoc certo scimus, quod coelum quidem et terra transire possunt, Christi autem verba non praeterire.[64] Comminatus fuit Christus Ierusalem extremam ruinam et destructionem praedixit ab inimicis, et ita evenit: destructa fuit Ierusalem a Vespasiano et Tito romanis principibus[65] et postea ab Hadriano Aelio imperatore.[66] Praedicit nobis aeternam damnationem, nisi poenitentiam agamus: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum;*[67] *Nisi poenitentiam egeritis, simul omnes peribitis,*[68] sicut in diluvio et sicut in igne Pentapolis[69] homines peccatores. Et nos quid facimus? bone Deus, quid facimus? Poenitentiam peccatorum? An peccatis gravibus addimus graviora? O deplorandam caecitatem nostram! Unica mortalis culpa nos damnat: *Si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,*[70] una cogitatio carnalis concupiscentiae, modica ira: *Si quis irascitur fratri suo, reus erit iudicio,*[71] et nos totis viribus nonnisi superbiae, luxuriae et avaritiae operam damus!

64) Cf. Mt 24, 35. 65) Cf. Gius. Flavio *Della Guerra Giudaica*, lib. 6, cp. 8-10, pag. 476-483. 66) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Isaiam*, lib. 3, (P. L. 24, 100-101); *Comment. in Ieremiam*, lib. 4, ibid. col. 802; *Comment. in Ioel*, cp. 1, ibid. 25, 952; Orosius *Historiae*, lib. 7, cp. 9, ibid. 31, 1083-1084; cp. 13, ibid. col. 1092-1094. 67) Mt 4, 17. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Appropinquavit.* 68) Lc 13, 3-5. Vulg.: *Si poenitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* 69) Cf. Gn 19, 24-25. 70) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque... totam*, etc. 71) Mt 5, 22. Vulg.: *Qui irascitur*, etc.

VII. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns civitatem flevit,* eo quod non cognoverit tempus visitationis suae. *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* [72] *Per viscera misericordiae* suae visitavit nos Deus, ad illuminandum nos: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum;* [73] visitavit nos ad salvandum a peccatis nostris: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* [74]

In sanctitate Deo servire debemus.

Sed, quaeso, fratres, si haec facere volumus, finis nostri memores semper simus: *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.* [75] Mortem, iudicium, infernum et paradisum iugiter meditemus; sic viam nostram dirigemus; sic nauta timonem tenens navim per mare dirigit; sic Daniel cinerem spargens fallacias deprehendit cultorum Belis, falsi Babyloniorum dei; [76] sic nos memores semper mortis, mundi fallacias cognoscemus et vitam nostram in sanctitate et iustitia dirigemus. Hinc Ierusalem deploratur hodie a Christo, quia finis sui non recordatur: *Sordes eius in pedibus eius, nec est recordata finis sui,* dicebat Ieremias, [77] et ipse plangens ruinam Ierusalem. Recordemur ergo finis nostri et sordes non erunt in pedibus nostris et peccata in morte non inveniemus, unde erubescamus et damnemur, quia sic lacrimae istae Christi erunt nobis in salutem, sic non timebimus ut per tremendam illam sententiam: *Ite, maledicti, in ignem aeternum,* [78] eiiciat nos ex hoc mundo et ex coelorum regno in infernum, *in tenebras* illas *exteriores,* ubi *erit fletus et stridor dentium,* [79] sed illam iucundissimam audiemus: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* [80]

Ideo finis nostri semper memores simus,

et in morte nihil timebimus.

Verum, quaeso, et hoc advertite: Ierusalem tota hodie Christo occurrit, Christum cum exultatione recipiens, cum ramis olivarum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel!* [81]

Externas caeremonias Deus non curat.

72) Lc 1, 78-79. 73) Ibid. vr. 77. 74) Ibid. vrr. 74-75. 75) Eccli 7, 40. 76) Cf. Dn 14, 13-26. 77) Thr 1, 9. Vulg.: *Nec recordata est,* etc. 78) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 79) Ibid. 22, 13. 80) Ibid. 25, 34. 81) Ibid. 21, 9; Mc 11, 10; Lc 19, 38; Io 12, 13.

sed cor nostrum ipse requirit.

et Christus flet super eam quasi damnandam. Quid est hoc? Eh, fratres, non curat externas caeremonias Christus: *Populus hic,* inquit, *labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* [82] Cor nostrum requirit Deus: *Fili mi, praebe mihi cor tuum;* [83] *Diliges Dominum Deum tuum,* etc. [84]

82) Mt 15, 8; Mc 7, 6. 83) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* 84) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN

Ostendit hodiernum Evangelium humilitatem exaltatam et superbiam humiliatam.

I. Si imae profundaeque valles sunt semper humidae, virentes, floridae fructuumque fertiles et fecundissimae, at montes alti et proceri, e contra, aridi, petrosi, steriles et infecundi; si alta terrae et secretissima viscera plena sunt metallorum fodinis, argenti et auri, necnon et pretiosis marmoribus ac gemmis, patens vero superficies pulvere, luto, quisquiliis et lapidum vilitate; profunda maria plena sunt magnis et pretiosis piscibus, margaritis atque corallis, ubi palustria et arenosa vilissimis sunt plena rebus; mirum non est si et corda humilia hominum servorum Dei plena sunt gratia divina, virtutibus sanctis, fructibus spiritus et vitae aeternae meritis, alta vero atque superba, luciferiano spiritu plena, careant omni bono, cum scriptum sit quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [1] Hoc est mysterium sacrosancti Evangelii hodierni, in quo demonstrat Christus humilem publicanum iustificatum a Deo, superbum vero pharisaeum reprobatum. [2] Det nobis gratiam suam Deus hodie, dilectissimi, ut Christi [3] hoc humilitatis praeceptum addiscamus et corde teneamus: *Quia omnis qui se humiliat exaltabitur, qui autem se exaltaverit humiliabitur.* [4] Felices humiles et ter quaterque beati, *quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Hoc enim illud est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [5]

1) Iac 4, 6. 2) Cf. Lc 18, 9-14. 3) Ms.: *Christum.* 4) Lc 14, 11; 18, 14. Vulg.: *Qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* 5) Mt 5, 3.

PRIMA PARS

Cain figura pharisaei Abel autem publicani.

II. In primordiis nostri generis, quando primi filii primorum parentum, Cain et Abel, iverunt ut munera Domino offerrent, *respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit.* [6] Hoc plane videtur esse sacrosancti hodierni Evangelii mysterium: *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus pharisaeus et alter publicanus,* [7] et respexit Deus ad publicanum ipsumque iustificavit, ad pharisaeum vero non respexit. Altissima hic mysteria divinae praedestinationis et praescientiae contemplari possemus, cum videamus iustum Abelem et iustificatum publicanum praedestinatos, Cain vero et pharisaeum praescitos.

Deus visus est magis diligere fratres minores quam maiores.

Sed utiliora sunt hic contemplanda mysteria. Unum est, quod valde admiro in Scripturis Sacris, videtur enim Deus primogenitos semper, veluti Cainum, odio habuisse, minores vero fratres, veluti Abelum, dilexisse. Nam et Abraham duos filios habuit, Ismaelem maiorem et Isaac minorem: Deus illum reprobat, hunc vero eligit; [8] Isaac item duos filios habuit, Esau maiorem et Iacob minorem: Deus illum odio habuit, hunc dilexit, [9] sicut per Prophetam dixit: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* [10] Ex filiis Iacob primogenitum Ruben primogenitura privavit [11] et Ioseph minorem filium [12] cum minimo Beniamin magis dilexit. [13] Quando voluit super populum Israel regem constituere, Saul virum de minima tribu et de minima familia tribus illius elegit; [14] ex filiis Isai non primogenitum elegit in regem, sed minimum filium, Davidem; [15] et ut paulo altius conscendamus, ex universis gentibus mundi populum israeliticum sibi delegit, omnium minimum, quorum patres omnes fuere ovium pastores; [16] imo si duos primos filios Dei contemplemur, Angelum primogenitum et prima die creatum et hominem ultimam Dei prolem, hunc magis quam illum diligit Deus, nam cum uterque peccaverit, illi quidem nec spa-

6) Gn 4, 4-5. Vulg.: *Et ad munera illius non respexit.* 7) Lc 18, 10. 8) Cf. Gn 21, 12-13. 9) Cf. ibid. 25, 21-23. 10) Mal 1, 3. Vulg.: *Dilexi Iacob,* etc. 11) Cf. Gn 49, 3-4. 12) Cf. ibid. 37, 3. 13) Cf. ibid. 44, 29 sqq. 14) Cf. 1 Rg 9, 1-21. 15) Cf. ibid. 16, 1-13. 16) Cf. Gn 46, 31 sqq.

tium vel minimum poenitentiae dare voluit, sed in aeternum e coelo eiecit,[17] hunc autem nedum poenitentiae longissima tempora concessit,[18] verum et ad ipsum salvandum e coelo in terram factus homo descendere voluit. Quidnam hoc est? Quid haec nobis demonstrant?

Deus superbiam odit et humilitatem amat.

Ecce sacrosanctum hodiernum hoc Evangelium universa haec nobis mysteria aperit in pharisaeo superbo, ideo reprobato, in publicano humili, ideo iustificato atque salvato: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* Odit superbiam Deus, ideo superbos humiliat, uti videre est in Lucifero,[19] in Adamo,[20] in Pharaone,[21] in Saule,[22] in Golia,[23] in Aman,[24] in Nabuchodonosor,[25] in Holoferne,[26] in Antiocho[27] et aliis; humilitatem amat et ideo humiles exaltat, uti patet in Moyse,[28] in Davide,[29] in Sanctissima Virgine[30] et in ipsomet Christo Filio suo. Haec est Cain reprobatio et odium, Abeli vero dilectio et electio, quorum et nomina deserviunt ad mysteriorum Evangelii huius interpretationem, siquidem Cain possessio interpretatur, Abel autem vanitas. Sic pharisaeus iste multa se possidere bona autumabat, uti ipsemet ait: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo;*[31] publicanus vero se vanitatem et nihil esse agnoscebat, ideo aiebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori,*[32] ideo etiam a longe stabat, nec audebat oculos ad coelum levare.

S. Scriptura demonstrat Dei bonitatem ab essentia, a virtutibus, ab operibus.

III. Sed adhuc altiora sunt hic mysteria. Solent Scripturae Sacrae summam Dei bonitatem nunc ab eius essentia, nunc a virtutibus, nunc vero ab operibus demonstrare: ab essentia, quia infinitum bonum est; a virtutibus, quia omnipotens est, sapientissimus, iustissimus et misericordissimus; ab operibus, a Filii generatione aeterna, a Spiritus Sancti spiratione, ab electorum praedestinatione, a mundi creatione et providentia, ab opere redemptionis humanae, a Gentium vocatione et iustificatione et demum a glorificatione Sanctorum. Hic autem tertius modus frequentissimus est, quia *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta*

17) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 18) Cf. Gn 5, 1-5. 19) Cf. Is 14, 12-15. 20) Cf. Gn 3, 6 sqq. 21) Cf. Ex 14, 23 sqq. 22) Cf. 1 Rg 15, 1-11. 23) Cf. ibid. 17, 4-51. 24) Cf. Est 7, 1 sqq. 25) Cf. Dn 4, 26-30. 26) Cf. Idt 13, 8-10. 27) Cf. 2 Mach 9, 1-28. 28) Cf. Ex 3, 10. 29) Cf. 1 Rg 1, 11. 30) Cf. Lc 1, 48. 31) Ibid. 18, 12. 32) Ibid. vr. 13.

conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas ; [33] ideo eam ab hoc nobis Christus demonstrat hodie.

Sicut diabolus a bonis mala eruit, sic Deus a malis bona elicit.

Sicut enim summae malitiae in diabolo est quod a bonis ipsis, nedum a malis, mala eruit, veluti a bono illo fructu hominis in paradiso peccatum eruit, [34] et in hoc Evangelio a bonis operibus pharisaei elicit superbiam, vanam gloriam atque iactantiam, unde propterea nil Deo grata erant, sic Deus summa bonitate sua a peccatis publicani huius – est autem peccatum summum malorum omnium genus – elicit multa bona: primo humilitatis virtutem, secundo poenitentiae verae cordis et oris, tertio perfectae iustificationis, qua confertur gratia et virtutes omnes.

In peccatoris iustificatione resplendet maxima Dei bonitas.

Quod si in opere creationis mundi magna Dei resplenduit bonitas, maior plane in peccatoris iustificatione resplendet. Nam in iustificatione gratia creatur ex nihilo, ergo summa requiritur potentia, sapientia et bonitas. Terminorum vero magis distantium ratione maior hic suapte natura requiritur potentia, quia ibi Deo resistit nihil, hic autem multa Deo resistunt. Mundum Deus verbo tantum creavit; ut recrearet autem multa fecit et passus est homo factus. Demum si mundi creatio aequalis est potentiae, certe impii iustificatio maioris est misericordiae, quia hic summa Dei remittitur offensa et crimen laesae maiestatis divinae, ibi autem nil horum fit, quia nullum erat quod remitteretur peccatum: *Descendit hic* peccator *iustificatus.* [35]

Pharisaeus populum hebraeum designat, publicanus autem gentilem,

IV. Forte autem duo isti homines duos populos designant, sicut et duo illi fratres populum filiorum Dei et filiorum hominum, populum hebraeum et gentilem; illum pharisaeus, hunc publicanus; ille *pharisaeus* dicitur, idest divisus, [36] quia et circumcisionem prius habuit et postea legem, qua a cunctis populis secernebatur; gentilis vero dicitur *publicanus*, quia nullam Dei legem habebat aut cultum divinum, sed tantum publicis mundi negotiis intentus erat, vere peccator omnibus iniquitatibus plenus, quia non Deo sed mundo serviebat, non Deum sed daemonia colebat. Sed hoc maximum omnium

33) Rom 1, 20. 34) Cf. Gn 3, 1-6. 35) Lc 18, 14. 36) Sic enim latine hoc nomen interpretatur.

fuit miraculum, facere ut hic Deum verum agnosceret, ut templum Dei ingrederetur ad Deum colendum, ut peccata sua vere agnosceret, unde summa cum humilitate animi et corporis, summo cum dolore veniam peteret,[37] unde iustificaretur, et iustificaretur magis quam populus hebraeus, hoc est gratiae dona a Deo multo maiora acciperet.

hunc electum, illum vero reprobatum.

Quis non haec luce clarius videt, gentilem populum per Christi fidem iustificatum a Deo et sanctificatum per Sacramenta gratiae, multo pleniora quam fuerint sacramenta legis, et praeterea universum hebraismum reprobatum, eo quod operibus legis nimis confidebat? et ad hunc usque diem dicit: *Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut ceteri hominum*, putans se omnibus aliis populis magis electum, *veluti etiam hic publicanus ?*[38] Spernunt Hebraei maxime christianum populum tanquam idololatram, non intelligentes[39] quod christianus populus vere Deum adorat, veram Dei fidem, cultum et religionem habet, quod vere est iustificatus a Deo; non intelligentes mysterium illud iam esse adimpletum, quo etiam Esau post multas lacrimas benedictionem accepit et Iacob exiit a domo patris sui.[40]

Figurae populi gentilis et hebraei extiterunt etiam Esau et Iacob.

Scitis duos illos fratres iuxta divinum oraculum duorum populorum extitisse exempla, gentilis et hebraei; gentilis fuit Esau, qui primogenita vendidit vilissimo pretio,[41] quia hic pro mundi cultu cultum Dei reliquit, et hebraeus qui primogenita emit, qui cultum divinum secutus est, benedictionem illi praeripuit, quia aeternam salutem per legis observantiam solus hic meruit. Sed vix complevit Deus hunc Iacob benedicere mittendo Salvatorem in mundum, quod Iacob exit a domo patris: hebraeus nolens in Christum credere aberrat a fide et factus est infidelis; et tunc statim ingressus est Esau et accipit benedictionem: *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua.*[42] Sic Esau remansit in paterna domo et Iacob exulavit. Luce clarius hoc videtur impletum in perpetuo hoc Hebraeorum exilio. Sic divina miseratione electus et iustificatus est gentilis populus, hebraeus vero cum universis legis operibus reprobatus.

37) Ms.: *Petere.* 38) Lc 18, 11. Vulg.: *Deus, gratias ago tibi... velut*, etc.
39) Ms.: *Non intelligens*, et infra. 40) Cf. Gn 27, 30-40. 41) Cf. ibid. 25, 29 sqq.; Hebr 12, 6-17. 42) Gn 27, 39-40.

Deus vult omnes salvari,

V. Quod si quis dicat, cum summa sit Dei bonitas et misericordia, cur non et publicanum et pharisaeum salvat? cur non utrunque populum iustificat? dicam ego quod per Prophetam illum dixit Deus: *Perditio tua* ex te, *Israel,* [43] ex me autem salus. Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire,* [44] non tamen omnes salvat, sed tantum eos qui vere salvari volunt per Christi fidem et caritatem et gratiam. Hebraeus credit per opera legis salvari et Christi fidem et gratiam spernit, ideo damnatus est; volunt credere Moysi et non Christo, nescientes quod nunquam patres eorum ingressi in terram promissionis fuissent nisi, post Moysen, et Iosue credidissent et illum secuti fuissent; sic nisi in Christum credant, salvari non possunt. Multi sunt item ex christianis qui suis bonis operibus confidunt, qui ieiunantes aliquando et per dies singulos vocales quasdam orationes dicentes, Missas audientes et orationibus ecclesiasticis astantes, conciones audientes et eleemosynas quasdam facientes, credunt omnino se salvos et alios veluti peccatores spernunt, nihil attendentes an haec faciant ex caritate, an Deum ex toto corde diligant et proximos tanquam seipsos, [45] an seipsos magis et sua quam Deum diligant.

sed salvantur qui salvari volunt per Christi fidem et gratiam.

Vera iustitia est bona facere et mala omnia vitare.

Non est haec perfecta iustitia, fratres, bona quaedam facere et mala omnia non evitare, sed: *Declina a malo et fac bonum.* [46] Scitis quid agendum est homini qui vult salvari? Id quod agunt sagittarii trahentes ad signum, ut victoriam consequantur et praemia. Non sufficit trahere, sed necesse est ut omnem diligentiam universasque vires suas apponant, ut iuste trahant et signum praefixum scopi attingant. Sic, dico, qui vult salvari et bona faciat et bene: *Quod iustum est iuste exequere.* [47] Verum enim illud est quod in vitae meritis praeferuntur adverbia verbis, [48] plus est iuste exequi quam quod iustum est tantum. Si enim hoc tantum sufficeret, iustus plane hic pharisaeus fuisset: *Quod iustum est iuste exequere.* Quid prodest bona opera facere, sed ad iactantiam et vanam gloriam? *Ut videantur ab hominibus?* [49] *Receperunt mercedem suam.* [50]

43) Os 13, 9. 44) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... venire.* 45) Cf. Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 46) Ps 36, 27. 47) Dt 16, 20. Vulg.: *Iuste quod iustum est persequeris.* 48) Proverbium, de quo cf. Novarinus *Adagia Sanctorum Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum,* t. 1, n. 2118, pag. 586. 49) Mt 6, 5. 50) Ibid. vr. 25.

VI. Discamus ex hoc Evangelio, fratres, superbiam fugere, quia hoc vitium summe odit Deus, quia haec fuit peccati omnis initium, [51] et ne simus sicut pavones, qui pennarum suarum rotas faciunt ut earum pulcritudo videatur, et inde gloriantur; sed turpitudinem pedum nostrorum cum ipsis videamus, quia tunc cum humili publicano dicemus: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, et non nos ipsos cum pharisaeo iactabimus uti iustos. Cognoscamus quod bona omnia nostra ex Deo sunt: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;* [52] Non sumus sufficientes *cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* [53] Si statuarius pulcram statuam facit, num laudari debet scalprum? Si pictor elegantem picturam, num penniculo dabitur laus? Illa plane nihil facere possunt; sic et nobis Christus ait: *Sine me nihil potestis facere.* [54] Peccare tantum per seipsum homo potest, facere malum, sed non bonum: sicut terra per seipsam spinas et tribulos germinat, non frumentum, sicut navis descendere potest ad rapidi fluminis cursum, sed non ascendere per seipsam. Et tamen multi sunt hodie qui de bonis suis virtutibus et operibus, divitiis etiam et honoribus adeo cum pharisaeo isto gloriantur, quasi sua omnino essent, non Dei. Hominem si petas in dignitate collocatum, quomodo eam sit dignitatem consecutus, statim dicet: ob suas virtutes et valorem; item divitem factum, quomodo divitias sibi comparavit, statim dicet: sua industria et laboribus; sic Nabuchodonosor gloriabatur se gloriosissimam civitatem Babylonem aedificasse; sed illum punivit Deus septem annis. [55]

Omnia bona nostra a Deo sunt;

est ergo summa ingratitudo de bonis acceptis nos gloriari.

O summa ingratitudo! Ergo pro nihilo Deus est? Et quis tibi virtutes et industriam dedit? quis potentiam laborandi? quis spiritum et intellectum, sine quo nec vivere potes? Nonne Deus? Cur ergo non Deo gratias agis? cur non recognoscis a Deo?

Alii sunt qui etsi a Deo bona quae habent cognoscant, concessa tamen sibi ex propriis meritis autumant, quia pietatis quaedam opuscula fecerunt; et hi Deum sibi in omnibus faciunt debitorem nullamque gratiam a Deo sibi concessam cognoscunt, nil gratis datum, nam si gratia ex operibus, *grátia . . . non est gratia.* [56] Sic Sam-

quasi praemium sint nostrorum bonorum operum.

51) Cf. Eccli 10, 15. 52) Iac 1, 17. 53) 2 Cor 3, 5. 54) Io 15, 5.
55) Cf. Dn 4, 26-30. 56) Rom 11, 6.

son gloriabatur se mille viros percussisse in mandibula asini; sed illum siti [57] maxima punivit Deus, [58] ut sciret se Dei dono et non suis viribus facinus illud operatum fuisse.

Si quis vestrum in tali sententia est, dicat, quaeso, num ob sua merita Deus hoc coelum et hanc terram creavit? num ob sua merita illi corpus et animam dedit? *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti? Et si accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis?* [59] Hinc alii sunt qui cognoscunt quidem bona se gratis accepisse a Deo, ipsum autem Deum non glorificant, sed ipsi gloriantur. Tales visi sunt fuisse Moyses et Aaron, qui propter fontem aquarum viventium de petra Deum non glorificaverunt, quare in terra promissionis ingredi minime potuerunt. [60] Caveamus nunc ne similiter nobis contingat.

SECUNDA PARS

Figurae pharisaei et publicani Aman et Mardochaeus.

VII. *Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos in coelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Amen *dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* [61] Cum haec verba contemplor, videre mihi videor mysterium illud Aman et Mardochaei apud summum regem Assuerum in libro *Esther.* Erat Aman princeps summus apud Assuerum, sed Mardochaeus homo vilis atque abiectus; [62] spernebat ille hunc et morte patibuli, quod paraverat, damnare volebat; [63] sed accidit ut Mardochaeus in locum Aman subrogaretur summusque fieret princeps, [64] Aman vero in patibulo illo suspenderetur quod Mardochaeo paraverat. [65] Sic pharisaeus iste summum se existimat apud Deum principem esse et publicanum spernit; at contra accidit, nam publicanus iustificatur et pharisaeus deiicitur a domo Dei.

Tres sunt classes hominum: frigidorum, calidorum et tepidorum.

Huius pharisaei mysterium aperuisse videtur in *Apocalypsi* Ioannes cum Ecclesiae Laodiciae, dictante Deo, scribit: *Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Utinam esses frigidus aut calidus! Sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam*

57) Ms.: *Sele. quid,* etc. 58) Cf. Idc 15, 14-19. 59) 1 Cor 4, 7. Vulg.: *Si autem accepisti;* 60) Cf. Nm 20, 7-12. 61) Lc 18, 13-14. Vulg.: *Ad coelum levare.* 62) Cf. 3, 1-2. 63) Cf. ibid. 5, 14. 64) Cf. ibid. 8, 1 sqq. 65) Cf. ibid. 7, 10.

te evomere ex ore meo.[66] Tria hic hominum genera designat: quosdam qui sunt igne Spiritus Sancti pleni, hi sunt calidi; quosdam in quibus omnino friguit caritas, quia abundavit iniquitas,[67] et hi frigidi dicuntur; quosdam qui medium tenent et nec omnino calidi sunt, quia caritatem Dei non habent, nec omnino frigidi, quia exterius mala non operantur, sed bona opera faciunt, uti sunt Iudaei, et talis erat iste pharisaeus.

Sed, quaeso, quid est quod dicit: *Utinam esses frigidus?* Num peior est apud Deum tepidus quam frigidus? qui vel nulla committit peccata quam qui multa? Peior utique, quia in eo statu est ut difficilius sanari possit, quod luce clarius videmus. Erant Christi tempore haec tria hominum genera: Apostoli calidi, publicani frigidi, Pharisaei tepidi; illi convertebantur, isti Christum praedicantem et miracula facientem spernebant. In primitiva Ecclesia erant fideles calidi, infideles frigidi, Iudaei tepidi; infideles conversi sunt, Iudaei nunquam. Quia ergo tepidus sic pharisaeus iste erat, sprevit illum Deus.

Sed apud Deum peior est tepidus quam frigidus.

O quot similes huic sunt hodie qui se salvos existimant eo quod mala non faciant, non occidant, non furentur, non fenerentur et bona nonnulla agant! Sed calidos oportet nos esse, Deum toto corde diligere, alioquin dicetur nobis quod Ioannes aperiens mysterium quod dixerat, subiunxit: *Quia dicis... Dives sum et locuples et nullius egeo. Et nescis quia tu es miser et miserabilis... pauper... et nudus.*[68] Sic pharisaeus iste dicebat: *Dives sum* scientia et virtutibus, *locuples* meritis bonorum operum, *et nullius egeo* ad salutem; *et nescis quia miser es,* gratia Dei privatus, *et miserabilis* per aeternae poenae reatum, *pauper* virtutibus, *caecus* cognitione Dei et tui ipsius, *et nudus* meritis gratiae et virtutum.

Multi sunt tepidi qui seipsos illudunt.

VIII. Sed quid agendum huic est ut salvetur? Sequitur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias.*[69] Peccatorum poenitentia emitur gratia Dei, quae *aurum ignitum* est, quia facit ut Deum toto corde diligamus; sic publicanus iste hanc hodie gratiam emit. Quaeso, videamus quomodo. Ascendit primo in tem-

Ad salutem consequendam necessaria est humilis oratio.

66) 3, 15-16. Vulg.: *Utinam frigidus esses,* etc. 67) Cf. Mt 24, 12. 68) Apc 3, 17. Vulg.: *Locupletatus,* etc. 69) Ibid. vr. 18.

contritio et peccatorum confessio.

plum, ad ecclesiam, ad domum Dei, ubi sunt thesauri huius auri igniti, ubi sunt Sacramenta gratiam continentia et conferentia; sed ascendit ut oraret Deum, quia nonnisi a Deo infunditur gratia per creationem, per Christum uti per mediatorem, per sanguinem Christi uti per meritum, per sacerdotes uti per ministros, per Sacramenta uti per instrumenta. Sed humiliter orandus est Deus, quia *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* [70] ideo publicanus a longe stat nec oculos audet ad coelum levare. Item ad gratiam recipiendam necessaria est cordis contritio, idest maximus dolor pro peccatis commissis, quibus Deum offendimus; ideo publicanus *percutiebat pectus suum.* Necessaria item confessio: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* Deus *ut dimittat nobis* omnia *peccata nostra.* [71] Ecce publicanus peccata sua confitetur dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori;* sic emit peccatorum suorum pretio aurum ignitum gratiae Dei; sic locuples factus est, quia iustificatus dignus est gloria coeli.

Sed hodie oppositum agitur, et multi ad ecclesiam veniunt non ad orandum, sed ad peccandum.

O nos felices, o ter quaterque beatos, carissimi, si nos ita in templum Dei ascenderemus uti publicanus iste! Sed nos infelicissimos, totum oppositum facimus. Iste ascendit ut oraret. Scitis quid est orare? Deum corde et mente alloqui; sic faciebat iste dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Nos autem ad quid ascendimus? Ad quid, ad quid, bone Deus? Ad orandum? Non dicam quod multi hodie ecclesiis utuntur ad deambulandum; dicam, quod peius est, ad negotiandum; dicam, quod pessimum est, ad peccandum, ad luxuriandum, ad concupiscendum. O Deus, o Deus! o Christe, o Christe! Haec est oratio? Haec veniae peccatorum a Deo postulatio? Hoc dicere: *Deus, propitius esto mihi peccatori?* Veniunt mulieres ad ecclesias quasi ad choreas, veniunt homines ad mulieres videndas et concupiscendas. Sic memores sumus, o christiani, dominici illius praecepti: *Non concupisces?* [72] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo,* [73] peccat ad mortem, peccat gravissime.

Sic conqueritur per Ieremiam Deus dicens: *Quid est quod dilectus meus in domo mea commisit scelera multa?* [74] O christiane,

70) Iac 4, 6. 71) 1 Io 1, 9. Vulg.: *Ut remittat nobis*, etc. 72) Ex 20, 17; Dt 5, 21; Rom 7, 7. 73) Mt 5, 28. 74) 11, 15. Vulg.: *Fecit scelera multa?*

scis quidnam est christiana mulier? Est filia Dei, est soror Christi, est sponsa Christi. Et tu, o scelestissime, venis ad violandum christianae mulieris pudicitiam in domo Dei? in oculis Patris, Fratris et Sponsi? Non meministis quid fecerit Assuerus principi Aman, quia prostratum reperit super lectum reginae Esther? *Etiam,* inquit, *reginam vult opprimere, me praesente, in domo mea?* [75] Praecepit statim ut super ignominiosissimum patibulum suspenderetur. [76]

quod maxime Deum ad iram provocat.

O christiane, si tu esses multo maior Dei amicus quam erat Aman Assueri familiarissimus et summus omnium, et nunquam aliud commisisses peccatum nisi hoc unum tantum, damnabit te Deus aeterna morte, damnabit te Deus aeterna morte, nisi poenitentiam egeris.

Eh! vos rogo, fratres, per Deum et sanguinem Iesu Christi, abstineamus ab huiusmodi peccatis; veniamus ad ecclesiam uti publicanus iste, ad orandum, ad veniam peccatorum nostrorum a Deo postulandum et obtinendum, ut iustificati per gratiam Dei et merita passionis Christi salvari possimus. Memores simus, fratres, quod Daniel propheta genibus flexis Deum adorabat; [77] Salomon, constructo templo, flexit genua sua et adoravit Deum; [78] Moyses summus Prophetarum procidebat in faciem suam Deum adorans. [79] Amplius dico: Angeli et Sancti omnes in coelo, uti I o a n n e s in *Apocalypsi* vidit, procidunt in facies suas Deum adorantes; [80] amplius dico: Christus ipse, Sanctorum et Angelorum rex, in oratione procidebat in faciem suam, [81] adeo veneranda est facies Dei summi regis.

In ecclesia orandum est maxima devotione et humilitate.

Quid ergo nos peccatores, fratres, facere debemus? Faciamus quod fecit publicanus iste, stemus in ecclesia cum omni humilitate et erubescentia peccatorum nostrorum, dicamus Deo percutientes pectora nostra: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Est enim optimus quidam alchymista Deus, qui novit vilissimam peccatorum nostrorum scoriam in optimum gratiae suae aurum convertere, concupiscentiam nostram, malorum omnium radicem, in Dei amorem, vitia nostra in virtutes, reatus nostros in merita, poenas in gloriam.

ut publicanus iste docet.

75) Est 7, 8. 76) Cf. ibid. vr. 9. 77) Cf. Dn 6, 11. 78) Cf. 3 Rg 8, 54; 2 Par 6, 13. 79) Cf. Dt 9, 18. 80) Cf. 4, 10. 81) Cf. Mt 26, 39; Mc 14, 35; Lc 22, 41.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

Christus hodie sanat daemoniacum surdum et mutum.

I. Quamvis summa rerum omnium, etiam diversarum specie et genere, pace et sympathia mundus hic constet, cum sit terra aquis coniuncta, aqua aeri, aer igni, ignis coelo, coelum Angelis, Angeli Deo, videmus nil minus multa contraria: aqua igni, terra coelo, tenebrae luci, calido frigidum, humido siccum, bonis Angelis mali, Deo diabolus, Lucifer Christo. Cum autem omne contrarium suapte natura inimicum vincere et a proprio subiecto propellere summis viribus quaerat, uti lux tenebras et calor ignis frigidum gelum, mirum non est si Christus hodie daemonium eiicit ab homine isto evangelico, quem daemon effecerat surdum atque mutum, ut nec Dei posset laudes audire nec Deum laudare. Deum rogemus, fratres, ut nos omnes hodie ab immundis spiritibus peccatorum nostrorum eripiat et surdos nos ad divina praecepta audienda et facienda audire faciat et mutos loqui divinas laudes.[1]

PRIMA PARS

Nullum daemoniacum legimus in Veteri Testamento ab homine liberatum.

II. Multa quidem miracula fecisse legimus sanctos Prophetas Veteris Testamenti, Moysen,[2] Samuelem,[3] Isaiam,[4] Eliam, Eliseum[5] et alios; neminem tamen reperimus daemoniacum quempiam curasse hominem a diabolo obsessum, nisi quod David pulsans citharam suam coram Saul energumeno et arreptitio consolabatur illum, et tandem fecit ut discederet spiritus malus ab eo.[6] Haec,

1) Cf. Mc 7, 37. 2) Cf. Eccli 45, 1-6. 3) Cf. ibid. 46, 18-21. 4) Cf. ibid. 48, 20-26. 5) Cf. ibid. vrr. 1-15. 6) Cf. 2 Rg 16, 14 sqq.

si intelligantur, forte erunt sacrosancti hodierni Evangelii mysteria in quo Christus hominem surdum et mutum a daemonio liberat. [7] Non absque magno mysterio, dilectissimi, in Scripturis Veteris Testamenti neminem legimus aut daemoniacum aut a daemonio liberatum, cum tamen sciamus Iudaeos exorcistas habuisse, quorum munus est daemonia a corporibus eiicere, uti in *Actis Apostolorum* legimus. [8]

Mysterium autem hoc forte est, quoniam sicut necesse est in mundo vel diem esse vel noctem, vel lucem vel tenebras, ita in unoquoque homine vel gratiam Dei vel peccatum reperiri; ubi gratia Dei est, ibi Spiritus Sanctus inhabitat, et ubi peccatum, ibi spiritus immundus qui est omnis peccati origo, sicut Spiritus Sanctus fons gratiae omnis. Quia vero dum primi generis nostri parentes divinum transgressi fuere praeceptum, [9] gratiam Dei per peccatum amisere et sibi et nobis, necesse est dicere quod tunc universum genus humanum spiritu immundo plenum fuit et a daemonio obsessum; populus vero hebraeus per circumcisionem et legem divinam liberatus fuit a peccato originali, sicut nox a luna illuminatur, fugatis horrendis tenebris. Hac ratione ergo nullus ibi erat daemoniacus et per consequens nullus legitur liberatus.

quia tunc per peccatum universum genus humanum a daemonio obsessum erat.

Quod autem Saul a spiritu maligno fuerit arreptus, forte mysterium illud est quod Christus dixit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quaerens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit secum septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* [10] Saul prius fuerat vir bonus et placens Deo, [11] ergo spiritus immundus exierat ab eo; quia vero peccavit contra Deum, [12] factus est iterum peccato subiectus et diabolo.

Saul tantum legitur fuisse a malo spiritu abreptus, quia post iustificationem peccavit.

Sed et aliud hic mysterium est. Quis non in Saule videt electionem populi hebraei et reprobationem? Hic nanque prius erat iustus ac Deo placens, liber ab originali peccato; sed factus Deo con-

In Saule designatur electio et reprobatio populi hebraei.

7) Cf. Mc 7, 31-33. 8) Cf. 19, 13. 9) Cf. Gn 3, 6 sqq. 10) Lc 11, 24-26. Vulg.: *De homine... loca inaquosa... Et cum venerit, invenit... assumit septem alios spiritus secum*, etc. 11) Cf. 1 Rg 9, 2. 12) Cf. ibid. 13, 6-14; 15, 2 sqq.

tumax nolens veri Samuelis, Christi summi prophetae, praecepta servare nec legem accipere, factus est spiritu immundo plenus, quia circumcisio non delet amplius originale peccatum et legalia omnia sacramenta mortua sunt cum Christo, quem praefigurabant. Liberratus autem fuit Saul per harmonicum sonum davidicae citharae, sic tandem populus hebraeus aures praebens Christi Evangelio convertetur ad Christi fidem.

Hodierna secessio Christi a Iudaea in partes Tyri mystice significat reprobationem Iudaeorum et electionem Gentilium.

Hoc, inquam, est hodierni Evangelii mysterium, si recte attendamus. Divus enim Evangelista Marcus capite 7, unde desumptum est hoc Evangelium, prius dicit quod discessit Christus a Iudaea et secessit in partes Tyri et Sidonis ibique filiam chananaeae a daemonio obsessam liberavit.[13] Nonne hoc est apertissimum mysterium reprobationis Iudaeorum et Gentium electionis? Si discessit a Iudaeis Christus, discessit salus, quia Iesus est Salvator, discessit iustitia, quia Christus est *Sol iustitiae*,[14] discessit Deus, quia Christus est verus Deus. Ubi autem non est salus, ibi perditio; ubi non iustitia, ibi peccatum; ubi non Deus, ibi diabolus, sicut ubi lux non est, ibi tenebrae. Si autem ad Gentiles venit Christus, nam Tyrus et Sidon terrae Gentilium erant, ergo ad Gentiles salus, iustitia, Deus ipse auctor salutis et fons iustitiae venit. Necesse autem fuit ut diabolus abiret cum omnibus suis tenebris: haec est chananaeae filiae curatio. Sic luce clarius apparet Gentium ad Christi fidem conversio, nam nos Sacramenta gratiae habemus quibus ab immundis peccatorum spiritibus liberamur.

Mysterium hoc pertractat etiam D. Paulus.

III. Statim autem post miraculum curationis filiae chananaeae Evangelium istud sequitur: *Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos*[15] ibique praesens miraculum operatus est. Hoc est mysterium illud quod Paulus, archivum illud sapientiae divinae, disertissime pertractat *ad Romanos* de reprobatione Iudaeorum et salute Gentium, et iterum post Gentium salutem, Iudaeorum demonstrat futuram salutem per Christi gratiam:[16] *Caecitas ex parte contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret.*[17]

13) Cf. vrr. 24-30; Missale Rom. 14) Mal 4, 2. 15) Mc 7, 31. 16) Cf. 11, 1 sqq. 17) Ibid. vrr. 25-26. Vulg.: *Donec plenitudo*, etc.

Praedicatoribus oratio necessaria est, quia magna potentia requiritur ad conversionem peccatoris, maxime hebraei.

Recte autem hebraeus populus regio Decapoleos dicitur, quia legem habet decem praeceptorum; veniens autem Christus per praedicationem Evangelii ad Hebraeos convertendos, sicut ad se convertit Gentiles, ecce fideles praedicatores *deprecabantur eum.*[18] Non enim sufficit tantum praedicare si quis velit animas Christo convertere, sed oratio quoque summe necessaria est. Deprecantur autem *ut manum illi imponat,*[19] quia omnipotens Christi manus est. Maior autem potentia requiritur ad conversionem peccatoris quam ad mundi creationem,[20] maxime vero ad conversionem perfidorum Hebraeorum, qui caeci sunt et veritatem lucis videre non possunt, qui Christus est, surdi sunt, quia Evangelii praedicationem omnino audire nolunt, muti sunt, quia Christum laudare omnino abhorrent.

Quae egit Christus in hodierno miraculo significant processum conversionis ab infidelitate ad fidem.

Tunc Christus exaudiens orationes fidelium praedicatorum, apprehendit hunc daemoniacum *de turba seorsum* et *misit digitos suos in auriculas eius* immittendo in cor eius per praevenientem gratiam Spiritus Sancti divinas inspirationes, in secreta lectione Sacrarum Scripturarum, quas Hebraei secreto semper legunt, *et expuens tetigit linguam eius,* ut incipiat veritatem Sacrarum Scripturarum loqui, *et suspiciens in coelum* ad merita sanctorum Veteris Testamenti *ingemuit,* quia cum illi dilectissimi Deo fuerint, isti eorum filii sunt[21] per perfidiam suam inimici Dei; tunc dicit potenter praecipiens, quia Deus est et si non vult hominis liberum arbitrium cogere, potest tamen mutare; mutans ergo liberum arbitrium hominis infidelis per divinam potentiam suam Christus dicit: *Ephphethah, quod est adaperire:*[22] Hebraeis hebraice loquitur. Sic aperit Christus aures cordis infidelium ad audiendum Christi Evangelium: *Et statim apertae sunt aures eius* ad fidem Evangelii et per consequens *solutum est vinculum linguae eius,*[23] quia non sufficit fides cordis sine confessione oris; ita Paulus ait: *Corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*[24] Sic *solutum est vinculum linguae eius et loquebatur recte*[25] de fide Evangelii. Ex conversione autem Iudaeorum ad fidem gaudent omnes Christi fideles, admirantur Christum summe laudantes: *Bene omnia fecit: et surdos fecit audire et mutos loqui.*[26]

18) Mc 7, 32. 19) Ibid. Vulg.: *Ut imponat illi manum.* 20) Cf. S. Augustinus *In Ioannem,* tract. 72, (P. L. 35, 1823). 21) Ms.: *Sint.* 22) Mc 7, 33-34. 23) Ibid. vr. 35. 24) Rom 10, 10. 25) Mc 7, 35. 26) Ibid. vr. 37.

SECUNDA PARS

David expellens daemonem a Saul citharam pulsando mysterium innuit.

IV. Res plane mirabilis erat ut David citharam pulsans maligni spiritus vires compesceret, imo ut nedum Saulem confortaret harmonico illo sono, sed a daemone liberaret. Mirabile autem nil esset si, uti multi dicere ausi sunt, maligni spiritus, qui daemones vel potius cacodaemones dicti sunt, non darentur in mundo, sed vexatio illa naturalis quaedam esset infirmitas, veluti phrenesia. [27] At cum et auctoritate Sacrarum Scripturarum et rationibus potentissimis et manifestissima experientia constet daemones dari qui humana corpora vexant, mirum est quomodo vim harmonia illa in spiritum habebat. Nam nec mirum omnino esset si daemones, iuxta platonicorum dogmata, aerea corpora habeant, [28] tunc enim transmutabilia essent; sed constat per Scripturas Sacras quod daemones spiritus sunt, corpore expertes. Necesse est ergo sacram quandam rationem adinvenire cur sonitus ille sancti citharoedi citharizantis daemonem propellebat.

Cithara mundum figurat, qui a Deo creatus fuit veluti cithara optime consonans.

Ea forte ratio erit, quia Deus mundum hunc magnum veluti citharam quandam creavit ter novem chordis constantem. Sub coelo enim reperiuntur novem rerum genera: quattuor clementa, lapides, metalla, plantas, liquores et animalia, quae omnia in homine continentur; in coelo novem sphaeras mobiles in empyreo contentas; in paradiso novem Angelorum ordines, qui archetypo mundo uniuntur et ab eo continentur. Elementalia coelestibus coniunguntur et consonant coelestia supercoelestibus, supercoelestia divinis. Sicut autem in cithara, quamvis multae sint chordae diversorum sonorum, acuti, gravis et circumflexi, omnia, cum sapientis citharoedi manu tanguntur, mirum in modum sibi invicem consonant, ita etiam, quamvis hoc in mundo multae sint naturae ad invicem contrariae, veluti ignis et aqua, dies et nox, aestas et hiems, ver et autumnus, haec tamen, summa Dei sapientia et providentia omnia gubernante,

27) Haeretici Georgiani et Davidici, de quibus cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 63, a. 1, appendix Ser. Capponi. 28) Cf. Chalcidius *Timaei Platonis Traductio et Explanatio*, f. 36ᵇ-37ª; Apuleius Liber *De Deo Socratis*, pag. 400. Alcinous Philosophus *De Doctrina Platonis*, cp. 15, pag. 356; Seb. Foxius Morzillius Hisp. *In Platonis Timaeum Commentarius*, col. 175-176.

summe admirandam in universo efficiunt sympathiam, uti in mixtis quibuslibet videre licet et in rerum omnium naturalium generatione. Sic summa rerum consonantia in universo reperitur et in coelo et sub coelo et super coelum, in Angelis sanctis.

Lucifer autem et ipse chorda quaedam suprema huius citharae erat, sed per peccatum fracta est irremediabiliter; unde Summus Citharoedus videns quod amplius adaptari non posset, abstulit eam a cithara et proiecit in terram. Chorda autem humanae naturae non omnino fracta est per peccatum, [sed] remissa, ut per poenitentiam iterum posset ad regulam iustitiae reduci et bonum in hac cithara concentum harmonicumque sonum efficere posset. Sic fit in Ecclesia quotidie musicalis concentus sacrarum mentium in orationibus, *psalmis, hymnis et canticis spiritualibus*[29] Deum laudantium, sicut fiebat in coelo, Angelis mentibus concorditer simul Deum laudantibus, antequam Lucifer peccaret, iuxta quod dicitur: Ubi eras *cum me laudarent... astra matutina et iubilarent omnes filii Dei ?*[30] et item: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.*[31] Sed Lucifer in illo concentu nimium vocem exaltavit dicens: *Ascendam in coelum,* etc., *similis ero Altissimo ;*[32] quapropter a magistro capellae coelestis foras pulsus est ne concentus omnino dissentiretur[32a] angelicus, cum multi vocem Luciferi sequerentur, illique omnes cum eo foras pulsi sunt. Hinc forte evenit ut daemonium[33] musicam omnibus iucundam et desiderabilem odio habeat, ita ut non posset ferre concentum suavem quem David faciebat cum sua cithara.

Sed per peccatum chorda suprema huius citharae, Lucifer, fracta fuit, altera vero, homo, tantum remissa.

V. Sed et alia est sacratior ratio. Si enim mundus hic magnus cithara quaedam magna est summi citharoedi, Dei, ergo et homo, qui μικρόκοσμος[34] est, parvus mundus, cithara quaedam Dei parva [est], in statu naturae perfecta, in statu gratiae perfectior, in statu gloriae perfectissima. Christus futurus erat homo, ergo cithara quaedam perfectissima, quia homo beatus; sic dicitur de eo: *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara,*[35] sed cithara in manu David,

David cum cithara Christum figurabat,

29) Col 3, 16. 30) Iob 38, 7. 31) Ibid. 25, 2. 32) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam, etc.* 32a) Ms.: *Dissentaretur.* 33) Ms.: *Daemones.* 34) Ms.: *Microcosmos.* 35) Ps 107, 3.

in cuius nomine virtualiter continetur nomen Dei tetragrammaton, [36] quia futurus erat Christus homo assumptus a Deo in unitatem personae. Quia ergo David cum cithara Christum praenuntiabat et prophetabat, praefigurabat opere, praenunciabat verbis psallens, ideo daemonem propellebat, quia Christus ad hoc venturus erat, ut hominem ab immundi spiritus potestate liberaret.

Saul autem genus humanum per peccatum a daemonio obsessum;

Ecce apertum mysterium in Evangelio. Christus enim uti David, quatenus, inquam, humanitatis suae citharam pulsans, hodie dum loquitur dicens: *Ephphethah, quod est adaperire*, statim ab homine immundum spiritum eiicit facitque mutum loqui et surdum audire. In Saule vero recte humani generis conditio figuratur. Hic enim primo Deo fuit acceptus et super israeliticum regnum rex constitutus, sic Adam in statu innocentiae Deo placitus erat et in terrestri paradiso rex constitutus. Fregit Saul divinum praeceptum et gratiam Dei amisit regnoque ipse et posteri eius privati fuere et insuper spiritu immundo fuit plenus, a daemone obsessus; haec omnia in Adam examussim completa sunt.

. sed venit Christus ad hominem liberandum meritis humanitatis suae.

Liberatur Saul a Davide, Christus advenit hominem a diaboli potestate liberare: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* [37] Non simpliciter per seipsum David daemonem eiiciebat, sed per sonum citharae; non simpliciter Filius Dei sua divina virtute hominem a diaboli potestate liberavit, sed per merita humanitatis suae, quatenus humanae naturae opera principaliter a Divini Verbi virtute operabantur, sic meriti erant infiniti immensique valoris ad expellendum e mundo satanam. Sicut sol sua luce tenebras, ita Christus daemonium eiicit hodie; hoc enim idem mysterium et miraculum Christi Divus Lucas pertractans ait: *Erat* Iesus *eiiciens daemonium*... *Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.* [38]

36) Nomen יהוה arithmetice valet 26, nam:

י = 10, ה = 5, ו = 6, ה = 5; s. t. 26.

Nomen דוד constat ex duplici quaternario et senario, nam:

ד = 4, ו = 6, ד = 4.

Dicitur autem quaternarius numerus virtute denarium continere, forte quia antiquitus numerus quaternarius latine significabatur quattuor lineis verticalibus: IIII; aliter autem his lineis dispositis, perficitur denarius: X; vel etiam quia numeri, quibus quaternarius componitur, in summam collecti denarium perficiunt: $1 + 2 + 3 + 4 = 10$. Hoc est quod ait etiam Lud. Caelius: « Denarius numerus est quaternarii compositio ». *Lect. Ant.*, lib. 22, cp. 9, col. 1237. 37) Io 12, 31. 38) 11, 14.

VI. Sed quomodo et quando eiecit de humano genere Christus daemonium? *Exiens*, inquit, *a finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos.*[39] Tyrus est Hebraeis t r i b u l a t i o, Sidon est v e n a t i o: post passionem suam venit Iesus a partibus Tyri, a finibus passionis, surgens a mortuis, ascendens ab inferis; venit per Sidonem, per venationem, misit Apostolos suos praedicare Evangelium ut animas Christo venarentur, hac enim venatione nimium delectatur Christus veluti alter Isaac.[40] Venit autem ad mare Galilaeae, Galilaea autem r e v o l u t i o est et lineae veluti circularis ad primum punctum conversio. Hoc mysterium videtur aperuisse Christus, cum post resurrectionem suam ascensurus in coelum, Apostolis suis dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.*[41] Tunc venerat Iesus a partibus Tyri, quia resurrexerat a mortuis, per Sidonem, per venationem, per praedicationem Apostolorum ad mare, quia praecipit aquis baptizare credentes. Recte autem Baptismus mare dicitur Galilaeae, quia homo in Baptismo restituitur innocentiae, quam per Adae peccatum amiseramus, et Deo convertitur. Sed *inter medios fines Decapoleos*, hoc est: *Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Decapolis enim regio erat in qua erant decem civitates; lex est in qua sunt decem praecepta quae baptizatis servanda sunt, si velint vitam consequi aeternam.

Hoc egit Christus post resurrectionem suam

praedicatione Apostolorum et Baptismo.

Ut autem homo plene liberetur ab immundo spiritu, a potestate diaboli per deletionem peccati, et Christi opus necessarium est et praedicatorum horum, ut non tantum praedicent, sed etiam ut deprecentur Christum ut ipse daemoniacum liberet, aperiat aures, linguam solvat. Christus autem apprehendit hominem per gratiam suam praevenientem, ponit digitos in aures per divinas inspirationes, expuens tangit linguam eius, quia fidem infundit in corde et fidei confessionem in ore. Tunc dicit: *Ephphethah, quod est adaperire*, quia sic aperitur cor ad divinam suscipiendam gratiam, ad

Describitur processus conversionis populi gentilis.

39) Mc 7, 31. Vulg.: *Exiens de finibus Tyri*, etc. 40) Cf. Gn 27, 3-4.
41) Mt 28, 18 sqq.

diligendum ex toto corde Deum. Unde etiam et aures et ora aperiuntur: illa ad audienda divina praecepta, ista vero ad divinas laudes persolvendas.

cuius nos sumus nepotes.

Plane in conversione Ecclesiae Gentium ad Christi fidem haec omnia facta sunt, unde nos omnes recte possumus vocem extollere et Christum laudare dicentes: *Bene omnia fecit: et surdos fecit audire et mutos loqui.* [42] Omnes enim Gentiles daemoniaci erant per idololatriam, surdi ad audienda divina mysteria Sacrarum Scripturarum, muti ad Deum coeli laudandum et benedicendum; nunc autem Dei gratia non idola, sed Deum colimus, iugiter divinas laudes et verba sacrorum praedicatorum audimus, ora ad laudes divinas solvimus, si vere christiani sumus, si non iterum per peccata actualia nos diabolo subiecimus. Et utinam non sic esset! O quot daemoniaci hodie reperiuntur! quot surdi! quot muti! Omnes qui in mortali peccato vivunt, tales sunt. Placeat Deo ut nos omnes liberet.

42) Mc 7, 37.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

I. Sicut stellae omnes in coelo unicum habent lucis universae perpetuum fontem, a quo splendentium luminum suorum perennes hauriunt rivulos atque flumina; item sicut omnes uniusque arboris rami a radice accipiunt virtutem omnem frondescendi, florescendi et fructificandi, et sicut omnia flumina a mari per subterraneos meatus exeunt perpetuamque habent originem et perennem fluxum; sicut item omnes colores a luce gratiam omnem et pulcritudinem accipiunt et sensus omnes corporei ab anima sentiendi vim habent; ita virtutes omnes et praecepta atque opera divinae legis meritorum originem ab una virtute trahunt.[1] Haec caritas est, in huius gemino praecepto, uti Christus hodie ait, *universa lex pendet et Prophetae.*[2] Haec sol est, aliae virtutes omnes veluti stellae; haec radix, illae rami; haec mare, illae rivuli; haec lux, illae colores; haec anima, illae sensus.

Omnes virtutes earumque opera a sola caritate originem trahunt.

PRIMA PARS

II. Unum tantummodo praeceptum dedit omnipotens Deus primo homini in paradiso: ne de ligno comederet scientiae boni et mali;[3] et Angelis item unum in coelo: ut Christum hominem adorarent: *Et adorent eum omnes Angeli* Dei,[4] quod interpretatus Paulus, unicus Sacrarum Scripturarum expositor, ait: *Et cum iterum introducit primogenitum* suum *in orbem terrae, dicit: Et adorent eum*

Angeli et homo innocens non indigebant praecepto ut Deum diligerent,

1) Ms.: *Originem* iterum ponitur. 2) Mt 22, 40. 3) Cf. Gn 2, 16-17.
4) Ps 96, 7.

omnes Angeli Dei. [5] Verum, si Deum diligere primum et maximum praeceptum uti est, [6] Christus hodie ait, quid est quod non hoc eis praeceptum dedit? Nam et Christus ait: *Qui non diligit me, mandata mea non servat;* [7] et daemones Christum adorare coguntur, [8] cum tamen nil gratum id Deo sit in illis. Sed naturali tantum lege hoc faciebant Angeli et homo in prima conditione, ideo praecepto non egebant, nam quae naturalia sunt, non praecipiuntur. In lege sic praecipit Deus ut proximum tanquam nos ipsos diligamus, [9] nec praecipit ut amemus nos ipsos, quia hoc naturale est homini diligere seipsum; ita praecipit ut filii parentes ament et honorent, [10] nec parentibus praecipit ut filios ament, quia naturale hoc est; non praecipit Deus homini ut comedat et bibat, quia natura id requirit.

quia amor beatitudinis naturalis est et Angelis et hominibus;

Ita amor beatitudinis naturalis est Angelis et hominibus, nec potest quis beatam vitam non diligere et summopere desiderare; hinc est quod omnis homo adeo diligit divitias, voluptates et honores, quia his putat felicem posset ducere vitam. Cum ergo beatitudinis amor naturalis sit et non voluntarius, necessario si quis beatitudinem agnoscat, vere summe amabit.

at beatitudo tum Angeli tum hominis Deus est.

Sed quia beatitudo et gloria tum Angeli tum hominis Deus est, dedit Deus tum homini tum Angelo a prima conditione intellectum, ut Deum posset vere cognoscere uti summum bonum et verum beatitudinis obiectum. Posuit in intellectu principia omnia scientiae ad discernendum verum et falsum, in voluntate semina virtutum ad amandum bonum et odio habendum malum, dedit item homini gratiam suam, habitum fidei qua Deum cognoscebat, habitum spei qua [11] Deum summopere uti beatitudinem suam desiderabat, habitum caritatis qua summopere diligebat. Et ideo cum naturali lege homo Deum diligeret veluti benignissimum patrem optimus filius et uti beatitudinem omnis homo, non fuit necesse Deum homini praeceptum dilectionis divinae largiri.

Verum quia per primum peccatum sanctissima haec naturae lex corrupta est, ducitur autem homo ut seipsum magis quam Deum diligat et falsam magis beatitudinem mundanae gloriae quam veram

5) Hebr 1, 6. 6) Cf. Mt 22, 37-38. 7) Io 14, 24. Vulg.: *Sermones meos non servat.* 8) Cf. Phil 2, 10. 9) Cf. Lv 19, 18. 10) Cf. Ex 20, 12; Dt 5, 15. 11) Ms.: *Quam.*

felicitatem coelestis beatitudinis, hinc veniens Deus ad reformandam et reintegrandam naturae legem per peccatum corruptam, primum et maximum praeceptum hoc dedit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni mente tua et ex omnibus viribus tuis.* [12]

Sed quia natura innocens corrupta fuit, Christus hoc mandatum fert.

III. Admirabili autem sapientia Christus verus Deus dans hoc praeceptum divinae dilectionis, et causas assignat cur debeamus diligere et modum diligendi praescribit. *Diliges:* hoc est praeceptum; *Dominum Deum tuum:* istae sunt rationes; *ex toto corde tuo,* etc.: iste est modus. Sed ut iure optimo haec intelligamus Christi ordinem insequentes, convenit utique ut videamus quidnam hoc est quod praecipit cum ait: *Diliges;* quid dilectio et amor sit; item quaenam sint hae rationes; demum quid sit diligere ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente et ex omnibus viribus.

Christus hodie causas assignat et modum praescribit diligendi Deum.

Diliges Dominum Deum tuum. Difficillimum est fari quidnam sit amor. Accidere autem mihi videtur in amore quod accidit in luce, qua quidem nihil est manifestius, adhuc autem nescitur quidnam sit lux: accidens an substantia, res corporea an spiritualis vel media; ita amore quidem nihil est manifestius, nam sicut impossibile est solem non lucere, ignem non calere, animal sensum vitamque non habere, ita fieri non potest ut cor humanum sit absque [amore], nec reperiri potest homo qui non sit alicuius rei amantissimus; vix tamen fari potest quid sit amor. Si dicamus quod amor in corde est veluti lux in sole, calor in igne, sensus in animali, vita in planta, nec ob id intelligemus quidnam sit amor. Si dicamus cum platonicis quod amor est pulcritudinis fruendae desiderium, [13] nos quidem multa amamus quae non desideramus, desideramus enim bonum absens, sed praesens amamus et eius praesentia gaudemus. Si dicamus quod amor est animi placens benevolentia et amare est bonum alicui velle et desiderare, [14] plane multa amamus quibus nescio quodnam bonum desideremus. Nam mulier pulcherrimas gemmas amat et vir pretiosissimas gemmas, argentum et aurum optimum; his

Difficillimum est fari quidnam sit amor.

12) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 13) Cf. Marsilius Ficinus *Comment. in Convivium Platonis*, cp. 4, pag. 218. 14) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 20, a. 2; q. 23, a. 4.

autem quodnam bonum est quod desideratur? Quid ergo dicemus quod sit amor?

Amor est complacentia delectationis in bono;

Verum quidem est quod amor benevolentia quaedam et pulcritudinis fruendae desiderium est. Est enim amor boni grata quaedam animi complacentia, ea enim amare dicimur bona quae nobis placent et odio habere quae displicent; sic homo voluptates, divitias et honores amat, quia haec sibi uti bona placent, poenas vero, paupertatem et ignominiam odit, quia uti mala valde displicent; sic vitam amamus et odimus mortem, placent vero ea bona nobis magis quae animo maiorem afferunt delectationem.

ergo praecepto diligendi Deum praecipitur ut Deus uti bonus nobis placeat et desiderium habeamus eius bonitatis fruendae.

Hanc autem in bono complacentiam delectationis tria semper concomitantur in hac vita: desiderium, spes et gaudium. Bonum enim cognitum statim animo placet et amari incipit; si abest et haberi potest, statim desideratur et amatur et quaeritur, ut habitum delectatione et gaudio animum afficere possit; si vero habetur et amitti potest, eius quidem praesentia animus gaudet et delectatur, desiderat vero et sperat perpetuo possidere idque omnibus viribus quaerit, quia perdere et timet et abominatur. In patria vero, quia bonum quo beantur omnes aeternum est et amitti non potest, summo gaudio et delectatione animos afficit coelestium civium, nec ibi spes reperitur, quia nullus timor nec desiderium, quia nullum quod sit abominabile malum. Cum ergo praeceptum nobis datur ut Deum diligamus, ut Deus uti bonus placeat nobis desideriumque habeamus fruendae eius bonitatis praecipitur.

Deus placitus nobis esse debet, quia infinita bonitas est in seipso

IV. Sed quanam ratione Deus nobis placitus adeo esse debet? Cur tenemur diligere? *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Ob duas rationes quae hisce in verbis assignantur: primo, quia Deus est, secundo, quia Deus noster: וְאָהַבְתָּ אֵת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ : *Diliges Dominum Deum tuum.* [15] Quid autem haec duo significent declaravit forte R e g i u s V a t e s cum ait: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* [16] Primo ergo propterea diligendus est, quia Deus in seipso bonus, secundo, quia

15) Dt 6, 5. Ms.: *Veahabtha et iehovah elohecha.*

16) Ps 117, 1. Vulg.: *Quoniam in saeculum*, etc.

Deus noster, quia eius in nos aeterna misericordia est. Est bonus Deus veluti sol est lucidus et ignis calidus. Sol quidem suapte natura lucidissimus est et ignis calidissimus; nullo eget sol quo illuminetur nec ignis quo calefiat.

et erga nos;

Verum quia sol lucidissimus est formaliter, effective item summe lucidus est, quia mundum totum illuminat et ignis omnia calefacit, ita Deus suapte natura summe bonus est ac nullius bonitate eget; quia vero suapte natura bonus est, voluit et nobis bonus esse creando propter nos bona omnia: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* Quod si nos lucem diei valde diligimus, multo magis diligenda nobis est lux solaris, quia ab ista illa procedit et abeunte sole deficit illa. Si ergo nobis temporalia bona a Deo creata et producta, sicut dies a sole, nobis usque adeo placent, ut dicamus non posse non diligere ea, sic dicit dives non posse suas non diligere divitias, parentes filios, viros uxores, quanto magis diligendus nobis est Deus, a quo bona cuncta procedunt?[17] *Diliges Dominum Deum tuum, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.*

infinita autem bonitas infinitum a nobis requirit amorem;

Dei autem quanta sit bonitas fari quisnam poterit? Infinita plane bonitas, ergo infinitum requirit a nobis amorem. Quae autem maiora sunt, magis diligimus: aurum quam lutum, gemmas quam lateres et magis mille aureos quam centum et magis decem aut centum millia quam mille. Sic ergo crescente bonorum copia, in immensum crescit amor; sed Deus infinite bonus est, ergo sine fine aut quovis termino amandus.

ergo summe Deus diligendus esset etiam si nullum ab eo beneficium accepissemus;

Tractatur in theologia quaestio una: si dato per impossibile quod plures essent dii sicut plures sunt divinae Personae in Deo, et ab uno nos bona omnia naturae, fortunae, gratiae et gloriae accepissemus, ab alio vero nihil, utrum hunc benefactorem Deum magis teneremur diligere quam alios? Respondetur autem quod aequaliter omnes, uti suapte natura coaequales sunt, sic omnes et colere et amare [teneremur], veluti si quis homo tres gemmas haberet aequales omnino in valore et pulcritudine, unius autem ratione multos accepisset honores atque favores, multa beneficia, nihil tamen hanc

17) Cf. Missale Rom., orat. Dom. 5 post Pascha.

magis ceteris praefert, quia scit omnes eiusdem esse virtutis atque valoris; item si quis tres optimas possessiones haberet eiusdem bonitatis et pretii, ipse vero in una semper vixisset ex frumento, vino, oleo et fructibus illius, non dubium quin ab ista hic magna beneficia acceperit, ab aliis vero nulla; attamen quia omnes eiusdem sunt bonitatis in omnibus et valoris, nihil magis hanc quam illas aestimabit. Ita si nullum nos omnino a Deo accepissemus beneficium, summe diligere teneremur ea tantum ratione, quia Deus suapte natura bonus est et bonitas infinita.

quanto magis cum eius etiam in nos infinita bonitas sit;

Quanto magis ergo cum eius etiam in nos infinita misericordia sit? *Diliges Dominum Deum tuum, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia [eius].* Aeterna enim in nos Dei misericordia [est] primo, quia ab aeterno dilexit nos: *Caritate perpetua dilexi te;* [18] secundo, quia propterea nos ad aeternam suam gloriam uti filios suos, sui regni heredes, Christo similes praedestinavit; tertio, quia mundum propter nos creavit et omnia quae in mundo sunt, nullis nostris exigentibus meritis. Veluti si quis rex mox ut videt reginam sponsam suam concepisse filium, incipiat magnificentissimum palatium et gloriosissimum extruere, ut in eo natum filium ponat illiusque dominum constituat, num filius ille palatium summis divitiis plenum meruit? num beneficium aliquod regi contulit? Plane omnes parentes summopere filios suos diligunt mox genitos, cum nullum ab eis beneficium acceperint, sed tantum ex pietate eorum naturae. Ita Deus prius quam Adamum creasset, tantum per praedestinationem conceptum eius habens in mente, creavit mundanum hoc palatium moxque natum hominem in aula paradisi terrestris collocavit illumque universi dominum constituit. [19] Quarto, quia immensos gratiae suae et virtutum omnium thesauros illi contulit; quinto, infinitam gloriam in coelo praeparavit; sexto, *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [20] septimo, ut Spiritum etiam Sanctum mitteret.

ab aeterno enim nos amavit, ad summam gloriam nos praedestinavit, propter nos mundum creavit

et immensis gratiae suae thesauris nos ditavit.

O si haec intelligeremus, videremus plane quomodo infinitus est Dei erga nos amor, infinita misericordia! Quod si amor non-

18) Ier 31, 3. 19) Cf. Gn 1, 26-30. 20) Io 3, 16.

nisi amore potest digne recompensari, iustum utique est ut, si adeo Deus nos diligit, a nobis amorem exquirat.

V. *Diliges Dominum Deum tuum.* Deus noster est, creator noster, Dominus noster, redemptor noster, pater noster, salvator noster, et ex his omnibus diligendus. Quia Deus noster, quia cum esset Deus, cuius naturae non sumus, homo fieri voluit particeps naturae nostrae, cui nos similes essemus omnino et vere *ad imaginem et similitudinem Dei,* [21] et artificialem et naturalem et connaturalem. Quod si omne simile naturae ipsius lege suum simile diligit, [22] cur non Deum non diligamus? Stellae diligunt solem, flumina mare, lapides terram, et nos non Deum nostrum?

Deus diligendus est quia creator noster est

Secundo, quia Dominus noster est, utique benignissimus. Certe omni iusta lege stringitur bonus servus optimum et benignissimum dominum diligere, cum ab eo servitutis suae et abundantes mercedes et ultra superabundantia et copiosissima munera accipiat. Et plane. Vos ego nunc iudices appello: si quis vir nobilis et dives hominem inveniat pauperrimum et miserabilissimum qui fame pereat, vir autem ille misericordia motus eum domi recipiat, vestiat et nutriat, inter nobiliores suos servos constituat, amplissimas mercedes promittat nihilque aliud ab eo petat nisi levissima et nobilissima servitia, veluti ut sit fidelis secretarius aut cubicularius aut pincerna; si vir iste ingratus beneficiis haec facere nollet, qua vobis poena dignus videretur? Vir mille mortibus dignus.

et Dominus benignissimus,

O christiani, nos tales sumus. Quaeso, dicite: absque Deo nonne pauperrimi nos omnes sumus? Nonne nudi in hunc mundum venimus? Vitam ipsam quis dedit nobis? Deus non potuit facere ut mox nati mortui essemus? Utique, voluit tamen nos in hac domo sua recipere et inter nobiliores servos numeravit, non inter Hebraeos, Turcas, haereticos aut quosvis alios infideles. Ipse nobis dat victum et vestitum, quia nisi ipse solem suum oriri faceret et plueret, [23] nonne fame omnes moreremur? Unum vero tantum a nobis ipse expostulat, ut diligamus eum: et non diligemus? et non diligimus? O summa ingratitudo! Et quam mercedem ergo a Deo expectabimus?

nam omnia bona nostra ab eo accipimus,

21) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 22) Cf. Eccli 13, 19. 23) Cf. Mt 5, 45.

Redemptor et pater noster est.

Nec ob id tantum diligere tenemur, sed quia et redemptor et pater noster. Hoc, quaeso, advertite. Si quis puer pulcher forma captivus esset cuiusdam crudelissimi tyranni et vilissimis servitiis destinatus, nobilissimus autem princeps videns eius naturalem formam, nobilem quidem et elegantem, summo pretio redimat, nec eo contentus, in filium adoptet [24] suique status heredem constituat, id tantum ab eo petens ut ad collum iugiter auream ferat catenam cum aureo numismate ad pectus, in quo sit sculpta regis imago, ob amorem et fidelitatem, quam nunquam dimittat aut alteri det; si hic nolit hoc facere, sed meretriculae torquem illam det et a rege ob id discedat, nonne insipientissimus erit? Nos tales sumus, nec aliud a nobis quaerit Deus nisi ut virtutum torquem ad collum habeamus cum gemma caritatis, in qua sculpta est per amorem Dei imago.

SECUNDA PARS

Deus cupidissimum se ostendit amoris nostri.

VI. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni mente tua et ex omnibus viribus tuis.* Cupidissimum se Dominus nostri amoris ostendit, cum non sufficiat illi dicere: *Diliges ex toto corde*, sed addit: *Ex tota anima... mente* et *viribus*. Ostendit item pretiosissimum quidem esse nostri amoris valorem, cum nec minimum granum illius velit amittere, et quod cum ipse magis nos diligat quam nos ipsum possimus diligere,[25] sic nos diligit uti vult diligi a nobis.

Exponuntur verba: cor, anima, mens, vires.

Interpretantur autem multi per cor voluntatem, quia sicut in corpore cor est principium omnium motuum corporalium, ita voluntas spiritualium, et sicut cor est principalis pars et membrum corporis, ita voluntas potentia animae; per animam vero inferiorem animae portionem et sensitivam partem, sicut dicitur: *Factus est homo in animam viventem;*[26] per mentem partem intellectivam et superiorem portionem quae est ad imaginem Dei; per vires vero omnes naturales hominis virtutes et potestates ad operandum.[27]

24) Ms.: *Adoptem.* 25) Ms.: *Diliget.* 26) Gn 2, 7. 27) Cf. S. Augustinus *De Doctrina Christiana*, lib. 1, cp. 22, (P. L. 34, 26); Lyranus *Glossa Ord. Deuteronomii*, f. 338ᵃ-339ᵇ; Tostatus *Comment. in Deuteronomium*, cp. 6, 5, q. 2, pag. 59.

Ego vero hisce verbis nullam vim penitus inferendam puto, sed simpliciter esse intelligenda. Id tantum invertendum duco, quod in anima, uti omnes theologi ostendunt, duplex portio reperitur: superior qua ferimur ad Deum creatorem, et inferior qua ad creaturas Dei; fertur anima ad haec autem et cognoscenda et amanda.

Diligere Deum ex toto corde est Deum summe carum habere et omnia quae Deo contraria sunt summo odio habere;

Haec autem quae hic dicuntur non sunt de inferiori parte simpliciter intelligenda, sed de superiori, cuius est Deum cognoscere et cognitum amare. In corde autem veluti in sede principaliter insidet amor et odium, hoc est placens delectatio in bono grato et tristis displicentia in opposito malo. Praeter haec autem quattuor sunt in corde passiones: gaudium et dolor, spes et timor. Ergo Deum toto corde diligere est Deum summe carum et placitum habere in eoque delectari, de gloria Dei summe gaudere et eius fruitionem sperare; peccata vero omnia, quatenus Deo contraria sunt, et mundum et carnem et diabolum, quae ut ministri peccati ad peccata tentando ducunt, odio habere, timere, pro eis tristitia affici et summe dolere.

diligere ex tota anima est Deum summis desideriis quaerere;

In anima vero duae vires reperiuntur: concupiscibilis et irascibilis; illa bonum sequitur desiderio, haec malum persequitur ira. Deum ergo tota anima diligere est summum bonum Deum nos beatificantem summis desideriis quaerere, uti sponsa ait in *Canticis: Quaeram quem diligit anima mea;* [28] quaecunque vero nos ab inveniendo Deum impediunt, summa ira et indignatione persequi.

diligere ex tota mente est Deum semper in memoria habere;

In mente tres potentiae reperiuntur: memoria, intellectus et voluntas. Primae est recordari, secundae intelligere, tertiae amare. Deum ergo tota mente diligere est Deum semper in memoria habere et amoris ac beneficiorum eius perpetuo meminisse, illum semper intellectu quaerere in meditatione et divinorum contemplatione, nihil velle nisi Deum et divina diligere.

diligere ex omnibus viribus est omnia nostra ad eius gloriam destinare.

Vires autem in bonis consistunt vel naturae vel fortunae vel gratiae. Vires naturales sunt sensus interiores et exteriores: sanitas, fortitudo corporis, lingua et operatio manuum, sive vis motiva vitaque ipsa; vires fortunae sunt divitiae et potestatum temporalium aut spiritualium dignitates; vires gratiae sunt virtutes

28) 3, 2.

omnes et Spiritus Sancti dona. Tunc omnibus viribus diligimus Deum quando haec omnia ad Dei honorem et gloriam destinamus, ut nonnisi quae Deo placita sunt facere volumus. Hic plane modus est diligendi Deum, haec facienda sunt omnibus qui salvari volunt.

Praeceptum hoc affirmativum est, ideo semper obligat, sed non pro semper.

VII. Ne cui vero difficilia nimis aut impossibilia videantur, quaeso, advertite quod hoc quidem praeceptum affirmativum est, non negativum. Discrimen vero hoc est inter negativa et affirmativa praecepta, quod illa quidem ad semper obligant et pro semper, ut nunquam liceat aliter facere quam iubeant, veluti est idola adorare, occidere et furari aut fornicari nunquam licet; affirmativa vero ad semper quidem obligant, sed non pro semper, veluti est honorare parentes: non semper in actuali parentum honore iubemur actu persistere, sed cum opus est; et sabbata sanctificare: non semper in oratione stare diebus festis tenemur, quia et comedere et dormire oportet. Praeceptum ergo istud cum sit affirmativum, non ad semper obligat ut semper omni tempore actualiter Deum diligamus, quia dormientes aut alia necessaria opera facientes non possumus haec facere. Sufficit ergo ut sit habitualis hic amor per caritatem et gratiam Dei, actualem vero facere cum necessitas exigit, ut non offendamus mortaliter peccando, quia praecepta affirmativa virtualiter negativa includunt ut nunquam liceat contrarium facere.

Non iubemur Deum diligere amore sensuali, sed intellectuali;

Amplius dico quod amor alius est sensualis, veluti etiam in animalibus videmus quo filios diligunt, et alius rationalis voluntatis quo iudices optimi iustitiam diligunt. Non iubemur Deum sensuali amore diligere, quia sensu non valemus; cognoscere autem tantum intellectu valemus, ergo et intellectuali voluntate diligere. Hic autem adhuc amor duplex est: alius quidem intensionis, alius vero aestimationis. Amor intensionis praecipue in matribus erga filios videtur, amor vero aestimationis in patribus; item amor intensionis est erga bona delectabilia: viri ad uxorem, gustus ad sapores, fructuum et ceterorum quae mandi possunt; amor vero aestimationis est erga bona utilia et honesta, sic quilibet magni aestimat suas divitias et suum honorem. Non tenemur autem amore intensionis Deum super omnia diligere, quia hic praecipue a sensu oritur, sensus autem Dei capax esse non potest; amore ergo aestimationis, ut sicut homo pluris pendit aurum quam argentum et auri maiorem quantitatem

non amore intensionis, sed aestimationis.

quam minorem, ita debemus summum bonum Deum toto corde diligere, summam reverentiam ei, honorem et gloriam exhibere et super omnia quae in mundo sunt revereri. Nam quilibet homo amore quidem intensionis amabit magis amicum suum quam principem aut regem suum, sed regi multo maiorem reverentiam et honorem exhibebit cavebitque magis regem quoquo pacto quam amicum quempiam offendere, [29] maxime cum est princeps optimus. Haec vera est huius praecepti intelligentia et ad salutem necessaria observantia.

Item erga proximum nobis non praecipitur amor intensionis, sed aestimationis

VIII. Similiter et secundum legis praeceptum de proximo: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, oportet intelligere principaliter de amore aestimationis, ut proximos nostros non vilipendamus, sed cuiuscunque sint generis, conditionis et status, sicut nos ipsos aestimemus, quia similiter nati sumus omnes et morimur, omnes ad imaginem Dei conditi et ad eandem gloriam praedestinati et ad eandem gratiam vocati; omnes ab uno Deo creati, ab uno Filio Dei redempti et ab eodem glorificandi sumus. Sicut ergo nos Deus aequaliter diligit absque personarum acceptione, sic nos proximos nostros diligere tenemur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sicut mercator habens mille aut centum millia nummorum aureorum non magis unum aestimat quam alium, quia omnes sunt eiusdem pretii atque valoris, sic nos debemus omnes homines diligere, et amicos et inimicos, omnibus bona necessaria saluti desiderare tum naturae tum gratiae tum gloriae. Non enim proprie de amore intensionis praeceptum hoc intelligitur, uti parentes diligunt filios suos.

Amore affectus omnes diligendi sunt,

Hic autem erga proximum amor duplex est: alter quidem affectus, alter vero effectus. Et affectus quidem alter universalis est omnibus exhibendus, alter vero particularis, amicorum, parentum, concivium et similium, nam hos magis quam illos tenemur diligere, siquidem caritas ordinata est, uti sponsa in *Canticis* ait: *Ordinavit in me caritatem.* [30] Effectus vero amor tunc proximo exhibendus est cum et necessitas ex parte proximi id requirit et ex

29) Ms.: *Amicum offendere quempiam offendere.* 30) 2, 4.

effectus cum necessitas exigit et possibilitas adest.

parte diligentis possibilitas adest, veluti in operibus misericordiae de quibus exemplum hodie Christus adducit declarans quisnam sit noster proximus. Samaritanus enim hic a Christo ostenditur vere proximus proximum diligens,[31] quia videns hominem necessitate pressum, adiuvit eum mediis omnibus quibus potuit, quod non fecere sacerdos et levita.[32]

Summe necessaria est huius praecepti observantia.

Horum autem praeceptorum observantia summe necessaria est ad salutem: *Hoc fac et vives,*[33] respondit pharisaeo Christus interroganti: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo ? In lege,* inquit Christus, *quid scriptum est ? quomodo legis ?* Respondit ille duo haec praecepta,[34] et Christus: *Hoc fac,* inquit, *et vives ; Si . . . vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[35]

31) Ms.: *Ostenditur* iterum ponitur. 32) Cf. Lc 10, 36-37. 33) Ibid. vr. 28. 34) Ibid. vrr. 25-26. 35) Mt 19, 17.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Haec leprosorum curatio figura est sacramenti Poenitentiae.

I. Si unigenitus Dei Filius, mundi cum esset rex et creaturarum Dominus, in mundum veniens, non regalem gloriosi regis formam induere voluit, sed servilem: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* [1] mirum non est si, cum et auctor esset legis et Moysi Dominus, nascens tamen voluit legi esse subiectus: Cum autem *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* [2] Hinc hodie iuxta legis praeceptum leprosos ad sacerdotes mittit, ut munera a Moyse praecepta offerrent et curati a Christo ab illis absolutionem acciperent, [3] in mysterium sanctissimi Poenitentiae sacramenti; haec enim leprosorum curatio hieroglyphica quaedam figura videtur Sacramenti illius divini. Nos autem nunc veniamus Evangelii haec mysteria, favente Deo, aperire. Det nobis gratiam suam Deus ut, si leprosi sumus, per misericordiam suam mundemur hodie et ab omnibus peccatis nostris salvi fiamus veluti hic samaritanus. [4]

PRIMA PARS

Lepra peccatum designat.

II. Sicut Eliseus propheta Naaman syrum curavit a lepra, [5] ita Christus hodie decem hos leprosos emundat. Ille non personaliter curat, sed mittit ut lavet se in Iordane septies; Christus mittit ad sacerdotes; faciens ille quod iussit Propheta, mundatus fuit; fa-

1) Phil 2, 6-7. 2) Gal 4, 4-5. 3) Cf. Lv 14, 1-32; Lc 17, 14. 4) Cf. Lc 17, 19. 5) Cf. 4 Rg 5, 1-14.

cientes isti quod Christus praeceperat, mundati sunt. Utrunque vero opus non magno vacat mysterio. Quis nescit quod si non peccasset homo, nulla fuisset aut morte aut infirmitate gravata humana natura? Perpetrato autem peccato, statim homo mortis sententia damnatus est et multis repleta infirmitatibus humana natura,[6] ut sciremus peccatum mortem quidem esse, quia hominem privat aeterna vita et gratia, infirmitatem item, quia ducit tandem, nisi per poenitentiam deleatur, ad aeternam mortem gehennae. Quare cum lepra infirmitas quaedam sit, non dubium quin in Scripturis Sacris peccatum designet.

sicut ostendunt ritus ante et post curationem huius morbi observandi,

Et hinc forte in lege datur ritus curandae leprae.[7] Leprosus primo a divino cultu suspendebatur et extra civitatem eiiciebatur, in mysterium quod peccatum nos et gratia Dei et meritis gloriae coelestis privat. In emundationem vero praecepit Deus ut duos passeres acciperet et lignum cedrinum et hyssopum et vermiculum, sive coccum bis tinctum, et sacerdoti offerret. Tunc sacerdos offerens sacrificium pro delicto, passerem unum occidebat et illius sanguine alterum aspergebat et dimittebat vivum, et illo item sanguine aspergebat aures leprosi mundandi et dextros pollices manus et pedis; tunc leprosus lavabat vestimenta sua et radebat pilos corporis sui et sic mundus a sacerdote declarabatur.[8] Haec autem litteralia quidem mysteria erant, ostendentia qualitates huiusce morbi. Hinc cedrum offerebat, lignum quod non putrescit, contra morbi putredinem; hyssopum, herbam boni odoris, contra fetorem; coccum bis tinctum contra turpitudinem coloris; passer occidebatur, quia leprosus veluti pro mortuo habebatur; vivus liber dimittebatur, quia mundatus in pristinam libertatem restituebatur. Offerebatur sacrificium pro delicto, quia ob peccatum datur haec poena morbi; radebat pilos, quia hi corroduntur a morbo; lavabat vestimenta sua, quia is morbus illa inquinat et fetida reddit.

qui mystice designant quid peccatum sit

Verum haec omnia in figura contingebant curationis peccati, quod per lepram designabatur. Hinc primo offerebatur sacrificium pro delicto. Quia vero peccatum, ut Dei offensa, infinita est culpa, eandem requirit satisfactionem. Ergo sacrificium istud pro delicto

6) Cf. Gn 3, 6-19. 7) Cf. Lv 13, 1 sqq. 8) Cf. ibid. 14, 1-9.

infiniti valoris esse oportebat; infiniti autem valoris meritum infinitam requirit caritatem, quia ab ea meritum omne originem trahit, sicut peccatum Dei contemptus et odium est. Infinitam autem caritatem nonnisi Deus habere potest; Deus autem pati non potest, pati autem oportet eum qui peccavit; Deus non peccavit, sed homo; ergo et hic offerre sacrificium pro delicto tenebatur. Ut autem infinitam caritatem haberet, Deus [9] necesse erat ut esset. Ecce Christus Deus et homo venit ipse ut summus sacerdos et obtulit sacrificium pro peccato, sacrificium autem corporis sui. Duae autem naturae in Christo per duos passeres significatae sunt, quorum unus moritur et alter illius sanguine intinctus liber abit, quia patitur Christus ut homo, non ut Deus, nisi ratione unionis hypostaticae; sic vivus passer mortui sanguine tingitur.

et quid ad eius emundationem requiratur.

Ut vero mundaretur leprosus, necesse erat ut cum hisce passeribus cedrum, hyssopum et coccum offerret, quia necessaria est in Christum fides, spes et caritas ei qui salvari voluerit. Passerem autem super aquas vivas iussit immolari, quia in fide Dei et hominis baptizari necesse est eum qui salvari voluerit; et item ut sanguine illo septies mundandum aspergeret, quia septem Sacramentorum gratia necessaria est ad salutem; sanguine vero hostiae pro delicto inungebat sacerdos extremum auris et dextros pollices manus et pedis, quia et fides, quae per auditum habetur, necessaria est ad salutem, et opera, quia *fides sine operibus mortua est.* [10]

Ad perfectam emundationem peccati requiritur in Christum fides, spes et caritas, gratia Sacramentorum

Adhuc vero mundatus leprosus praecipitur vestimenta lavare et pilos omnes radere, abdicando a se omnia peccata vel operum vel cogitationum.

et omnium peccatorum abdicatio.

Haec erat leprosorum mundatio in Veteri Lege. Haec nunc rite intellecta qui faciat, mundus vere ab omni peccato erit.

III. Sed quonam proposita mysteria dimisimus? Adhuc tamen in proposito remanemus. Est nanque duplex peccatum: alterum quidem originale, alterum vero actuale; primum designatur in Naaman leproso, secundum vero in decem hisce Evangelii leprosis. Qui originale adhuc habet peccatum, infidelis est: sic Naaman infidelis

Duplex est peccatum: originale, in lepra Naaman figuratum,

9) Ms.: *Deum.* 10) Iac 2, 26.

quod per Baptismum deletur,

erat, syrus non hebraeus, gentilis idolatra non fidelis Dei cultor. Peccatum originale per Baptismi sacramentum deletur: ecce Naaman in aquis Iordanis mundatur septies ablutus, quia in Baptismo recipitur gratia, gratia autem septiformis virtutum et donorum Spiritus Sancti. Qui baptizati sunt, fideles Dei facti sunt, in Deum corde credentes et ore Deum confitentes. Sic Naaman baptizatus in Iordane et a lepra mundatus in Deum credidit, unde ait: *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel.* [11]

actuale voluntarium, in lepra decem leprosorum designatum,

At vero per baptismalem gratiam non adeo sanctificamur ut peccare amplius non possimus, nam: *Septies* in die *cadit iustus;* [12] absque fide vero nullus est iustus, quia *iustus . . . in fide sua vivit.* [13] Fides autem non habetur, nisi peccato originali deleto; ergo post peccatum originale datur actuale peccatum; illud naturale est: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea,* [14] istud vero voluntarium, alioquin peccatum non esset. Est autem actuale peccatum legis divinae transgressio; lex autem decem praeceptis constat: et ecce decem leprosi sunt in hodierno hoc Evangelio. [15] Hinc autem patet quod lepra haec actuale peccatum significat, quia hi in Christum credebant, unde Christo occurrentes dixerunt: *Iesu praeceptor, miserere nostri.* [16] Haec autem est fidelium deprecatio et in Christum credentium.

quod per Poenitentiam remittitur.

Sicut autem originale peccatum per Baptismi sacramentum deletur, ita actuale per sacramentum Poenitentiae: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* Deus *ut dimittat nobis* omnia *peccata nostra,* inquit Divus Ioannes. [17] Si ergo attendamus quomodo leprosi isti mundentur, videbimus quomodo nos oporteat a peccatis nostris emundari.

Ad veniam obtinendam requiritur gratia Dei praeveniens,

IV. Id certissimum est, fratres, quod nisi sol auroram praemittat, non venit ad illuminandum sua praesentia tenebras nostras, ita Christus, dum nos in peccatis sumus, non venit ad inhabitandum in cordibus nostris et efficiendum salutis diem, nisi gratiam praevenientem per internas inspirationes praemittat: *Nemo venit ad me,*

11) 4 Rg 5, 15. 12) Prv 24, 16. Vulg.: *Cadet. In die* lect. cod. 13) Hab 2, 4; Rom 1, 17; Gal 3, 11; Hebr 10, 38. 14) Ps 50, 7. 15) Cf. Lc 17, 12. 16) Ibid. vr. 13. 17) 1 Io 1, 9. Vulg.: *Ut remittat,* etc.

inquit Dominus, *nisi Pater qui misit me traxerit eum.*[18] Ecce quia vadens Christus Ierosolymam venit in castellum, ubi leprosi isti erant, fecit ut leprosi occurrerent Christo. Gratiae autem praevenientis hoc munus est, ut infelicem peccati statum ostendat et salutis desiderium moveat. Ita enim leprosi isti ex Christi adventu salutis desiderio moti occurrunt illi et salutem exposcunt.

humilis deprecatio divinae misericordiae, confessio et vera contritio

Summa autem cum humilitate peccatorum venia et misericordia a Deo expetenda est, uti publicanus ille fecit, qui *a longe stans, nolebat nec oculos ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*;[19] ideo et isti stantes *a longe*[20] levant vocem dicentes: *Iesu praeceptor, miserere nostri.* Quia vero Christus discipulis suis sacerdotibus institutis potestatem tradidit dimittendi peccata dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis,*[21] ideo ad sacerdotes mittit ut lepram illis ostendant: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,*[22] quia *plures facti sunt sacerdotes.*[23] At vero quia vera contritio, idest magnus peccatorum dolor cum proposito confitendi, vim habet dimittendi peccata, ecce leprosi isti, dum ad sacerdotes vadunt, mundati sunt.

et satisfactio.

Verum necessaria est ad poenitentiae complementum satisfactio, haec autem praecipue in oratione consistit, qua Deo cultum et religionem pietatis per fidem, spem et caritatem reddimus, acceptae gratiae gratias agentes. Hinc laudat Christus samaritanum hunc, qui mundatus Christi gratia ad gratias Christo agendas reversus est; conqueritur autem de ingratis illis, qui non sunt reversi ad eum de tanto beneficio recognoscendum.[23a]

SECUNDA PARS

Ad purgandam lepram peccati Christus venit in mundum.

V. *Dum iret* Iesus *in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam.*[24] Ibat Christus Ierosolymam ut ibi pro salute nostra crucifixus moreretur, propterea enim in hunc mundum venit: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus... Christus Iesus venit in*

18) Io 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire ad me*, etc. 19) Lc 18, 13. 20) Ibid. 17, 12. 21) Io 20, 22-23. 22) Lc 17, 14. 23) Hebr 7, 23. 23a) Cf. Lc 17, 14-18. 24) Ibid. vr. 11.

hunc mundum peccatores salvos facere. [25] Venit autem non tantum Hebraeos, verum et Gentiles salvare, hinc transit non solum per Galilaeam, quae Hebraeorum regio erat, verum et per Samariam, quae a Gentilibus incolabatur. Iesus autem decem hos leprosos mundat, quia ad purgandam Adae peccati lepram Ierosolymam ibat.

Transitus eius per Samariam significat non multum morandum esse inter malos,

Sed quid, quaeso, est quod transibat per Samariam et non ibi remorabatur? Est veluti sol Christus, qui pertransiens super terram, suo transitu omnes tenebras pellit et mundana omnia purgat et perficit; ita plane Christus *pertransiit benefaciendo et sanando* [26] infirmos; ita enim pertransit Christus Evangelium praedicando et miracula faciendo, ut omnes audientes et videntes crederent et salvarentur. Quod autem transibat et non remorabatur inter Samaritanos, forte docet non multum inter malos morandum esse, sed malorum hominum consuetudinem esse devitandam. Hinc dixerat Christus discipulis: *In viam Gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* [27] Si enim leprosorum consuetudo per legem vitanda est, quanto magis peccatorum, qui Dei sunt inimici, qui Deum contemnunt et diabolum colunt?

sunt enim perniciosissimo pestis contagio infecti.

Hi homines sunt perniciosissima pestis contagione infecti. Loth habitans in Sodomis, paulo minus igne consumptus est; [28] Salomon cum Gentilibus matrimonia contrahens, factus est idololatra; [29] Petrus inter ministros pontificum persequentium Christum negavit; [30] primi parentes nostri si serpentis consuetudinem fugissent, nequaquam in peccatum incidissent: [31] *Qui tangit picem inquinabitur ab ea;* [32] vinum quod aqua miscetur, et vires et colorem amittit: homo qui cum malis conversatur, et virtutibus et bona fama privatur. Cavendum plane magis est a malis hominibus quam a pessimis latronibus, quia hi quidem bona corporis tollunt, illi vero animae bona quibus coelo digna est. Et quis nescit id quod ait Apostolus experientia ipsa quotidiana verissimum esse: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala?* [33] Mali autem homines nonnisi mala loqui consuevere, quia *ex abundantia... cordis os loquitur,* [34]

25) 1 Tim 1, 15. 26) Act 10, 38. 27) Mt 10, 5. 28) Cf. Gn 19, 1-25. 29) Cf. 3 Rg 11, 1-8. 30) Cf. Mt 26, 69-77; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 54-61; Io 18, 25-26. 31) Cf. Gn 3, 1-6. 32) Eccli 13, 1. Vulg.: *Qui tetigerit*, etc. 33) 1 Cor 15, 33. Vulg.: *Corrumpunt mores bonos*, etc. 34) Mt 12, 34.

nec possunt bona loqui cum sint mali. Imitari ergo nos Christum debemus, qui transit per Samariam, nec moratur: nos mundanorum hominum, qui idololatrae potius quam christiani sunt, consuetudinem evitemus.

Ex hodierno Evangelio discendae sunt fides

VI. Sed ecce transeunti Domino occurrunt decem leprosi. Vellem ut ab his fidem et obedientiam nos disceremus. Hi enim fide Christo occurrunt humiliter, unde *a longe* stantes dicunt: *Iesu praeceptor, miserere nostri.* Fidem hi primo habent in Christum, quod Salvator sit mundi, ideo *Iesum*, idest S a l v a t o r e m appellant; secundo quod sit Dominus mundi, ideo *praeceptor, quia . . . ventis et mari imperat et obediunt ei,* [35] quia *imperavit febri et dimisit illam,* [36] quia spiritibus immundis imperabat, [37] quia mortuis praecipiebat et resuscitabat. [38] *Iesu praeceptor, miserere nostri :* propriam agnoscunt miseriam, ideo poscunt misericordiam desiderantes salutem.

et obedientia,

Nec tantum fidem hi in Christum ostendunt, sed et obedientiam, quia protinus ut a Christo audierunt: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,* simpliciter obedierunt voci Christi, nec fecerunt sicut Naaman syrus, qui contra Eliseum indignatus est quod non in propria persona illum curare voluerit. [39] Euntes autem hi mundati sunt, quia quicunque et in Christum credunt et Christo obediunt, misericordiam a Deo consequuntur.

perseverantia in bonis operibus

Sed et aliud observandum hic est: non sufficere tantum bona opera facere, sed perseverantiam summe necessariam esse: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* [40] Lucifer innocens aliquando fuit in coelo, Adam in paradiso, Saul in regno israelitico; sed quia non perseveraverunt in innocentia, damnati sunt, veluti et Iudas in apostolatu. [41] Ideo Christus damnat ex his decem mundatis novem, quia non perseveraverunt.

et gratitudo animi erga Christum.

Item et ex hoc liquido apparere potest quam verum sit quod *multi . . . sunt vocati, pauci vero electi,* [42] multi currunt, *sed unus accipit bravium,* [43] multi cum Moyse ex Aegypto egressi sunt, sed

35) Ibid. 8, 26-27; Lc 8, 25. 36) Lc 4, 39. 37) Cf. Mt 8, 31-32; Mc 1, 25-27; Lc 4, 35-36. 38) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 39) Cf. 4 Rg 5, 10-12. 40) Mt 10, 22. 41) Cf. Mt 27, 5; Act 1, 16-18. 42) Mt 20, 16; 22, 14. 43) 1 Cor 9, 24.

duo tantum, Iosue et Caleb, ex tam magna multitudine in terram promissionis ingressi sunt;[44] ita hic decem mundati sunt, unus vero tantum salvatus et novem damnati. Salvatus vero samaritanus iste fuit ob fidem perseverantem in Christum et ob gratitudinem. Haec habere in Christum necesse est si quis vult salvari a Christo: in Christum nos fide viva credere oportet et de acceptis beneficiis creationis et redemptionis gratias summas agere, quia ingratitudo summopere Christo displicet, uti hic videtur. Sunt autem beneficiis ingrati animalibus multo peiores, unde per Isaiam Deus: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit*, etc.[45]

44) Cf. Nm 14, 30-38; 26, 1 sqq.; 32, 10-13; Dt 1, 34-38. 45) 1, 2-3.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

Docet Christus impossibile esse Deo simul et diabolo servire.

I. Sicut possibile nequaquam est ut sit in uno mundi hemisphaerio simul dies et nox, aestas et hiems, ut animal[1] unum sit simul vivum et mortuum, ut homo uno oculo coelum et altero terram simul aspiciat, ut duo contraria simul in eodem subiecto esse simul possint, ita impossibile omnino est Deo simul et diabolo servire, Christo et mundo, quia servitus Dei gratia est, servitus diaboli peccatum; servitus Dei fides, spes, caritas, sancta et immaculata religio, servitus diaboli perfidia, desperatio, malignitas et carnis spurcitia; servitus Christi est humilitas spiritus, paupertas et vitae continentia, servitus mundi *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae.*[2] Hoc est quod Christus Dominus noster ait hodie in sacrosancto Evangelio: *Nemo potest duobus dominis servire.*[3]

PRIMA PARS

Deo debemus adorationem et amorem.

II. Si voluere Deo servire Hebraei, necessarium omnino fuit egredi ex Aegypto et Pharaonis servitutem durissimam relinquere; cum enim Pharao inimicus esset Dei, impossibile omnino erat posse et Deo et Pharaoni servire. Hoc est quod ait Christus: *Nemo potest duobus dominis servire.* Non potuere simul in eodem templo et altari manere arca Dei Israel et Dagon idolum Philisthinorum.[4] Hoc est primum praeceptum quod Deus in lege dedit: *Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me,*[5] hoc est: *Dominum*

1) Ms.: *Anima.* 2) 1 Io 2, 16. 3) Mt 6, 24. 4) Cf. 1 Rg 5, 2-5.
5) Ex 20, 2-3.

Deum tuum adorabis et illi soli servies,[6] ut Christus diabolo respondit adorationem ab eo exposcenti. *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* sed quomodo? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omni mente tua et ex omnibus viribus tuis.*[7]

Tria praecipue docet S. Scriptura: Deum esse mundi creatorem et gubernatorem et patrem nostrum.

Tria sunt autem quae nobis praecipue et frequentissime praecipiunt, docent, inculcant et credenda omni intellectu proponunt Scripturae Sacrae: primo, quod Deus ipse est mundi Dominus et creator; secundo, quod ipse est rector et gubernator per suam providentiam totius universi; tertio, quod Deus est pater noster, quod nos uti filios diligit et nostri curam et rationem omnem habet uti amantissimus pater filiorum. Universum Testamentum Vetus hoc docet, quod Deus sit mundi universi Dominus ut creator coeli et terrae, unus Deus; Testamentum Novum id praecipue, quod Deus est Pater noster. Hinc docuit nos Christus orare: *Pater noster, qui es in coelis,*[8] ac sic orandum semper praecepit, ut semper id in mente haberemus, quod Deus est Pater noster: *Videte qualem caritatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus.*[9] Divinam autem providentiam rerum omnium probat Testamentum Vetus per opus creationis, Testamentum vero Novum per opus redemptionis. Ob haec tria forte Deus in Scripturis Sacris fere semper dicitur *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob,*[10] qui hebraici populi Patriarchae fuere. Quilibet autem paterfamilias est suae familiae dominus, habet illius curam et illam valde diligit.

Haec tria Christus docet in hodierno Evangelio.

Haec tria videtur Christus in hodierno Evangelio nos docere, vocans Deum *Dominum.* Declarans enim quod dixerat: *Nemo potest duobus dominis servire,* ait: *Non potestis Deo servire et mammonae;*[11] ergo Deus est Dominus cui servire tenemur. Secundo, ostendit Deum habere rerum omnium providentiam, etiam de volatilibus coeli et herbis terrae: *Respicite volatilia coeli, quia non serunt neque metunt neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa... Considerate lilia agri... non laborant neque nent; dico autem vobis quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum*

6) Mt 4, 10. 7) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 8) Mt 6, 9.
9) 1 Io 3, 1. Vulg.: *Dedit nobis Pater.* 10) Ex 3, 6. 15; 4, 5. 11) Mt 6, 24.

ex istis.[12] Tertio, vocat ipsum Deum Patrem nostrum: *Pater vester coelestis pascit illa ; Scit... Pater vester* coelestis *quia his omnibus indigetis.*[13]

Qui haec credunt, Deum vere diligunt.

Qui autem haec rite credunt, hi vere sunt filii Dei, imo dii, quia per amorem in Deum transformati, hi videntes quod *nemo potest duobus dominis servire*, idest Deo et mundo, Deum omnino diligunt et mundum odio habent atque seipsos, ut mori magis eligant quam mundo servire. Hinc tres illi pueri mortem magis elegerunt quam statuam Nabuchodonosor adorarint,[14] scientes quod non vere poterant Deum adorare statuam illam adorantes. Hinc in Ecclesia tot millia Martyrum, quia uti filii dilectissimi Dei Deum super omnia dilexerunt et mundum ac quae in eo sunt propter Deum odio habuerunt. Hinc Iob Dei servus, optimus vir, *simplex ac rectus et timens Deum et recedens a malo*,[15] constantissimus fuit in sua adversitate, quia Dominum Deum cognovit mundi Dominum, mundanorum omnium gubernatorem et suum dilectissimum patrem, unde ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*[16] O nos felices, christiani, et ter quaterque beati, si hanc fidei integritatem in Deum haberemus! Nullam omnino oporteret nos victus atque vestitus curam habere. Hinc Christus nos homines modicae fidei vocat, quia non vere in Deum credimus si nimia sollicitudine haec quaeritamus: *Haec enim omnia*, inquit, *gentes inquirunt*,[17] idest idololatrae qui in Deum non credunt.

SECUNDA PARS

Qui vero Deo servit a Dei providentia non deseritur.

III. *Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.*[18] Filii Israel ut regnum Dei et eius iustitiam quaererent, ex Aegypto egressi, in deserto per annos quadraginta pasti a Deo fuere,[19] absque quod seminarent et meterent aut in horreis congregarent, absque quod curam nullam omnino haberent

12) Ibid. vrr. 26-29. Vulg.: *Quoniam non serunt... quoniam nec Salomon*, etc.
13) Ibid. vr. 32. 14) Cf. Dn 3, 13-23. 15) Iob 1, 1. Vulg.: *Et rectus ac timens*, etc. 16) Ibid. vr. 21. 17) Mt 6, 32. 18) Ibid. vr. 33. 19) Cf. Ex 16, 35.

aut sollicitudinem dicentes: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* [20] Deus eos manna cibavit, Deus aqua suavissima potavit, [21] Deus fecit ut per annos quadraginta eorum nec vestimenta nec calceamenta unquam contererentur, [22] unde Moyses ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* [23] Hinc Moyses ipse bis quadraginta diebus vixit nihil manducans, [24] Elias item quadraginta diebus nihil manducans, iter agens ad sanctum montem Dei Horeb, vixit Dei virtute sustentatus. [25] Hinc rite Vates Regius dicere potuit: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet;* [26] hoc est quod Christus ait: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius,* sicut hebraeus populus ex Aegypto egressus ut Deum coleret, *et haec omnia adiicientur vobis,* quia potens est Deus, nec *erit impossibile apud Deum omne verbum.* [27] Quid sit autem regnum Dei quaerere et iustitiam eius, elucebit si propositam figuram hebraici populi contemplemur; ille enim cum legem Dei accepit, regnum Dei factus est per fidem et religionem; in populo autem illi vere iusti erant qui legem observabant.

20) Mt 6, 31. 21) Cf. Ex 15, 23-25; 17, 1-7; Nm 20, 8-11. 22) Cf. Dt 8, 4.
23) Ibid. vr. 3. Affert ex Mt 4, 4. 24) Cf. Ex 24, 18; 34, 28; Dt 9, 9-18.
25) Cf. 3 Rg 19, 8. 26) Ps 54, 23. Affert ex Missali Rom. Introitus Dom. X post Pent. 27) Lc 1, 37.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis. [1]

I. Duo sunt quae in hodierno Evangelio proponuntur: alterum spectat ad voluntatem, quae regina est in regno animae, alterum ad intellectum, qui est veluti sol in coelo spirituali nostrae mentis; alterum ad caritatem, quae regina et corona virtutum est, alterum ad fidem, quae basis et fundamentum est totius spiritualis aedificii, *est* enim *fides sperandarum substantia rerum*, etc. [2] Hae sunt duo poli mystici mundi, duo magna luminaria coeli, [3] duo cherubim divinae gratiae propitiatorium sustentantes, [4] duae columnae templi Salomonis, *Iachin* firmitas et *Bohaz* potentia, [5] duo Seraphim Deum laudantes apud Isaiam; [6] fides viva et caritas vera, quae duo ipse etiam Legislator una coniunxit: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Deus unus est. Diliges* ergo *Dominum Deum tuum*, etc., [7] ut etiam Marcus habet. [8]

Duo proponuntur hodie: fides et caritas in Deum.

Non est autem animus utrunque prosequi, neque enim opus nobis hic est ut fidem plantemus, sed ut devotionem, amorem, caritatem inseramus, nam quoniam abundavit iniquitas refriguit caritas? [9]

De solo caritatis praecepto nunc agitur.

II. Ostendit Moyses *Deuteronomio* 30 praeceptum hoc non esse impossibile, sed possibile et facile, non supra coelum nec trans

1) Mt 22, 37; Lc 10, 27. 2) Hebr 11, 1. 3) Cf. Gn 1, 16. 4) Cf. 3 Rg 8, 6-7. 4) Cf. ibid. 7, 21. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 6) Cf. 6, 2-3. 7) Dt 6, 4-5. Vulg.: *Dominus unus est*, etc. 8) 12, 29-30. 9) Cf. Mt 24, 12.

Ostendit Christus excellentiam huius praecepti.

mare aut longe positum, sed prope, in ore et in corde.[10] Christus autem in hodierno Evangelio ostendit divini huius praecepti dignitatem et excellentiam dicens: *Hoc est primum et maximum mandatum* in lege.[11] *Primum et maximum*, sicut ignis inter elementa, sicut sol inter luminaria coeli, sicut empyreum inter coelestia corpora; *primum et maximum*, sicut Deus[11*] inter universi substantias et naturas; *primum et maximum* non solum ratione obiecti, quod est summa et infinita bonitas, principium unde coelum et natura dependent, non solum ratione subiecti, quod est voluntas regina potentiarum, non solum ratione habitus excellentissimae caritatis, non solum ratione actus, qui est amor, princeps passionum animi, sed etiam primum dignitate: *Nunc autem manent fides, spes, caritas... maior autem horum est caritas;*[12] caritas regina virtutum, forma etiam et anima: nullum membrum vivit sine anima, nulla virtus sine caritate. Primum origine, quia primus fructus Spiritus Sancti: *Fructus autem Spiritus est caritas;*[13] *Caritas Dei diffusa est... per Spiritum Sanctum;*[14] primum, quia principium et causa aliorum: *In caritate radicati et fundati;*[15] «non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice caritatis»;[16] *Qui diligit me, sermonem meum servabit.*[17] Sic *plenitudo... legis est dilectio,*[18] sic *caritas patiens est, benigna est... non aemulatur*, etc.[19] Primum intentione, quia *finis... praecepti est caritas de corde puro*, etc.;[20] ad hanc lex et Prophetae, ad hanc Evangelium, ad hanc omnes Scripturae, ad hanc omnia sacrificia veteris Legis et Sacramenta Novae, ad hanc demum omnia ordinata sunt virtutum opera. Primum etiam ordine. Est ordo in virtutibus et vitiis, contra opinionem stoicorum qui omnia censebant aequalia.[21] Nam primo praecepto mandatur cultus Dei, colitur autem Deus spiritu et veritate.[22]

Est primum ratione obiecti, subiecti, habitus, actus, dignitatis, originis, intentionis, ordinis;

Nec tantum *primum* dicitur, sed etiam *maximum*, utique maximum perfectione, quia continet perfectiones omnium virtutum, sicut homo, sicut unitas; maximum merito, quia nulla virtus absque

10) Cf. vrr. 11 sqq. 11) Mt 22, 38. Vulg.: *Hoc est maximum et primum mandatum.* 11*) Ms.: *Deum.* 12) 1 Cor 13, 13. 13) Gal 5, 22. 14) Rom 5, 5. 15) Eph 3, 17. 16) S. Gregorius M. *In Evangelia*, hom. 27, (P. L. 76, 1205). 17) Io 14, 23. Vulg.: *Si quis diligit*, etc. 18) Rom 13, 10. 19) 1 Cor 13, 4. 20) 1 Tim 1, 5. 21) Cf. S. Augustinus *Contra Mendacium*, cp. 15, (P. L. 40, 539); Cicero *Orat. pro Murena*, t. 2, col. 489. 22) Cf. Io 4, 23-24.

caritate alicuius est meriti apud Deum: *Si linguis hominum loquar,* etc.; *Si distribuero ... si tradidero ... si habuero omnem fidem,* etc.;[23] maximum praemio: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me;*[24] maximum tandem punitione, si negligatur: *Qui non diligit manet in morte.*[25]

est etiam *maximum* perfectione, merito et praemio.

III. Est autem opus declaratione, ut sciamus et intelligamus quidnam sit *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis.* Multi enim haec non intelligentes existimant divinum hoc praeceptum impossibile; sed: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.*[26] *Diliges Dominum Deum tuum.* Amoris obiectum est bonitas; Deus autem suapte natura est summe bonus, summa et infinita bonitas. Bonum suapte natura amabile est, sed unicuique proprium, hinc ait: *Diliges Dominum Deum tuum. Diliges* יְהוָה,[27] nomen proprium divinae naturae, dictum ab eo quod est, sicut alibi ait: *Ego sum qui sum... hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem.*[28] Est nomen Dei proprium sicut olim apud Gentes nomen Iovis. Dilectionis autem ratio assignatur, quoniam *Deus tuus,* sive *Dii tui,* אֱלֹהֶיךָ,[29] sic dictus est Deus a potentia qua mundum creavit et a providentia qua omnia regit et moderatur. Hinc sunt rationes quae a nobis debitum Deo amorem extorquent.

Deus diligendus est per seipsum.

Non immerito Divinus Legislator cum fide dilectionem coniunxit: *Audi, Israel: Dominus Deus... et diliges Dominum Deum tuum,* quoniam fides basis et fundamentum est caritatis; nisi Deum per fidem cognoscamus, diligere minime possumus.

Basis caritatis fides est.

Diliges... ex toto corde: non est impossibile; nam quod ait: *Ex tota virtute tua,* sive *viribus tuis,* idem est ac quantum potes; qui non exigit a te nisi quantum potes, non exigit impossibile, quod sit supra vires tuas. Quod autem ait: *Ex toto corde tuo,* idem est ac magno cum animi affectu, magno cum ardore, sicut dicimus ali-

Non praecipitur amor intensivus et sensibilis.

23) 1 Cor 13, 1-3. 24) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia his,* etc. 25) 1 Io 3, 14.
26) Ps 118, 130. 27) Ms.: *Iehovah.* 28) Ex 3, 14-15. 29) Dt 6, 4-5. Ex hebraico. Ms.: *Elohecha.*

sed aestimativus, spiritualis et habitualis,

quos totos esse in studiis. Nec tamen intelligendum est quod sensibilem amorem a nobis requirat, cum Deus non sit obiectum sensibile, sed intellectile ac spiritale. Amor autem quem a nobis requirit, aestimationis amor est, qualis est amor bonorum utilium et honorabilium, ut Deum super omnia faciamus maximi; nec amorem perpetuo actualem a nobis requirit, sed habitualem, neque enim homo semper actu cogitat ea etiam quae impense diligit et maximi facit.

ut nunquam Deo displiceamus, sed semper ei morem geramus.

Requirit a nobis Deus quod homo requirit ab uxore, a filiis. Bona autem uxor est quae virum ex animo diligit, non ut adultera; quae viri sui vitam, honorem atque substantiam curat et maxime cavet ne in his virum laedat. Optima vero est uxor quae non tantum ab his cavet sibi, sed etiam data opera, magno studio ac diligentia satagit ut optimi viri genium moresque agnoscat, ut viro nunquam vel in minimis displiceat, sed viro placita semper operetur, viro semper pro viribus morem gerat. Officium bonae uxoris erga virum opus est fidelium quarumcunque animarum quae salutem aeternam exquirunt: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.* [30] Optimae autem uxoris officium ad eos spectat qui ad perfectionis apicem pro virili contendunt Christi vestigia sectantes.

Signum dilectionis Dei est dilectio proximi,

IV. Adiungit autem Dominus praecepto dilectionis divinae praeceptum dilectionis humanae, quoniam haec veluti signum et indicium ac argumentum illius est. Nam I o a n n e s ait: *Qui dicit: quia diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* [31] et item: *Qui... viderit fratrem suum necesse habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* [32] Ex tribus praecipue signis cognoscitur an Deus a nobis vere diligatur: ex odio summo peccati, sicut Ioseph ne peccaret contra Deum multa potius pati voluit; [33] ex patientia in adversis sicut Iob: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non,* etc.? [34] tandem ex cari-

30) Mt 19, 17. 31) 1 Io 4, 20. Vulg.: *Si quis dixerit quoniam... oderit,* etc.
32) Ibid. 3, 17. Sic legitur in veteribus editionibus. Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Necessitatem habere.*
33) Cf. Gn 39, 7-20. 34) Iob 2, 10. Vulg.: *De manu Dei,* etc.

tate in proximum, ex operibus misericordiae, maxime vero ex dilectione inimicorum propter Deum. Unus est caritatis habitus quo Deum et proximum diligimus; qui non habet caritatem in proximum, nec veram in Deum caritatem habere potest, sed tantum fictam, simulatam: non diligit Deum ex toto corde, supernaturali amore, sed naturali, sicut ethnici et quicunque vera fide carent, et tamen Deum credunt et naturali pietate ac religione diligunt et reverentur; sed haec ad salutem non sufficit.

quia unus est caritatis habitus qua Deum et proximum diligimus.

Quod est mandatum magnum, idest primum et maximum omnium, sicut in templo sanctum sanctorum? *Diliges Dominum Deum tuum*. Solum a nobis requirit amorem, quia veluti causa universalis est, sicut in mundo motus primi mobilis, sicut lux solis, sicut rex in regno, sicut imperator in exercitu; haec enim omnia inferiora movent ac secum trahunt, ita amor omnes animi motus. Amor est qui hominem totum vel bonum reddit vel malum, bona vel mala voluntas. Est autem proprius cordi et voluntati amor sicut lux soli, candor nivi, calor igni.

Deus solum a nobis requirit amorem, quia amor est qui animum regit.

V. *Audi, Israel*. Quoniam incognita diligere non possumus, praemittit cognitionem sicut lux solis praecedit calorem. Qui Deum vere cognoscit unicum bonorum omnium fontem, hic aptus est ut Deum vere diligat. *Audi*, inquit, non vide, quoniam hic Deus per fidem cognoscitur, non videtur ut in patria. Sicut homo ex anima et corpore constat, ita verus christianus ex fide et caritate, sicut mundus ex coelo et terra, unumquodque ens naturale philosophis ex materia et forma, metaphysicis ex genere et differentia. *Diliges* יְהוָה,[35] quia solus est bonus, quia solus habet esse, sicut *solus habet immortalitatem*.[36] Isaias de Deo ait quod *omnes gentes... coram eo sic sunt... quasi nihilum et inane*,[37] sicut stellae coram sole a quo omne lumen mutuantur, quare sol illuminat stellas et obscurat: non possunt creaturae comparari Deo, sicut nec punctus apud geometras; lineae unitas comparatur numeris, quia replicata constituit numerum, non sic punctus lineae: infiniti puncti non faciunt vel minimam lineam.

Deus ut summum bonum cognoscendus est ut diligatur.

35) Ms.: *Iehovah.* 36) 1 Tim 6, 16. 37) 40, 17. Vulg.: *Sic sunt coram eo*, etc.

Deus diligendus est tanquam finis, creaturae diligendae sunt tanquam media.

Diliges Dominum, sicut finem, non sicut media, nam finis diligitur absolute et sine limite, media autem propter finem, cum limite; desideratur medela, sed limitata propter sanitatem, sanitas autem perfecta atque perpetua. Sic Deus diligendus est tanquam finis, creaturae autem tanquam media, ut his utamur, Deo autem fruamur.

Diliges Dominum: non inquit: cognosce, time, servi, obedi, concupisce, sed dilige, quoniam amor omnia haec operatur. Licet autem Deus bonum sit summe desiderabile ac concupiscibile, diligendus tamen est sui causa, propter seipsum amore amicitiae, non propter nos ipsos amore concupiscentiae; diligendus est quia Deus est, quia summe bonus, quia summo dignus amore, obsequio ac reverentia est.

Amor hic hominem deificat.

Diliges: mirum plane quod Deus infinitae maiestatis et qui bonorum nostrorum non indiget,[38] amicitiam nostram requirat, a nobis amari velit: *Diliges Dominum Deum tuum.* Sed quia amor ignis instar nos transformat in rem amatam, vult ut diligamus ipsum ut in ipsum transformemur, ut deificemur.

Audi, Israel. Audi, inquit, non vide, non intellige, quoniam *fides ex auditu*,[39] quoniam fide in praesenti cognoscendus nobis est Deus, ut in patria *sicuti est*[40] cognoscere possimus: Cognosco *nunc per speculum in aenigmate... ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.*[41]

38) Cf. Ps 15, 2. 39) Rom 10, 17. 40) 1 Io 3, 2. 41) 1 Cor 13, 12.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN [1]

I. Sicut in arca testamenti tria erant divinitus reposita: lex divina in tabulis, [2] vas mannae [3] et virga Dei, [4] ita in Christo, qui arca est in qua *omnis plenitudo divinitatis*, etc., [5] tria reperiuntur: potentia, sapientia et bonitas divina, quae quidem mirifice in sacrosancto hodierno Evangelio resplendent. [6] Sapientia, quia in domo loquitur Christus et sedens docet credenda, speranda, timenda, diligenda, odio habenda, facienda et fugienda, etc.; misericordiam et bonitatem suam ostendit erga paralyticum, cui vult misereri et gratiam sanitatis exhibere; potentiam, dum unico verbo eum a paralysi curat: Tibi dico: *Surge, tolle*, etc.; et statim, etc. Potentia Christi timenda est, sapientia veneranda ac admiranda, bonitas diligenda. A sapientia Christi discendum nobis est quid agendum, a virtute Christi expostulanda operandi fortitudo, a bonitate caritas in nostris cordibus est excitanda.

Ostendit hoc Evangelium Christi potentiam, sapientiam, bonitatem,

Christus plenus est potentia, sapientia et bonitate; nos christiani fragilitate, ignorantia et malignitate, etc.

In Christo Domino duae sunt naturae: divina et humana, et duae item dignitates: regalis et sacerdotalis; regalis quia Deus, sacerdotalis quia homo. Hinc praefiguratus est in Melchisedech rege et sacerdote. Has duas explicat hodie Christus dicens: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula?* [7] Hoc pertinet ad regalem potestatem cui omnia parent, illud ad sacerdotalem omnia delentem [8] peccata.

dignitatem regalem ac sacerdotalem.

1) Continetur in hoc fragmento nonnisi summarium totius Evangelii. 2) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 8; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 3) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 4) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 5) Col 2, 9. 6) Ms.: *Resplendet.* 7) Mt 9, 1-7. 8) Ms.: *Delens.*

Ut autem sciatis quia Filius hominis habet, etc.[9] Omnia opera sua fecit Christus ut sciamus quia ipse potestatem habet dimittendi peccata et per consequens dandi gratiam atque gloriam. In Evangelio hodierno utraque Christi natura exprimitur: humana, dum navim ascendit, etc., divina, dum miraculum operatur.

HOMILIA[1]

Hodiernum miraculum ostendit divinitatem Christi.

I. Illustre miraculum proponitur hodie, ex quo dignoscitur divinitas Christi sicut causa ab effectu, quemadmodum Paulus ait quod *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque*, etc.,[2] sive *a creatione mundi* ἀπὸ κτίσεως,[3] κτίσις enim graece et creaturam et creationem designat. Sic Christus ex operatione huius miraculi concludit atque demonstrat divinitatem suam: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata... an dicere: Surge et ambula?*[4] Non est Domini sensus quod difficilius sit paralyticum curare quam peccata dimittere, cum ad paralytici curationem multa naturalia iuvare possint, ad illud autem nulla vis naturae pertingat multoque difficilius est peccatorem iustificare quam mortuum suscitare, imo Augustinus ait quam mundum creare;[5] sed sensus est quod aeque difficile videtur solo verbo paralyticum curare et peccata dimittere, cum utrunque solius divinae sit potestatis, nec nisi Deus possit hoc praestare sicut et illud. Hoc autem difficilius a Domino dicitur, quia defectus, si quis esset, facilius deprehendi posset; sicut difficilius dicitur scribere historiam praesentium temporum quam antiquorum et geometra radio astronomico vel scala altimetra vel quadrante facilius mensurat coelestia quam terrestria, quia facilius deprehenditur et arguitur si quis est in mensura error; ita plane in curatione paralytici corporali atque visibili.

Vel etiam difficilius hoc dicit Dominus, quia homines facilius obtinere arbitrantur a Deo spiritualia, puta remissionem peccato-

9) Mt 9, 6.

1) Iterum ponitur inscriptio: « Dominica 18 post Pentecosten », quam omisimus.
2) Rom 1, 20. 3) Ms.: *Apo tu ctiseos*, et immediate: *ctisis*. Cf. Eb. Nestle *Novum Test.*
4) Mt 9, 5. 5) *In Ioannem*, tract. 72, (P. L. 35, 1824).

Propensior Deus est ad spiritualia beneficia conferenda quam ad corporalia.

rum, quam corporalia beneficia, qualis erat paralytici curatio. Et vere multo propensior est Deus ad spiritualia quam ad corporalia praestanda; hinc hodie Dominus prius ad animam paralytici fixit oculos quam ad corpus, prius cogitavit de salute animae quam de corporis sanitate dicens: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.* [6] Sed tamen homines, ut plurimum, animales, sicut ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum quia caro est,* [7] maiora existimare videntur corporalia beneficia quam spiritualia, ideo haec difficiliora arbitrantur; ideo Dominus ait: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata,* etc. *?*

Hodie Dominus medicum agit tum animae tum corporis;

II. Ostenditur autem hodie Dominus coelestis medicus tum animae tum corporis, et sicut peritus medicus in curatione infirmi prius removet morbi causam, ita Dominus, viso paralytico, ait: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua,* ostendens quod mala omnia corporalia, ut plurimum, a peccatis proveniunt et quod nulla noceret adversitas si nulla nobis dominaretur iniquitas. [8] Sic enim ostendit M o y s e s peccati causa invectum esse in mundum omne malorum genus. [9] Remota autem causa, removetur effectus; propterea Dominus hodie prius peccatum removet animamque paralytici curat, deinde corpus perfecta sanitate donat, nam *Dei perfecta sunt opera.* [10] Magnum miraculum, nam *videntes... turbae timuerunt et glorificaverunt Deum,* graece ἐθαυμάσαν, *admiratae sunt,* [11] unde L u c a s habet: *Stupor apprehendit omnes et magnificabant Deum, qui dedit,* etc. [12]

indicat autem causam infirmitatis peccatum esse, sanitatis fidem hominis et virtutem Dei.

Christus hodie ut sapientissimus medicus circa paralyticum hunc prius philosophatur et postea operatur. Philosophatur ostendens causam morbi; quare nos quoque hic multa possumus philosophari, sed praecipue duo, sicut in duplici statu proponitur nobis hic homo: prius de causa infirmitatis, postea de causa sanitatis. Causam infirmitatis statuit peccatum, sanitatis vero duplicem causam assignat: alteram humanam: *Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico:*

6) Mt 9, 2. Vulg.: *Remittuntur,* etc. 7) Gn 6, 3. 8) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 57). 9) Cf. Gn 3, 6 sqq. 10) Dt 32, 4.
11) Mt 9, 8. Ms.: *Thaumasan.* Sed haec est lect. cod., nam iuxta Eb. Nestle *Novum Test.,* legendum est: Ἐφοβήθησαν. 12) 5, 26.

Confide, fili; [13] alteram divinam, Christi videlicet virtutem omnipotentem, qua et animas et corpora curare potest: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* [14]

Iustorum merita apud Deum peccatoribus prosunt.

Quoad causam humanam clare cernitur quod iustorum merita apud Deum prosunt iniustis, sicut ait: *Generatio rectorum,* idest *aetas, benedicetur,* [15] saeculum iustorum divinis beneficiis cumulabitur. Centurio impetravit sanitatem servo, [16] chananaea filiae, [17] archisynagogus defunctae filiae vitam. [18] Licet autem Sancti non possint peccatoribus salutem promereri, possunt tamen divina beneficia impetrare; sic fideles geruli salutem paralytico sua fide impetrarunt, nam fides est principium impetrandi sicut caritas principium est merendi.

Indicat etiam ordinem quaerendae salutis.

Dimittuntur tibi peccata tua. Ostendit Dominus ordinem quo salus nobis quaerenda est, ut prius quaeramus salutem animae, postea corporis, sicut alibi ait: *Quaerite ... primum regnum Dei et iustitiam eius,* etc. [19] Agit autem Dominus in hodierno Evangelio multa de cura animae per remissionem peccatorum: *Ut ... sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.*

Elucet hodie utilitas infirmitatum.

Elucet etiam hodie quam utiles saepe sint corporales infirmitates. Nam paralysis homini huic extitit causa salutis et dum corporalem temporalemque salutem quaereret, invenit spiritualem et aeternam; sicut de languido in piscina curato Dominus ait: *Totum hominem sanum feci in sabbato,* [20] ita plane de hoc dici potest; propterea Dominus prius ait: *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

In hoc miraculo resplendet super omnia Christi potentia

III. Illustre miraculum, in quo resplendet infinita bonitas et caritas vere paterna Christi erga hominem, unde ait: *Confide, fili;* infinita etiam misericordia: *Dimittuntur tibi peccata tua;* sapientia Christi, qua philosophatur et a curatione corporali concludit spiritualem: *Ut ... sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra,* etc. Sed specialiter Christi potentia commendatur: *Videntes ... turbae timuerunt, miratae sunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus,* idest potestatem universalem super ani-

13) Mt 9, 2. 14) Ps 102, 3. 15) Ps 111, 2. 16) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 1-10. 17) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 24-30. 18) Cf. Mt 9, 23-25; Mc 5, 35 sqq.; Lc 8, 40 sqq. 19) Mt 6, 33. 20) Io 7, 23.

mas et corpora, de qua Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,*[21] idest super omnia coelestia atque terrena.

Resplendet quidem hic sapientia Christi qua cognoscit causam morbi; *Dimittuntur tibi peccata,* qua videt internas cordium cogitationes scribarum et Pharisaeorum: Videns autem Dominus *cogitationes eorum,*[22] et in argumentatione qua usus est ad eos convincendos. Sed singulariter splendet Christi omnipotentia, ostendit enim se potestatem habere aequalem Deo; si enim nemo *potest dimittere peccata, nisi solus Deus,*[23] dum probat se posse dimittere peccata, ostendit se verum Deum omnipotentem esse. **et divinitas.**

Glorificaverunt Deum qui dedit potestatem, etc. Saepe in sacro Evangelio mirati sunt homines sapientiam Christi, at vero saepius potentiam: *Qualis est hic ?*[24] Communicavit autem Christus potentiam divinitatis humanitati, sicut anima vires suas corpori et sicut caput influit membris; ita Christus dedit potestatem Apostolis dimittendi peccata: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata,* etc.[25] **humanitati etiam communicata.**

Christi potentia dividitur in duo capita: super corpora et super animas, sicut ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo,* etc.; *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem... ait paralytico;* sicut Deus omnia creavit, corporalia et spiritualia, ita omnem potestatem dedit Christo ad sananda corpora et sanctificandas animas. Magna potestas Christi super corpora in sanitatum curatione, maior super animas in peccatorum remissione, quoniam haec includit potestatem contra daemones itemque potestatem dandi Spiritum Sanctum. **Christi potestas est super corpora et super animas.**

IV. In duplici statu proponitur nobis homo iste hodie: prius quidem in statu infirmitatis incurabilis, postea in statu sanitatis per Christum. Nec dubium quod sicut sanitas corporis designat mystice sanctitatem in anima, ita corporalis paralysis, sive apoplexia, morbum aliquem designat in anima. Quod autem ad corporalem paralysim spectat, dissolutio nervorum est et membrorum stupor. Sciunt naturales et tradunt quod in hominis generatione tres partes **Sicut sanitas corporis designat sanctitatem animae, sic paralysis corporalis designat morbum spiritualem.**

21) Mt 28, 18. 22) Ibid. 9, 4. 23) Lc 5, 21. 24) Mt 8, 27. 25) Io 20, 22-23.

in primis generantur: caput, cor et hepar,[26] quae sunt veluti tria principia et tres bases totius aedificii. Nam hepar generat sanguinem et ab ipso oriuntur venae et sanguiductus per totum corpus cum spiritibus naturalibus; cor principium caloris est et spirituum vitalium, unde oriuntur arteriae cum arteriali sanguine multo puriori; caput veluti universitas est spirituum animalium et principium nervorum, per quos totum corpus compaginatur atque movetur. Si autem noxio aliquo humore meatus nervorum obstruantur, per quos spiritus animales per totum corpus diffunduntur, hinc oritur paralysis.

Statuitur comparatio inter paralysim corporalem et spiritualem;

Sic est etiam spiritualis paralysia; nam in interiori homine caput est superior animae portio, quam dicunt theologi, ubi mens Dei capax per cognitionem, meditationem et amorem. Haec mens veluti universitas spirituum est coelestium ac divinorum, virtutum scilicet theologicarum quae in mente asservantur. Hinc ad inferiores animae partes per nervos rationalium potentiarum descendunt spiritus sanctarum virtutum, cum mens instructa fuerit viva fide, firma spe, ardenti caritate, vera Dei cognitione vivoque amore. Hinc, inquam, in homine vitae puritas, nam coelestes hae virtutes per rationales potentias spiritualem vitam in homine alunt, sustentant atque perficiunt. At vero ubi nervi hi plus aequo imbuti sunt atque obstructi noxio humore carnalium affectionum et cogitationum, hinc oritur spiritualis paralysis, hinc in spiritualibus exercitiis mira quaedam stupiditas et insensibilitas, hinc ad bene operandum impotentia. Eo enim eveniunt homines ut impossibile eis videatur virtute vitam moderari et iuxta praescriptum divinarum legum vitam ducere. Sic iacet infelix spiritus instar paralytici in lecto carnis: a carne regitur, non ipse regit carnem.

Curans autem Dominus iussu divinitatis suae paralyticum ait: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.*[27] Praebet ei integram sanitatem et validas vires ad mox surgendum a lecto lectumque tollendum in humeros et ambulandum. Per Christi gratiam eri-

26) Cf. Aristot. *De Partibus Animalium*, lib. 3, cp. 4, t. 1, pag. 615; *De Generatione Animalium*, lib. 2, cp. 6, ibid. pag. 662; Galenus *In Libros Hippocratis*, *De Fetuum Formatione*, cp. 4, t. 1, f. 139. 27) Mt 9, 6; Lc 5, 24.

gitur animus ad coelestia, virtute regit corpus et ambulat per viam mandatorum Dei proficiens de virtute in virtutem, tendens ad culmen perfectionis.

Est paralysis corporalis tum universalis totius corporis, tum particularis membrorum: paralysis manuum, pedum, aliquando etiam linguae, quae usum linguae impedit; sic etiam paralysis spiritualis est manus, linguae et pedum, affectuum cordis.

utraque duplex est; partialis et generalis.

Transit Dominus a paralysi corporali ad spiritualem dum ait: *Confide, fili, remittuntur tibi*, etc., et incipit a cura spirituali ad corporalem. Ita agendum nobis est.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

Duo hodie de Deo ostenduntur; bonitas et iustitia.

I. Sanctae Divinaeque Scripturae saepe saepius referunt Deum Optimum Maximum sanctis apparuisse Patriarchis atque Prophetis in humana effigie; [1] nec tantum in figura hominis, sed regis; sic visus est Isaiae, [2] Michaeae, [3] Ezechieli [4] et aliis; hinc sacrum hodiernum Evangelium inquit: *Simile factum est regnum coelorum homini regi.* [5] In homine reperitur vis concupiscibilis et irascibilis: illa appetit bonum, hac contra malum insurgit. Regem decet clementia in bonos et ira atque vindicta in homines scelestes; hinc in Scripturis Divinis legimus cherubinos, principum simulacra, habentes faciem hominis et faciem leonis, etc. [6] Sic duo haec de Optimo Maximo Deo in sacrosancto hodierno Evangelio exprimuntur: clementia atque bonitas, dum faciens filio suo nuptias, mittit *servos suos vocare invitatos;* [7] ira atque vindicta ex zelo iustitiae, dum *missis exercitibus... perdidit homicidas... et civitates eorum succendit.* [8] Ex intuitu divinae bonitatis in nobis oritur spes et confidentia, ex intuitu vero iustitiae timor et reverentia, quae quidem sunt duae rotae molares, etc.

Deus rex noster est,

II. *Simile... est regnum coelorum,* etc. Sicut Assuerus magnum fecit convivium *ut ostenderet divitias* et gloriam *regni sui,* [9] ita et Deus. Rex est Deus, ergo debet, et uti debet, ita vult cognosci et re-

1) Cf. Gn 18, 1-2; 19, 1-22; 20, 2. 15; 28, 13; 35, 1. 9; Ex 24, 9; 33, 1; Ios 1, 1-9; 3, 7; Idc 6, 12-21; 13, 3-23; 2 Rg 7, 4-16; 3 Rg 3, 5; 9, 2; 1 Par 17, 12; 2 Par 1, 7; 22, 8; Ier 4, 18; Dn 9, 21-22; 10, 11; 12, 4. 2) Cf. Is 6, 1. 3) Cf. 3 Rg 22, 19. 4) Cf. Ez 10, 1 sqq. 5) Mt 22, 2. 6) Cf. Ez 41, 18-19. 7) Mt 22, 3. 8) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Civitatem illorum succendit.* 9) Est 1, 1-4.

cognosci: cognosci per observantiam divinarum legum, recognosci vero per tributa et census sacrificiorum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, etc.;[10] *Fili mi, praebe mihi cor tuum.*[11]

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?[12] Vestis Sanctorum est vestis byssina, *byssinum* vero *iustificationes sanctorum sunt.*[13] *Ille autem obmutuit,*[14] nullam attulit excusationem, neque enim potuit. Omnis enim qui se excusat, vel se excusat de impotentia, vel de ignorantia, de malitia nanque nemo excusare se potest. Nemo est autem qui excusare se possit de impotentia, quod Deum non possit diligere et mandata eius servare tanquam impossibilia, quia *mandata eius gravia non sunt;*[15] neque de ignorantia, quis enim nescit quod semper est bene agendum et nunquam male? quod Deus est toto corde diligendus, etc.? Sic nullam excusationem afferre poterimus in die iudicii vel impotentiae vel ignorantiae, omnis enim qui ab aliqua actione desistit, vel est quia non potest, vel quia nescit, vel quia non vult, etc.

et mandata eius possibilia sunt.

III. *Multi . . . sunt vocati, pauci vero electi.*[16] Mirabile dictu est quomodo ex hac parabola Christus hanc inferat conclusionem, cum unus tantum reprobatus eiectusque a nuptiis sit, multi vero electi, cum nuptiae plenae essent discumbentibus.[17] At vero sapientissime Christus ex hoc facto damnationis istius infelicis hanc elicit conclusionem. Siquidem damnatus hic est ob unum tantum delictum, et hoc quidem non fuit peccatum commissionis, nihil enim hic mali faciebat in nuptiis, sed peccatum omissionis, quia vestem, idest caritatis divinae habitum non habebat. Ex hoc infert Christus quod *multi sunt vocati*, multi sunt qui fidem Dei habent, *sed pauci electi*, pauci qui salvantur, quia salvari non potest nisi is qui habet vestem nuptialem, habitum divinae caritatis. Et hoc est quod virgines fatuae oleum in vasis non habentes damnantur,[18] quod *omnis arbor quae non facit fructum bonum*, etc.;[19] hoc est quod epulo, cuius aliud malum non legimus nisi quod in pauperem pius non erat, *mortuus est . . . et sepultus . . . in inferno;*[20] hoc tandem quod Chri-

Ad salutem sola fides non sufficit, sed requiritur habitus caritatis.

10) Ps 50, 19. 11) Prv 23, 26 Vulg.: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* 12) Mt 22, 12. 13) Apc 19, 8. Vulg.: *Sunt sanctorum.* 14) Mt 22, 12. 15) 1 Io 5, 3. 16) Mt 22, 14. 17) Cf. ibid. vr. 10. 18) Cf. ibid. 25, 1-23. 19) Ibid. 19, 7. 20) Cf. Lc 16, 19 sqq.

stus iudex reprobis dicet: *Ite, maledicti . . . esurivi enim et non dedistis mihi*, etc.[21] Hinc ergo, hinc scimus quod *multi . . . sunt vocati, sed pauci electi*, pauci qui salvantur, quia paucissimi sunt qui ex caritate declinant a malo et faciunt bonum.[22]

II. ALIA HOMILIA[1]

Multa mysteria continet mirabilis haec parabola.

I. Habemus in hodierno Evangelio nuptiale convivium, sed regium, factum a rege in nuptiis filii sui.[2] Rex autem hoc loco procul dubio designat Deum, filius regis Christum, sponsa Ecclesiam, de qua ait Angelus Ioanni: *Veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni;*[3] *Vidi civitatem sanctam Ierusalem . . . tanquam sponsam ornatam viro suo.*[4] Videndum autem est quid nuptiale hoc regiumque convivium designat et quid nuptialis vestis, quae necessario requiritur. Mirabilis plane parabola, in qua agitur de magnitudine divinae maiestatis: *Simile . . . est regnum coelorum homini regi;*[5] de matrimonio inter Christum et Ecclesiam: *Qui fecit nuptias filio suo,*[6] iuxta illud: *Sacramentum hoc magnum est . . . dico autem in Christo et . . . Ecclesia;*[7] de mysterio vocationis: *Misit servos suos vocare invitatos;*[8] de mysterio electionis: *Multi . . . sunt vocati, pauci vero electi;*[9] de operibus misericordiae et iustitiae Dei et, ut summatim dicam, videtur mihi haec parabola liber signatus septem sigillis,[10] aut aureum candelabrum,[11] sicut est Divina Scriptura quae de septem agit in summa: de Deo, de Christo, de mundo, de Ecclesia Christi, de synagoga, de gloria paradisi et de poena inferni. Et in quolibet istorum septem considerantur: in Deo septem attributa; in mundo septem genera rerum: elementa, coeli, Angeli, mixta inanima, etc.; item de mundo septem: creatio, dispositio, ornatus, providentia, conservatio, finis mundi et tandem

21) Mt 25, 41-42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 22) Cf. Ps 36, 27; 1 Petr 3, 11.

1) Iterum ponitur inscriptio: « Dominica 19 post Pentecosten », quam nos omisimus. 2) Cf. Mt 22, 1-14. In margine haec adiecta fuerunt « Multa lumina splendent in coelo, specialiter septem planetarum; ita in hodierno Evangelio ». 3) Apc 21, 9. 4) Ibid. vr. 2. Vulg.: *Sanctam civitatem, . . sicut sponsam*, etc. 5) Mt 22, 1. 6) Ibid. 7) Eph 5, 32. Vulg.: *Autem dico*, etc. 8) Mt 22, 3. 9) Ibid. vr. 14. 10) Cf. Apc 5, 1. 11) Cf. Ex 25, 31-39.

renovatio; in Christo septem mysteria: incarnatio, nativitas, vita, mors, resurrectio, ascensio et finale iudicium; in Ecclesia septem Sacramenta, virtutes, dona Spiritus; in synagoga satanae septem capitalia vitia, in paradiso septem dotes gloriae, in inferno septem poenae oppositae.

In hodierno autem Evangelio septem sunt singularia mysteria: primum de magnitudine Dei, de Deo rege, secundum de Christo sponso, tertium de nuptiali convivio, quartum de reprobatione synagogae Iudaeorum, quintum de vocatione Ecclesiae Gentium, sextum de finali iudicio: *Intravit . . . rex ut videret discumbentes;* [12] septimum de damnatione peccatoris et salute iustorum, quoniam *multi . . . sunt vocati, pauci vero electi.* **sed praecipue septem.**

II. Sed singulariter videndum nobis est quidnam significat hoc nuptiale convivium, opiparum et vere in Apolline: [13] *Tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata : venite ad nuptias.* [14] Designat plane gratiam Novi Testamenti et delicias spirituales Evangelii Christi, ad quas per Ioannem et per Apostolos invitati atque vocati fuerunt Iudaei. Nec tantum abundantiam gratiae, verum etiam aeternae beatitudinis gloriam, sicut per oppositum Dominus docuit dum ait quod, inventus sine veste nuptiali, missus fuit *in tenebras exteriores*, ubi *erit fletus et stridor dentium.* [15] Divus Hilarius capite 22 *in Matthaeum* interpretatur convivium hoc de aeterna beatitudine, [16] de qua Regius Vates ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua ;* [17] de qua item ille in Evangelio dixit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei ;* [18] et Dominus: *Ego dispono vobis . . . regnum ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo ;* [19] et alibi: *Beatus ille servus quem, cum venerit dominus . . . invenerit vigilantem*, etc.; [20] et in *Apocalypsi : Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* [21] **Per hoc nuptiale convivium alii interpretantur gratiam Novi Testamenti et beatitudinem aeternam;**

Origenes autem tractatu 20 *in Matthaeum* [22] et Euthymius [23] abundantiam gratiae et divinorum charismatum affluentiam **alii abundantiam divinorum charismatum;**

12) Mt 22, 11. 13) Idest splendidissimum. De hoc dicto cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, liber 12, cp. 18, col. 557. 14) Mt 22, 4. 15) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Ibi erit*, etc. 16) P. L. 9, 1042. 17) Ps 16, 15. 18) Lc 14, 15. 19) Ibid. 22, 29-30. 20) Mt 24, 46. Vulg.: *Sic facientem.* 21) 19, 9. 22) P. G. 13, 1525-1543. 23) *Comment. in Matthaeum*, ibid. 129, 570.

intelligunt, sicut Paulus Evangelii praedicationem *cibum* appellavit: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi,* [24] et: *Facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo,* [25] perfectorum enim est solidus cibus; de quo etiam Amos propheta ait: Erit fames, non panis, sed verbi Dei. [26]

utraque expositio vera est.

Utraque expositio vera est, quoniam cum de nuptiali convivio agatur, nuptiae inter Christum et Ecclesiam celebratae sunt tum in praesenti saeculo tum in futuro, quoniam sponsus Christus est tum Ecclesiae militantis in terra tum triumphantis in coelo. Hic veluti sponsalia inter Christum et Ecclesiam celebrata sunt; in coelo autem matrimonium consummatur, cum Christus in domum suam et in suum cubiculum Ecclesiam introducit ut eius perpetuo fruatur amplexibus. Et quidem de his nuptiis in *Apocalypsi* dicitur: *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt,* et: *Veni et ostendam tibi sponsam uxorem Agni.*

nam duplex est beatitudo: in futuro et in praesenti;

Sicut autem in Sacris Litteris, dum vitam aeternam aut beatitudinem legimus, non semper coelestis gloria [intelligitur], sed aliquando vita gratiae, quae est veluti inchoata beatitudo per Divini Spiritus consolationes, ita hic per convivium intelligitur electorum Dei duplex felicitas et beatitudo: altera quidem in futuro saeculo, altera vero in praesenti, sicut legimus paradisum coelestem et paradisum terrestrem.

ergo dum ad gratiam vocamur, ad paradisum vocamur.

Quare dum ad gratiam Christi vocamur, ad convivium vocamur, ad paradisum vocamur: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris.* [27] Hoc designat manna in deserto, [28] hoc mensa panum [29] et vas mannae in sanctuario Domini; [30] hoc est quod Isaias ait: *Ducam eos in montem sanctum meum et laetificabo in domo orationis meae;* [31] hoc est quod Regius Vates: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [32] et item: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;* [33] hoc quod Petrus in transfiguratione Domini, cum ait: *Domine, bonum est nos hic esse,* [34] quoniam

24) 1 Cor 3, 1-2. 25) Hebr 5, 12. Vulg.: *Opus sit,* etc. 26) Cf. 8, 11. 27) Mt 11, 28-29. 28) Cf. Ex 16, 14-15. 29) Cf. ibid. 25, 23; 40, 20-21. 30) Cf. ibid. 16, 33-34; Hebr 9, 4. 31) 56, 7. Vulg.: *Adducam eos,* etc. 32) Ps 30, 20. 33) 33, 9. 34) Mt 17, 4.

in vertice montis excelsi paradisum invenit. De hoc per I s a i a m Dominus ait: *Servi mei comedent et vos esurietis . . . servi mei bibent et vos sitietis . . . servi mei laetabuntur et vos confundemini.* [35]

Per convivium regium et nuptiale designatur magnitudo huius beatitudinis.

Quam magna sit autem servorum Dei consolatio, qua divinitus per Spiritum Sanctum perfunduntur, per convivium designatur non qualecunque, sed regium, nec in quali occasione, sed in nuptiis celebratum, in nuptiis autem unici filii, huiuscemodi namque convivia solent esse omni deliciarum genere refertissima. Et tamen cum rex misit servos suos vocare invitatos, quod apud homines summi favoris loco ducitur, sicut Aman gloriabatur se invitatum a regina Esther, [36] *nolebant venire ;* [37] iterum autem vocati, *neglexerunt et abierunt alius in villam suam et alius ad negotiationem suam*, alii servos *contumeliis affectos occiderunt,* [38] pro bonis mala reddentes, nam invitare ad nuptias indicium est amicitiae, amoris et benevolentiae. Merito igitur, cum audisset rex, *iratus est et missis exercitibus . . . perdidit homicidas illos.* [39]

Septem significantur hodierno convivio.

III. Videtur hodierni Evangelii parabola veluti opiparum regiumque convivium multis ferculis refertum, sed praecipue septem, sicut Christus septem panibus famelicas turbas satiavit. [40] Primus panis Dei bonitas et potentia. Panis Deus est: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Homo dicitur, quoniam *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei ;* [41] rex autem, quia potens: *Magnus Dominus . . . et magna virtus eius ;* [42] *Rex magnus super omnes deos.* [43] Secundus panis et cibus Christus sponsus, suavis cibus, quod Christus diligit Ecclesiam sicut sponsus sponsam, et sicut sponsi et sponsae communia sunt bona, ita Christi et Ecclesiae, et sicut quicquid acquirit sponsus sive per hereditatem sive per industriam sive in bello, terra marique, cedit in bonum sponsae, quae in domo mansit absque labore, ita omnia bona quae Christus acquisivit, in bonum cesserunt Ecclesiae. Tertius panis abundantia divinorum charismatum in Novo Testamento, maxime ob Sacra-

35) 65, 13-14. 36) Cf. Est 5, 3-5. 37) Mt 22, 3. 38) Ibid. vrr. 5-6. Vulg.: *Alius vero*, etc. 39) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Rex autem cum audisset*, etc. 40) Cf. Mt 15, 34-37; Mc 8, 5-8. 41) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 42) Ps 146, 5. 43) Ps 94, 3.

mentum Altaris, de qua gratiarum Dei affluentia Paulus[44] post Isaiam[45] ait: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se.* Quartus panis dignitas hominis apud Deum, qui cum Rex sit Optimus Maximus, ad convivium suum homines invitare dignatur semel et iterum.

Triplex convivium nobis a Deo paratum est.

Triplex convivium paratum est nobis a Deo: unum in mundo ex bonis naturae, alterum in Ecclesia ex bonis gratiae, tertium in paradiso ex bonis gloriae. In primo convivio pascitur totus homo intrinsecus et extrinsecus; pascuntur omnes potentiae animae et omnes sensus corporis: intellectus scientiis, artibus atque doctrinis variis; voluntas bonis desiderabilibus, honestis, utilibus, delectabilibus; visus coloribus, auditus sonis, odoratus odoribus, gustus saporibus, tactus multis deliciis; convivium mille epulis refertissimum splendidissimumque. Sed quanto coelum praestat terrae, sol lunae, anima corpori, tanto convivium spirituale gratiae praestat convivio naturae.

Agitur etiam hodie de misericordia et iustitia Dei, de iudicio particulari et universali.

IV. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ?*[46] Agitur in hodierno Evangelio de operibus tum misericordiae tum iustitiae divinae, specialiter de duplici iudicio Dei: altero quidem particulari contra Iudaeos ob incredulitatem, perfidiam et impietatem: *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas,* etc.; alterum universale, nam cum impletae essent nuptiae discumbentium, *intravit . . . rex ut videret discumbentes,*[47] ubi designatur adventus ad iudicium. Et licet paradoxum hic videatur, nam prius Christus dicit unum tantum eiectum qui repertus fuit sine veste nuptiali, postea tamen intulit: *Multi . . . sunt vocati, pauci vero electi,*[48] idest in die iudicii pauci admodum salvabuntur: quomodo, si unus tantum damnatur, pauci salvantur? Sed in uno intelliguntur omnes similes et ut sciremus quod in infinita hominum multitudine oculos divinae maiestatis nec unus quidem homo latere potest, sicut nec hoedus inter innumeras oves, quin a pastore cognoscatur. Quisquis igitur sine veste nuptiali invenietur in die iudicii, procul dubio damnabitur.

44) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Oculus non vidit... ascendit... iis qui diligunt illum.*
45) Cf. 64, 4. 46) Mt 22, 12. 47) Ibid. vrr. 10-11. 48) Ibid. vr. 14.

Vestis nuptialis significat caritatem et sanctitatem vitae,

Sed quidnam vestis nuptialis? Haeretici dicunt fidem esse, sed falluntur,[49] nam Paulus ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, etc.,[50] nam: *Fides sine operibus mortua est,*[51] sicut corpus sine anima. In Sacris autem Litteris vestis animae aliquando dicitur Spiritus Sanctus; sic Christus Apostolis ait: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto;*[52] aliquando Christus ipse: *Quicunque... in Christo baptizati estis, Christum induistis;*[53] *Expoliantes vos veterem hominem,*[54] *induite novum... qui secundum Deum creatus est*, etc.;[55] aliquando iustitia legalis, virtus: *Sacerdotes tui induant iustitiam,*[56] et Isaias: *Induit me* Dominus *vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me;*[57] sic Ioannes in *Apocalypsi* vidit Sanctos indutos byssino albo et candenti,[58] *byssinum* autem *iustificationes sanctorum sunt.*[59] Sanctitas vitae vestis est nuptialis, vera caritas: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris.*[60] Quisquis sine hac veste caritatis et gratiae Dei invenietur, eiicietur *in tenebras exteriores*, ubi *erit fletus et stridor dentium.* Propterea concludit: *Quia multi sunt vocati, pauci vero electi,* quoniam multi fidem habent, non autem opera et caritatem.

nam sola fides non sufficit ad salutem.

Quisquis autem cum sola fide reperietur, nihilo melior infideli erit in die iudicii. Nam sicut Paulus de circumcisione ait, ita nunc dicendum est de Baptismo, qui circumcisioni successit: *Circumcisio*, inquit, *prodest si legem observes, si autem praevaricator sis legis, circumcisio tua facta est praeputium,*[61] idest tanquam incircumcisus infidelis a Deo reputaris. Ita nunc de Baptismo censendum est: prodest nobis si Evangelio servemus, nam ait: *Baptizantes eos... docentes... servare omnia quaecunque mandavi vobis.*[62]

Multi in finali poenitentia cum latrone[63] praesidium statuunt, quasi certissime cum optima dispositione et integritate mentis ac

49) Cf. Phil. Melanthon *Enarrat. in Evang. Matthaei*, part. 3, cp. 22, pag. 529; Io. Maldonatus *Comment. in Quattuor Evangelistas*, cp. 22, t. 1. col. 512-513; Corn. a Lapide *Comment. in Evang. Matthaei*, h. l. 50) 1 Cor 13, 2. 51) Iac 2, 26. 52) Lc 24, 49. Vulg.: *Quoadusque induamini*, etc. 53) Gal 3, 27. 54) Col 3, 9. 55) Eph 4, 24. 56) Ps 131, 9. Vulg.: *Induantur iustitiam.* 57) 61, 10. 58) Cf. 19, 14. 59) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Sunt sanctorum.* 60) Ibid. 3, 18. 61) Rom 2, 25. Vulg.: *Praevaricator legis sis... praeputium facta est.* 62) Mt 28, 19 sq. 63) Cf. Lc 23, 40-43.

Stulte agunt qui poenitentiam ad horam mortis procrastinant,

sensuum morituri sint,[64] cum tamen verum sit quod Paulus ait quod ignorans ignorabitur.[65] Qui Deum ignorare voluit in vita, a Deo ignoratur in morte: *Amen dico vobis, nescio vos*,[66] et iudicium Dei requirit, ut Divus Augustinus ait, ut qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur sui.[67]

non enim poterunt novam vitam incipere cum spatium vivendi non suppetit.

Bone Deus, quam praeposterum hominum mundanorum iudicium, qui omne praesidium salutis suae in finali poenitentia, in ipsa mortis hora statuerunt! Nam cum poenitentia vitae renovatio sit, tunc volunt novam vitam incipere, cum spatium vivendi non suppetit, et si longiora vitae spatia haberet homo in iniquitate et vitiis mundi et carnis enutritus, diutius in via iniquitatis persisteret. Multi in Sacramentis spem omnem suam reposuerunt, sed an non verum est quod qui abutitur privilegio indignus est privilegio?[68] Qui per totum vitae decursum abusus est Sacramentis, quomodo in mortis articulo his bene usurus est? Qui post Sacramenta egerunt ut canis rursus ad vomitum, etc.[69]

Duplex est porta inferni: infidelitas et fides mortua.

Ostendit Dominus duplicem esse viam et portam inferni: alteram quidem infidelitatem, per quam ingressi sunt illi qui invitati ad nuptias venire noluerunt, alteram vero mortuae fidei sine caritate et vitae sanctitate, per quam homo inventus [est] sine veste nuptiali; per illam infideles [designantur], per hanc mali fideles, qui in divino iudicio censentur infidelibus deteriores, nam servus qui cognovit, etc.[70]

64) Ms.: *Sunt.* 65) Cf. 1 Cor 14, 38. 66) Mt 25, 12. 67) Serm. 220, (P. L. 39, 2153); Serm. 257, ibid. col. 2221. 68) Axioma iuridicum ex Simplicio Papa Epist. 2, (P. L. 58, 36); Reiffenstuel *Ius Canonicum Universum*, t. 4, lib. 5, tit. 33, § 7, pag. 297. 69) Cf. Prv 26, 11; 2 Petr 2, 22. 70) Cf. Lc 12, 47.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, etc. [1]

I. Illustre miraculum a Christo patratum describitur a Ioanne ad instantiam reguli in persona filii in Capharnaum, Galilaeae metropoli, divino plane modo operatum, simile illi quod Eliseus ad aquas Iordanis absens corpore et praesens spiritu operatus fuit in persona Naaman syri, principis illustrissimi, quo et corpus mundavit a lepra et animam ab infidelitate,[2] ita ut salutem corpori et animae, carni et spiritui attulerit. Accessit Naaman imperfecta fide ad Eliseum, existimabat se honorifice excipiendum et nonnisi viro Dei praesente curari posse a lepra sua; sic et regulus hodie. Magnum miraculum refert hodiernum Evangelium,

Est autem hodiernum Evangelium multis refertum mysteriis. Hic ostenditur fides multos habere gradus. Nam imperfecta fide regulus ad Christum accessit, postea perfectius credidit cum dicitur: *Credidit homo sermoni;*[3] tertio perfectam fidem assecutus fuit: *Credidit ipse et domus eius tota.*[4] Hic miraculorum efficacia ad fidem et incredulitatem convincendam: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,*[5] licet aliquando ex hominum perversitate non sortiantur finem hunc, ut patet in Pharaone et Aegyptiis, in scribis et Pharisaeis populoque Iudaeorum. Ostenditur etiam quantae sit apud Deum efficaciae fides licet imperfecta, modo adsit pia et perseverans oratio. Non enim nobilitatis titulo regulus iste a Domino obtinuit quo ostenduntur varii gradus fidei, efficacia miraculorum, potentia fidei.

1) Io 4, 46. In margine haec adiecta fuerunt: « Habemus in hodierno Evangelio Christi peregrinationem a Iudaea in Galilaeam mysteriis refertam, si intelligamus quid Iudaea, quid Galilaea significet ». 2) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 3) Io 4, 50. 4) Ibid. vr. 53. 5) Ibid. vr. 48.

quod petebat, quin potius obiurgavit eum Dominus, ut sciamus quod nobilitas apud Deum sine virtutis splendore nihili penditur, sed merito fidei, ubi verum cernitur quod Dominus alteri dixit salutem filio petenti: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* [6] Ostenditur etiam quod fides nunc mater est miraculorum, nunc filia: mater dum impetrat miracula: *Credidit homo sermoni;* filia dum, visis miraculis, procreatur: *Credidit ipse et domus eius tota.*

Specialim ostenduntur media quibus Deus utitur in salutem hominis.

Quoniam vero praesenti miraculo operatus est hodie Dominus salutem in domo reguli, ita ut vere dici possit id quod de Zachaeo ait: *Hodie salus domui huic facta est,* [7] videre mihi videor in hodierno Evangelio media quibus divina utitur providentia ad salutem hominum procurandam ac promovendam.

Proprium Dei est beneficiis homines ad se trahere,

II. Proprium Dei est beneficiis homines veluti devincire ut ad se trahat, nam qui accipit beneficium amittit libertatem [8] et compedes invenit qui invenit beneficia; hoc est quod per O s e a m Dominus ait: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* [9] Pertractat autem ibi de modo quo Israelem de Aegypto eductum duxit per desertum in terram promissionis, ubi nutritium dicit se Israelis, [10] sicut etiam dicitur *Deuteronomio*, capite 1. [11]

si autem haec non iuverint, flagella adhibet.

At vero saepe accidit ut haec minime prosint. Nam sicut Samson multis funibus, imo nervis etiam ligatus, facillime omnia rumpebat sicut modicum stuppae ad flammam ignis, comprehendi non potuit nisi rasis capillis, in quibus fortitudo ipsius consistebat, tunc facili negotio comprehensus ac detentus fuit, [12] ita nobiscum agit Deus. In arca Domini erat tum vas mannae [13] tum virga [14] cum tabulis legis, [15] quae divinam sapientiam designabant. Plena est Divina Scriptura promissionibus et minis, plena beneficiis divinis erga homines, plena etiam punitionibus, plena operibus misericordiae benignitatisque, plena etiam operibus iustitiae et severitatis. Sicut pater agit cum filio et medicus cum infirmo: primo suavibus utitur medicamentis; si autem haec non iuverint, adhibet acriora,

6) Mc 9, 22. 7) Lc 19, 9. 8) Proverbium ex Seneca et P. S. Mimo, *Sententiae.* 9) 11, 4. 10) Cf. ibid. vrr. 1-3. 11) Cf. vr. 31. 12) Cf. Idc 16, 7-20. 13) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 14) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 15) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.

aliquando ignem ardentem et candentia ferra; ita Deus cum hominibus agit.

Sic egit cum hoc regulo: multis eum beneficiis cumulavit naturalibus: *Credidit homo sermoni*, multis bonis, quae vulgus f o r t u n a e appellat: nobilis erat, constitutus in dignitate, dives erat, multos servos habebat, habitabat in Capharnaum, quae a g e r c o n s o l a t i o n i s interpretatur. His tamen ad Christi fidem suscipiendam nihil permotus fuit, hinc Dominus flagella arripuit. Erat ei unicus ac dilectissimus filius, hunc Dominus gravi morbo corripuit: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum; Domine, descende prius quam moriatur filius meus;* [16] sic accessit ad Christum. In templo E z e c h i e l i s erat figura cherub habens faciem hominis et faciem leonis in medio palmarum, quae sunt victoriarum insignia erantque figurae illae veluti stemmata et insignia Dei; [17] moris enim est regum basilicas ornatas esse stemmatibus et gentilitiis insigniis. Habet Deus faciem hominis et leonis: *Visitans iniquitatem... et faciens misericordiam in millibus;* [18] *Dulcis et rectus Dominus,* [19] columna nubis et ignis. [20]

Sic egit Dominus cum regulo,

Traxit ad se Dominus regulum hunc desiderio vitae et timore mortis, hi nanque sunt humanitatis affectus, hinc ait: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis* sive amoris, aequa enim lance et bona nobis desideramus et mala refugimus. Sed urgent fortius mala, licet enim bona nos delectatione afficiant, mala autem molestia, nihilominus magis sentimus molestias quam delectationes: unius dentis aut digiti dolor, nedum capitis aut stomachi aut colici dolores, affligunt magis quam totius corporis delectet integritas, febris unius diei, una tantum illata iniuria, ut patet in Aman. [21] Sic multo sensibiliora sunt mala quam bona.

mala enim fortius urgent quam bona delectent.

Sicut piscator modica esca in hamo magnos aliquando capit pisces, ita Dominus infirmitate unius corporis hodie operatus est salutem multarum animarum: *Credidit ipse et domus eius tota.* Divina providentia hodie ad operandam salutem animarum usa est humanitatis affectibus, paterno amore et caritate, desiderio vitae, timore

Divina providentia hodie infirmitate unius corporis multas animas salvavit;

16) Io 4, 49. 17) Cf. 41, 18-19. 18) Ex 20, 5-6. Vulg.: *In millia.*
19) Ps 24, 8. 20) Cf. Ex 14, 21. 21) Cf. Est 5, 9-13.

mortis. Ad hoc tam potentes affectus in nobis natura ingeneravit, ut vel desiderio bonorum vel malorum metu ad se nos pertrahat Deus, ut in aeternum salvet. Sicut sol naturalia pocreat nunc accedendo et copiosa munera lucis et caloris sui nostro huic hemisphaerio impertiendo, nunc recedendo et haec ipsa [22] veluti negando; ita Deus nobiscum agit, quoniam saepe divinis abutimur beneficiis et in ipsum Deum impie retorquemus, unde ait: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit,* etc.; [23] veluti cogimus Deum ut maleficiis nos premat.

sic saepe utiliora nobis sunt incommoda quam prosperitates.

Saepe utiliora sunt nobis adversae fortunae incommoda quam prosperae oblectamenta, sicut infirmo utiliora sunt amara et iniucunda farmaca quam dulces et suaves epulae. Flagellis eruditi etiam impii aliquando in Dei cognitione proficiunt, ut patet in Pharaone, [24] in Nabuchodonosor, [25] in Antiocho, [26] nam vexatio dat intellectum. [27]

III. *Erat quidam regulus.* Ita dictus est vel quia de stirpe regia erat, vel quia regali potestate insignis, vel quia regius minister, praefectus provinciae. Graece autem non est βασιλίσκος regulus, sed βασιλικὸς, [28] regius, a nobilitate et splendore, hinc ampla domus veluti rege digna, graece βασιλική dicitur et latine etiam basilica.

Huius reguli exemplo monemur in negotio salutis oblatam occasionem non praetermittere.

Domine, descende prius quam. Non credebat Christum posse etiam mortuum suscitare, sicut credidit Abraham, ut Paulus *ad Hebraeos* ait, obtulit enim Isaac *arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.* [29] Monemur reguli huius exemplo ne in negotio salutis nostrae oblatam occasionem praetermittamus, sicut Paulus ait: *Hortamur* vos *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto,* etc. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce . . . dies,* etc.; [30] et Isaias: *Quaerite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* [31]

Nisi signa et prodigia. Sicut cum paralytico [32] egit Dominus cum regulo: transivit ab infirmitate corporali ad spiritualem. Sicut

22) Ms.: *Impsa.* 23) Dt 32, 15. 24) Cf. Ex 12, 29-32. 25) Cf. Dn 4, 28 sqq. 26) Cf. 2 Mach 9, 1 sqq. 27) Cf. Is 28, 19. 28) Ms.: *Basiliscos* et: *Basilicos,* et infra: *Basilichi.* 29) 11, 19. 30) 2 Cor 6, 1-2. Affert ex Breviario Rom. Dom. 1. Quadr. 31) 55, 6. 32) Cf. Mt 9, 7; Mc 2, 3-12; Lc 5, 18-25.

medicus quicunque ad curandum caput languidum agit cauterium in brachio sano, ita hodie egit Dominus cum regulo. Elucet in hodierno Evangelio singulare mysterium divinae providentiae. Ad procurandam salutem hominum utitur Deus secundis causis: *Qui solem suum oriri facit*, etc. [33] Est autem triplex providentia: una naturalis, altera politica, tertia spiritualis. Naturalis, patris erga filium; politica, domini erga servos, regis erga subditos; spiritualis, Christi erga animas. Pro naturali providentia indidit Deus, naturae conditor et moderator, in parentum pectoribus atque visceribus magnum ac ineffabilem amorem erga prolem ad eam educandam et conservandam ut opus est; sicut radix sugens terrae humorem immittit eum in ramos arboris ac sic totam arborem nutrit, ita pater familiam. Huius autem amoris praesidio provisum est ut unus pater sufficiat centum filiis alendis, cum ad unum alendum patrem vix centum filii satis sint.

Elucet in hodierno Evangelio mysterium divinae providentiae.

Deus nihil intentatum relinquit ad procurandam hominis salutem.

Sed non est animus de providentia naturali aut politica verba facere, sed hoc tantum satis sit insinuare non minorem esse spiritualem providentiam naturali. Pater hic ad procurandam filii salutem nullum non movit lapidem, nihil intentatum reliquit; ita Deus ad procurandam hominis salutem.

Ostendit hodiernum Evangelium quod tangit aliquando Dominus etiam divites et magnates, ne beati et tanquam dii sibi esse videantur, sed ut sciant quoniam homines sunt, quod ipsi quoque sicut et ceteri obnoxii sunt communibus calamitatibus et malis.

IV. Filius iste reguli, quem Dominus insigni miraculo ab ipsis faucibus mortis hodie potenter eripuit, in duplici statu nobis proponitur: prius quidem in statu mortalis infirmitatis utriusque substantiae: *Cuius filius infirmabatur Capharnaum; Descende prius quam moriatur filius meus;* deinde in statu integrae et perfectae sanitatis: *Vade, filius tuus vivit;* [34] *Heri ... reliquit eum febris;* [35] *Et credidit ipse et domus eius tota.* Infirmabatur hic adolescens in Capharnaum. Multos infirmos legimus in Capharnaum, nam praeter hunc adolescentem, hic infirmatus fuit servus centurionis, [36] hic paralyticus cui

Filius iste reguli proponitur nobis prius in statu infirmitatis, postea salutis.

33) Mt 5, 45. 34) Io 4, 50. 35) Ibid. vr. 52. 36) Cf. Mt 8, 5-6; Lc 7, 2.

Dominus peccata dimisit,[37] hic socrus Simonis, hic multi alii, quos Dominus post solis occasum curavit.[38] Facile regnat in Capharnaum omne genus infirmitatis, inter delicias carnis languet spiritus. Nam verum est illud: In regno voluptatis non est virtuti locus.[39] Febri laborabat. Est autem febris calor praeter naturam accensus circa cor et per totum corpus diffusus. Et sunt multa febrium genera, nam est febris ephimera, est quartana, tertiana, quotidiana, erratica, continua et ethica, de quibus medici.[40]

In morbo corporali videndus est morbus spiritualis,

Sed transit Dominus a carne ad spiritum, ut per corporalem morbum veluti per ocularia videamus spiritualem. Sunt autem corporalis febris multa symptomata ac veluti proprietates quibus dignosci potest: totius corporis gravitas et calor immodicus, dolor capitis, linguae ariditas, ardor sitis, gustus corruptus; sed praecipue a pulsu dignoscitur, nam febricitantis pulsus frequens est et saepe inaequalis. Incipit autem febris vel semper a rigore et frigore et ad nimium pergit calorem, qui totum corpus veluti exurit et exedit.

nam sicut corpus, etiam animus habet febres suas;

Sed habet etiam animus febres suas, immodicas cupiditates, sicut ait Ambrosius: febris nostra cupiditas est.[41] Cavendum autem nobis a febribus, quoniam omnis spiritualis febris pestilentialis est, mortalis est. *Descende prius quam moriatur.* Moribundus erat, agebat animam: febris spiritus ad mortem ducit aeternam. Incipit febris a rigore et frigore, et Dominus ait: *Quoniam refrigescet caritas, abundabit iniquitas.*[42] A pulsu inordinato vel maxime cognoscitur febris: *A fructibus eorum cognoscetis eos.*[43] Febris animi inordinatus est amor; non est enim vitium nisi amor inordinatus, sicut nec virtus animi vera nisi amor ordinatus. Ab inordinata sollicitudine quaerendi divitias, honores, voluptates cognoscitur prava animi cupiditas, quae *radix ... est omnium malorum.*[44]

Infirmitas est sanitatis privatio in corporibus; in spiritibus etiam vitium virtutis privatio est, cupiditas privatio caritatis qua

37) Cf. Mt 9, 1-7; Mc 2, 1-12; Lc 5, 18-25. 38) Cf. Mt 8, 14-16; Mc 1, 29 sqq.; Lc 4, 38-41. 39) Cf. Cicero *De Senectute*, t. 4, col. 548. 40) Cf. Galenus *De Differentibus Febribus*, lib. 1, cp. 1, f. 29; cp. 7-11, f. 31b-34a. 41) *Expositio in Lucam*, lib. 4, (P. L. 15, 1631). 42) Mt 12. Vulg.: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas. Abundabit* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* 43) Mt 7, 20. Vulg.: *Ex fructibus*, etc. 44) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Malorum est.*

Deus super omnia diligendus est et proximus tanquam imago Dei, qua coelestia aeternaque bona ex animo appetuntur. Febricitans, licet in cubiculo sit aureo, in lecto molli, amplo, ornato, splendido, semper tamen inquietus est, veluti in inferno est cum in paradiso esse videatur; sic animus inordinatus poena est sibi ipsi: *Non est pax impiis, dicit Dominus.* [45]

sicut autem infirmitas in corpore est sanitatis privatio, ita in anima est privatio virtutis.

Febres sunt mundi, quas I o a n n e s dixit: *Nolite diligere mundum neque ea quae sunt in mundo... quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [46] His febribus totus aestuat mundus, nam: *Mundus totus in maligno positus est.* [47] Sed, quod peius est, febricitans hic phreneticus est, sanus sibi esse videtur, cum morti proximus sit. Non vult mundus cognoscere infirmitatem suam, sanum se esse existimat, cum sit in statu moribundo. O utinam Sanctorum intercessione sanitatis beneficium nobis clementissimus Deus impertiatur! Sicut regulus iste, mala tantum carnis non spiritus sentimus, bona tantum corporalia non spiritualia quaerimus, terrena non coelestia, mundana non divina.

Et tamen infirmitatem nostram non percipimus,

Bone Deus, quid tam male de nobis meruit anima nostra, ut ei non tantum corpora, verum etiam quaecunque ad corpus spectant praeferamus? etiam vestes? etiam calceamenta? O summam stultitiam! Appendimus in rationis libra in altera quidem lance animam, in altera vero vel minimum corporis commodum, vel minimam voluptatem. Proh pudor! haec apud nos maioris sunt ponderis et momenti.

quia mala tantum carnis, non spiritus sentimus.

V. Infirmus hic a Domino curatus hodie, cum personam gerat hominis qui spirituali infirmitate laborat, nonnullis conditionibus notatur. Quod puer erat, adolescens, in qua aetate homo sensibus ducitur, prudentia, iudicio, ratione et intellectu minime valet; sic filius prodigus adolescens dicitur, [48] item filius viduae naimitis. [49] Deinde infirmatus dicitur Capharnaum: dum caro in deliciis est et

Multa significantur in persona istius infirmi a Domino curati

45) Is 48, 22. 46) 1 Io 2, 15-16. Vulg.: *Quae in mundo sunt... concupiscentia carnis est*, etc. 47) Ibid. 5, 19. 48) Cf. Lc 15, 12. 49) Cf. ibid. 7, 14.

voluptatibus, non potest non infirmari spiritus, nam etiam Adam in loco deliciarum peccavit, [50] David, [51] Salomon, [52] Saul, [53] multi alii. Tertio febri mortali laborabat: *Incipiebat... mori*, sed *reliquit eum febris;* ita caro in deliciis multis desideriis aestuat.

et in persona reguli.

Regulus iste ostenditur homo animo gratus, nam, accepto beneficio, *credidit ipse et domus eius tota.* Dicitur regius, idest aulicus, in aula regis Galilaeae vitam degens: quid mirum si non credebat? Nam Petrus in aula principis sacerdotum Christum negavit. [54] Rara virtus in aula, instar foenicis est. [55]

50) Cf. Gn 3, 6. 51) Cf. 2 Rg 11, 2-5. 52) Cf. 3 Rg 11, 1-8. 53) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 54) Cf. Mt 26, 69-74; Mc 14, 66-72; Lc 22, 55-62; Io 18, 16-27.
55) Alludit ad proberbium: « Phoenice rarior », de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 949.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

Simile est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere, etc. [1]

I. Duo sunt quae vel maxime in sacrosancto hodierno Evangelio a Domino proponuntur: alterum est infinita Dei bonitas et humanitas, quas Paulus dixit *divitias bonitatis,* [2] et alibi: *Deus ... qui dives est in misericordia,* [3] itemque alibi: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei ;* [4] alterum vero est humana inhumanitas et ferina crudelitas: *Tenens suffocabat eum ... Redde quod debes.* [5] Loquitur hodie Christus de Deo sub metaphora regis ditissimi et magnificentissimi. Saepe in Sacris litteris proponitur nobis Deus tanquam rex. [6] **Proponuntur hodie considerandae divina bonitas et humana crudelitas.**

Vidit Ioannes Christum in medio septem candelabrorum aureorum, [7] in hodierno autem Evangelio Deus cernitur inter septem mysteria. Primum est divinae maiestatis et potentiae: *Simile est regnum coelorum homini regi ;* secundum sapientiae: *Qui voluit rationem ponere cum servis ;* tertium divitiarum: *Oblatus est ... qui debebat ... decem millia talenta ;* [8] quartum misericordiae in peccatores poenitentes, quae merita supplicum excedit et vota [9] ac, sicut Paulus ait, *potens est ... facere supra quam petimus aut intelligimus ;* [10] *Dimisit eum et debitum dimisit ei ;* [11] *Oportuit et te misereri conservi* **Septem mysteria ostenduntur in hodierno Evangelio.**

1) Mt 18, 23. Vulg.: *Assimilatum est,* etc. 2) Rom 2, 4. 3) Eph 2, 4. 4) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. 5) Mt 18, 28. 6) Cf. Ps 5, 3; 23, 7-10; 28, 10; 43, 5; 46, 7-8; 47, 3; 73, 12; 83, 4; 88, 19; 94, 3. 6. 7) Cf. Apc 1, 13. 8) Mt 18, 24. 9) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 181); Missale et Breviarium Rom., Orat. Dom. XI post Pent. 10) Eph 3, 20. Vulg.: *Facere superabundanter,* etc. 11) Mt 18, 28.

tui, sicut et ego tui misertus sum; [12] quintum iustitia contra peccatores ex odio in peccatum et iniquitatem: *Iussit eum dominus eius venumdari et uxorem eius;* [13] sed tamen non est iustitia haec instar mortis inexorabilis et inflexibilis, facile misericordia flectitur precibus peccatoris poenitentis et vere contriti; sextum est severum iudicium contra peccatorem ingratum, inhumanum et crudelem: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me;* [14] sic *iratus dominus eius tradidit eum tortoribus;* [15] septimum mysterium est quod, cum Deus totus humanitas et caritas sit, supra modum humanitate et caritate delectatur et crudelitate offenditur, hinc a nobis caritatem et humanitatem quam maxime exigit: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque,* etc. [16]

Displicet Domino summopere inhumanitas,

II. Displicet Domino summopere crudelis inhumanitas et inhumana crudelitas, quoniam est contra ipsam naturalem legem, quod Dominus hodie innuit dicens: *Nonne ... oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Ubi duo indicat Dominus: unum est quod Deus requirit nos sibi similes, nam *ad imaginem et similitudinem Dei* factus est homo, [17] hinc Dominus ait: *Estote ... perfecti, sicut Pater vester ... perfectus est;* [18] *Estote ... misericordes, sicut et Pater vester misericors est;* [19] itemque: *Diligite inimicos vestros ... ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est;* [20] alterum verum ut naturalem legem servemus. Est autem naturalis lex: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis:* [21] si placuit, inquit, tibi humanitas et clementia mea qua tui misertus sum, ita ut omne debitum dimitterem tibi quoniam rogasti, cur non tu simili humanitate usus es in conservum tuum? *Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Docet Dominus in hodierni Evangelii parabola id quod Divus Iacobus ait: *Iudicium ... sine misericordia ei qui non facit misericordiam.* [22] A divina itaque similitudine et naturali lege veram in proximos caritatem requirit a nobis hodie Salvator, simulque a divini iudicii severitate

Ideo conatur hodie veram caritatem nobis persuadere.

12) Ibid. vr. 33. 13) Ibid. vr. 25. 14) Ibid. vr. 32. 15) Ibid. vr. 34. 16) Ibid. vr. 35. 17) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 18) Mt 5, 48. Ms.: *Misericors est.* 19) Lc 6, 36. 20) Mt 5, 44-45. 21) Ibid. 7, 12. 22) 2, 13. Vulg.: *Illi qui non fecit misericordiam.*

qua inhumanos et crudeles perpetuis poenis in inferno punit: *Tradidit eum* iratus *tortoribus.* Itaque Dominus noster in hodierni Evangelii parabola nervos omnes intendit ut humanitatem veram germanamque caritatem nobis persuadeat, maxime vero metu divinae irae: *Iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus coelestis,* idest omnipotens, cui omnia possibilia sunt nihilque apud eum est impossibile aut difficile.

Proponitur etiam veluti pactum Dei cum hominibus.

III. Proponitur etiam in hodierno Evangelio veluti pactum Dei cum hominibus, de quo alibi ait: *Eadem.... mensura qua mensi fueritis remetietur vobis;* [23] *Si.... non remiseritis* debenti vobis, *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra;* [24] *Dimittite et dimittemini;* [25] *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* [26] Peccata autem Dominus *debitum* appellat, sicut quotidie orare nos docuit: *Dimitte nobis debita nostra;* [27] agens etiam de Magdalena cum pharisaeo ait: *Duo debitores erant cuidam feneratori.* [28]

Debita nostra cum Deo maxima sunt

Nec simpliciter debitum, sed cui homo solvendo non est: *Non habentibus illis unde redderent,* [29] debitum ingens decem millium talentorum, [30] idest decies mille millium aureorum: quis tanto debito solvendo sit? *Cum,* inquit, *non haberet unde redderet.* [31] Primus pater noster Adam unum tantum peccatum commisit, et cum esset mundi totius princeps et monarcha, non potuit Deo satisfacere; ad solvendum hoc debitum necesse fuit ut unigenitus Dei Filius in mundum veniret.

et multa;

Nostra autem cum Deo debita multa sunt, immensa sunt. Quis enumeret peccata cordis, linguae, manuum, malas cogitationes, prava desideria? Decem millia talenta debet qui omnia divinae legis mandata nefarie violavit, nam serpens antiquus et draco decem habet cornua, [32] quibus divinas leges impugnat. Sicut autem unius peccati culpa Adam eiectus de paradiso fuit, multis poenis mulctatus, in hanc vallem lacrimarum, [33] ita una tantum letalis culpa abunde sufficit ad aeternam perditionem acquirendam: *Si quis... totam*

23) Lc 6, 38. 24) Mt 6, 15; Mc 11, 26. Vulg.: *Si... non dimiseritis,* etc. 25) Lc 6, 37. 26) Mt 5, 7. 27) Ibid. 6, 12. 28) Lc 7, 41. 29) Ibid. vr. 42. 30) Cf. Mt 18, 24. 31) Ibid. vr. 25. 32) Cf. Apc 12, 3; 13, 1; 17, 7. 33) Cf. Gn 3, 6 sqq.

legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. [34] Sic legimus quod qui unum tantum talentum accepit nec bene usus fuit, damnationem sibi acquisivit; [35] quid igitur faciet qui tanto aere alieno cum rege gravatus est?

at si dimittimus aliis iniurias, dimittentur nobis peccata.

Est autem Dei cum hominibus pactum valde expetendum: quis non commutaret creditum centum denariorum cum debito decem millium talentorum? Quis unquam principum sic pactus est cum debitoribus suis, ut si ipsi credita sua debitoribus suis condonarent, a rege acciperent omnium, licet maximorum, debitorum remissionem? Et nobis dura videtur lex Domini de remissione iniuriarum, ut ab ipso Deo accipiamus remissionem innumerabilium nostrorum peccatorum? Ostendit Dominus ad salutem hoc esse summopere necessarium: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de corde suo fratribus vestris.* [36] Et tamen adhuc multi sunt ac pene omnes qui iniuria aliqua lacessiti, cum christiano nomine censeantur, implacabiles sunt, inflexibiles, inexorabiles, et sperant misericordiam a Deo.

Deus rex ditissimus est.

Quoniam Deus rex est ditissimus, domum habere voluit in terra ex lapidibus pretiosis totam auro fulgentem; [37] Ioannes autem ait civitatem regis huius, regni ipsius metropolim, totam esse ex auro et pretiosissimis gemmis aedificatam, ita ut etiam fundamenta[38] sint omni lapide pretioso ornata. [39] Rex est, ut ditissimus, ita etiam munificentissimus, qui Moysi dedit principatum, [40] Aaroni pontificatum, [41] Davidi regnum, [42] Adamo mundi totius imperium. [43] Nil mirum ergo si unus ex servis ipsius, ex ministris regni administratoribus, debebat ei decem millia talenta et si tam facile tantum debitum precibus motus dimisit.

34) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque... totam*, etc. 35) Cf. Mt 25, 24-30. 36) Ibid. 18, 35. Vulg.: *Fratri suo de cordibus vestris.* 37) Cf. 1 Par 29, 1-8. 38) Ms.: *Fundamenti.* 39) Cf. Apc 21, 9 sqq. 40) Cf. Ex 3, 10. 41) Cf. Ibid. 28, 1. 42) Cf. 1 Rg 16, 11-13. 43) Cf. Gn 1, 27-30.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Abeuntes Pharisaei consilium inierunt ut caperent Iesum in sermone. Et mittunt ei, etc. [1]

Mittens Deus Prophetas, coelesti sapientia eos armavit.

I. Postquam manifestavit Deus Ezechieli secreta coelestia – nam: *Aperti sunt*, inquit, *coeli et vidi visiones Dei*, [2] vidit nanque in spiritu totam coelestem hierarchiam, – tunc dixit ei Deus: *Fili hominis ... increduli et subversores sunt tecum et cum scorpionibus habitas;* [3] propterea, manu demissa de coelo, dedit ei Deus volumen scriptum [4] ut illud comederet, et fuit tanquam mel dulce in ore ipsius; [5] per quem librum coelestis sapientiae donum, imo spiritus sapientiae et intellectus, spiritus et donum prophetiae designatur. Quoniam cum incredulis et subversoribus conversaturus erat et cum scorpionibus habitaturus, armavit eum sapientiae armis. Ita etiam cum Ieremia egit: mittens nanque eum ad praedicandum ait, immissa manu in os ipsius: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te ... super gentes et ... regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes ;* [6] et post pauca: *Ne formides a facie eorum ... Ego quippe dedi te... in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum ... regibus Iuda, principibus eius et sacerdotibus et* universo *populo terrae ; et bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum, dicit Dominus.* [7] Sicut Saul missurus Davidem ad pugnandum contra gigantem Goliam armavit eum optimis armis, [8] ita plane Deus.

1) Mt 22, 15-16. Cf. Missale Rom. 2) Ez 1, 1. 3) Ibid. 2, 6. 4) Cf. ibid. vr. 9. 5) Cf. ibid. 3, 1-3. 6) Ier 1, 9-10. 7) Ibid. vrr. 17 sqq. Vulg.: *Ait Dominus.* 8) Cf. 1 Rg 17, 31-49.

Saepe divina sapientia pugnavit contra mundanam astutiam;

II. Saepe legimus in Sacris Litteris singularia certamina inter divinam sapientiam et mundanam astutiam. Singulare certamen fuit inter Moysen et magos Pharaonis,[9] inter Eliam et prophetas Baal.[10] Et semper quidem mundi pars visa est potentior, sicut gigas philisthaeus potentior videbatur Davide,[11] sicut mille armati Philisthaei abierunt contra Samsonem,[12] sicut magna manus Syrorum contra Eliseum;[13] sed tamen vicit semper pars Dei.

hodie quoque certamen proponitur inter mundi astutiam et Christi sapientiam;

In hodierno Evangelio singulare certamen est inter mundi astutiam et Dei sapientiam. En mundana, imo satanica astutia: *Abeuntes Pharisaei consilium inierunt ut caperent Iesum in sermone.* Multi contra unum in arenam descendunt, armata procedit astutia: *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*[14] Causam refert L u c a s dicens quod *miserunt insidiatores, qui se iustos simularent... ut traderent eum principatui et potestati praesidis.*[15] Aggrediuntur agnum lupi sub ovina pelle: *Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces... non enim respicis personam hominis. Dic ergo nobis... Licet censum dare Caesari an non?*[16] Sua blandiloquentia impellunt ut contra Caesarem sententiam dicat, hinc aiunt: *Non enim respicis personam hominis.* Nam, aiunt, licet Caesar totius orbis imperator sit et monarcha, tamen nonnisi homo est, qui Dei comparatione nihil est. Hic autem non agitur de pecunia, sed de conscientia, de salute animarum, de honore Dei: *Licet censum dare?* Hoc est quod torquet nos, quia illicitum videtur ut filii Dei solvant tributum homini; Caesar autem homo est, at vero Iudaei in Sacris Litteris filii Dei sunt appellati.[17] Osculo, sicut Iudas,[18] Christum tradere volunt, et sicut Ioab Amasam sub signo pacis occidit,[19] ita hi hodie Christum perdere voluerunt.

Sed *contra Dominum non est sapientia, non est prudentia, non est consilium;*[20] *Frustra... rete iacitur ante oculos pennatorum.*[21] *Co-*

9) Cf. Ex 7, 10-12. 22; 8, 7. 18; 9, 11. 10) Cf. 3 Rg 18, 25-40. 11) Cf. 1 Rg 17, 1 sqq. 12) Cf. Idc 15, 14-16. 13) Cf. 4 Rg 6, 8-13. 14) Mt 22, 16. 15) 20, 20. Vulg.: *Traderent illum.* 16) Mt 22, 16-17. Vulg.: *Personam hominum.* 17) Cf. Ex 4, 22; Ps 28, 1; Is 1, 2; Ier 31, 9. 18) Cf. Mt 26, 48-49; Mc 14, 44-45; Lc 22, 47-48. 19) Cf. 2 Rg 20, 9-10. 20) Prv 21, 30. Vulg.: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* 21) Ibid. 1, 17. Vulg.: *Iacitur rete,* etc.

gnita ... Iesus nequitia eorum dixit: Quid me tentatis, hypocritae ?[22] Ad capiendum Christum observaverant opportunum tempus, locum, occasionem modumque, ita ut necessario pro ipsorum arbitratu caderet vel in Caesaris vel in populi indignationem et iram. Proposuerunt Christo hanc quaestionem Pharisaei coram plebe, ut Lucas ait: *Non potuerunt responsum eius reprehendere coram plebe,*[23] ut ipsum in discrimen adducerent, ponerent inter sacrum et saxum, inter malleum et incudem, inter aquam et ignem,[24] ut vel Caesaris vel populi amitteret gratiam. Sed tamen vicit Christi sapientia perversorum hominum astutiam, ita ut ipsi etiam mirati abierint inimici.

sed Christi sapientia vicit perversorum hominum astutiam.

III. Elucet autem Christi sapientia primo quidem in cognitione hypocrisis et falsitatis ipsorum: *Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis, hypocritae ?* Sic Ahias propheta cognovit uxorem Ieroboam, quae sub alieno habitu ad eum abiit.[25] Secundo in interrogatione: *Cuius est imago haec et superscriptio ?*[26] ut ex confessione eorum tanquam ex praemissis eliceret veritatem veluti conclusionem: *Caesaris,* inquiunt,[27] idest regis et principis nostri: *Non habemus regem nisi Caesarem.*[28] Tertio in responsione plena sapientiae: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.*[29] In qua quidem brevissima sententia, bone Deus, quam multa docuit Christus! Philosophatus fuit ab imagine Caesaris ad ipsum Caesarem et hinc concludit ut ab imagine Dei ad ipsum Deum ascendatur. Quam multa hic dicenda essent de imagine Dei in homine! Sed docet Christus quod ius humanum, absque tamen iniuria, non repugnat nec militat contra ius divinum, sicut nec obedientia aut reverentia quae principibus exhibetur repugnat obedientiae Dei. Ius regium est in Sacris Litteris *1 Regum* 8, quod rex segetes et vineta, greges etiam addecimaret.[30]

Elucet Christi sapientia in cognitione hypocrisis Pharisaeorum, in interrogatione et responsione.

Sententia haec Salvatoris veluti compendium, et quidem absolutissimum, est totius divinae legis. Nam sicut lex in duabus tabulis

22) Mt 22, 18. Vulg.: *Ait: Quid me,* etc. 23) 20, 26. Vulg.: *Non potuerunt verbum,* etc. 24) Adagia de iis qui in magno discrimine anxietatibus praemuntur. Cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 48. 25) Cf. 3 Rg 14, 1-6. 26) Mt 22, 20. 27) Ibid. vr. 21. 28) Io 19, 15. 29) Mt 22, 21; Lc 20, 25. 30) Cf. vrr. 15-17.

Responsio Christi veluti compendium est totius divinae legis.

lata fuit,[31] duo genera praeceptorum continet: in priori tabula praecepta quae hominem dirigunt ad Deum, in posteriori quae ad proximum,[32] sicut etiam in compendio legis Dominus dixit: *Diliges Dominum Deum tuum... et proximum tuum... In his duobus mandatis universa lex pendet;*[33] ita in hac sententia duo haec continentur: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.* Sicut etiam Dominus in coelo ab initio posuit duo luminaria magna,[34] quae sunt veluti duo principes coeli, ut praessent diei ac nocti: *Solem in potestatem diei... lunam... in potestatem noctis,*[35] ita in hac sententia sunt duo principatus et duae monarchiae: visibilis et invisibilis, humana et divina, temporalis et spiritualis, sicut homo duplici substantia constat. Sicut ab initio Deus homini duo tantum praecepta dedit, alterum quidem: *De omni ligno paradisi comede,* alterum vero: *De ligno... scientiae boni et mali ne comedas,*[36] ita ut lignum vitae in salutem corporis comederet, lignum autem scientiae pro salute spiritus ipsi Deo offerret, ita hic dicitur: *Reddite... quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.* Quare hanc legem etiam primo homini dedit Deus.

Deum nulla latet humani cordis cogitatio.

Audito autem hoc responso, Pharisaei abierunt mirati; sic vicit Christi sapientia mundi malitiam. Cognovit enim se a concilio malignantium obsessum, quod increduli et subversores erant secum atque scorpiones: *Pravum est cor hominis et imperscrutabile, quis cognoscet illud?*[37] *Scrutans corda et renes Deus,*[38] Deum enim nulla latet humanorum cordium cogitatio; sunt hominum corda Deo vitrea, crystallina: *Omnia... nuda et aperta sunt oculis eius.*[39]

Mire philosophatur Christus: debetur principi terreno honor, reverentia et obedientia,

Cuius est imago haec et superscriptio?... Caesaris... Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo. Mire philosophatur Christus ab imagine Caesaris ad ipsum Caesarem et a Caesare ad Deum, quasi Caesar ita esset imago Dei, sicut imago in numismate Caesaris erat imago. Sic fere semper Christus a corporalibus ad spiritualia, ab humanis ad divina transitum faciebat. Nam vere homo, et maxime princeps, imago Dei est: *Faciamus hominem*

31) Cf. Ex 31, 18; 34, 29. 32) De hoc cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum*, part. 2, pag. 192-193, not. 37. 33) Mt 22, 37-40. 34) Cf. Gn 1, 16-18. 35) Ps 135, 8-9. 36) Gn 2, 16-17. Vulg.: *Ex omni ligno*, etc. 37) Ier 17, 9. Vulg.: *Cor omnium et inscrutabile.* 38) Ps 7, 10. 39) Hebr 4, 13.

ad imaginem . . . nostram et dominetur piscibus maris . . . universaeque terrae. [40] *Faciamus hominem* in umbra nostra. Homo, licet universalis imperator et mundi totius monarcha, umbra Dei est. Qualis igitur honor, qualis reverentia, qualis obedientia debetur Deo! Principi terreno atque mundano, quia Dei vicarius est, debetur honor, obedientia, tributum, aliquando etiam vita ipsa, ut in iustis bellis pro defensione reipublicae. Quid igitur Deo vivo et vero debemus? **ergo debetur etiam Deo;**

Hodie de censu tantum et tributo agitur; debemus tributum principi terreno, debemus etiam principi coelesti. Numisma quod solvebatur denarius erat, argenteus numus, in quo tria requirebantur: primo quidem materia, argentum bonum, non chymicum; secundo forma, imago et inscriptio principis; tertio iustum pondus, alioquin repudiatur numus nisi iustum habeat pondus. Ita plane in tributo quod Deo debemus tria requiruntur: ut divinam legem servemus, ut servemus integre, nam: *Qui . . . totam legem servaverit*, etc., [41] ne appensus homo in statera inveniatur minus habens; [42] tertio, ut opera bona facta sint in caritate, quae forma virtutum est, nam alioquin: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et . . . tradidero corpus meum*, etc. [43] **debetur tributum principi terreno, ergo debetur etiam Deo.**

IV. At vero, quoniam Christus contemplari dignatus est hodie in numismate imaginem Caesaris et ex ea elicere solvendum esse Caesari censum, aequum est ut nos Dei in nobis imaginem contemplemur, ut ex ea eliciamus quid Deo debeamus. **Homo imago est Dei,**

Manifestissime inquit Divina Scriptura hominem factum esse ad imaginem Dei, nec tamen manifestum est quidnam hoc sit, cum Deus sit spiritus immortalis: *Qui solus habet immortalitatem*, [44] homo autem animal mortale. Attamen insinuat Divina Scriptura in quonam consistat haec Dei imago, dum statim subiungit: *Dominetur piscibus maris*, etc., in eo, inquam, in quo homo ceteris animalibus praestat, idest in ratione, mente et intellectu; quod sicut Deus spiritus est immaterialis et immortalis, intellectu praedi- **quae consistit in anima rationali.**

40) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 41) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque... totam*, etc. 42) Cf. Dn 5, 27. 43) 1 Cor 13, 3. 44) 1 Tim 6, 16.

tus et libero arbitrio, ita et mens hominis, anima rationalis; et sicut Deus suapte natura infinitae magnitudinis est, ita mens nostra infinitae capacitatis in intellectu et voluntate; sicut etiam Deus dignitate omnia antecellit et potestate omnibus dominatur, ita et homo corporatis creaturis.

Esse ad imaginem et similitudinem idem est ac esse filium;

Ipse autem M o y s e s visus est declarasse quidnam sit hominem ad imaginem Dei esse. Nam agens de Adamo, ait quod *genuit filium Seth.* Non est in hebraico: Genuit filium, sed: *Genuit ad similitudinem et imaginem suam.* [45] Idem ergo est esse ad imaginem et similitudinem ac esse filium. Hinc autem liquido patere potest quam ob causam Deus hominem ad imaginem suam creare voluit, nempe ut esset filius Dei, ut resplenderet in eo imago Dei sicut imago patris in filio.

Deus ergo hominem creavit ut homo filius eius esset,

Quod si filius et heres; [46] hinc statim tanquam filium constituit mundi principem, ut hominem honoraret ac nobilitaret pro viribus omnibusque creaturis honorabilem faceret, sicut egit Pharao cum Ioseph, [47] Assuerus cum Mardochaeo, datis regalibus insigniis, [48] ut in homine ostenderet bonitatem naturae suae omnis invidiae expertem. Nemo enim in eo in quo ipse excellit aequalem vult ac similem; non sic Deus, non sic. Ut haberet cui posset amorem suum ostendere et cum quo conversari, sicut creavit homini mulierem eo quod *non inveniebatur . . . similis ei,* [49] de homine ait: *Deliciae meae esse cum filiis hominum,* [50] et I o b : *Quid est homo quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ?* [51] ut merito constituere eum posset principem omnium creaturarum, sicut rex filium constituit principem: *Gloria et honore coronasti eum,* etc.; [52] ut creaturis omnibus Deum ipsum referret ac repraesentaret; sicut rex, civitate aedificata, in medio ipsius celebri loco statuit imaginem suam cum suis stemmatibus ad perpetuam rei memoriam, ita Deus voluit, mundo condito; item ut esset homo aeternitatis ac infinitatis capax, imo ipsius etiam divinitatis, omnis virtutis, omnis gloriae et honoris; ut posset etiam in seipso Deum cognoscere, non solum ex aliis creaturis, nam *invisibilia . . . mundi,* etc. [53]

rex universi, capax divinitatis,

45) Gn 5, 3. Vulg.: *Genuit ad imaginem,* etc. 46) Cf. Rom 8, 17. 47) Cf. Gn 41, 39-45. 48) Cf. Est 6, 6-11. 49) Gn 2, 20. Vulg.: *Similis eius.* 50) Prv 8, 31. 51) 7, 17. 52) Ps 8, 6. 53) Rom 1, 20.

At vero super omnia ut esset moribus et virtutibus verus filius Dei dignusque heres; ut esset capax Dei per cognitionem et amorem, per gratiam et gloriam, ut inter Deum et hominem intercedere posset amor amicitiae, dulcis et suavis conversatio; ut esset similis Christo, *qui est imago Dei invisibilis,* [54] nam *praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* [55]

heres et amicus Dei, similis Christo,

Item, sicut in templo egit, ultimo loco introducta fuit arca, quae thronus Dei erat, spiritualis locus divinitatis, [56] sic homo templum Dei per fidem, per gratiam thronus divinitatis. Specialiter autem in throno regali ponuntur regalia insignia et supra portam civitatis atque palatii regalis. Mundus regnum Dei est, civitas Dei, domus Dei; si mundus regnum, homo civitas; si mundus civitas, homo palatium; si mundus palatium, homo thronus Dei est. Obsignavit Deus hominem sigillo suae imaginis tanquam quid peculiare ipsius Dei.

templum et thronus ipsius Dei.

Reperimus autem in Sacris Scripturis quadruplicem imaginem hominis, sicut et quadruplicem statum. Primo quidem in homine imaginem Dei, secundo imaginem animalis: *Similis factus est illis,* [57] sicut Nabuchodonosor, [58] homo conversus in terram, devoratus a terra sicut Dathan et Abiron, [59] inclinatus in terram sicut mulier illa quae *non .. poterat sursum aspicere,* etc.; [60] tertio imaginem Christi: *Sicut portavimus imaginem terreni,* ita *portemus ... imaginem coelestis ;* [61] sicut imitati sumus Adam patrem nostrum, ita imitemur Christum; [62] si imitavimus superbiam, inobedientiam, lapsum Adami, imitemur Christi virtutes, etc.; quarto imaginem gloriae: *Salvatorem expectamus ... qui reformabit corpus,* etc.; [63] *In eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* [64]

Quadruplex imago inveniri potest in homine iuxta quadruplicem statum.

V. Ex imagine Caesaris elicuit Dominus solvendum esse censum et tributum Caesari, ita ex imagine Dei in nobis oritur debitum nostrum erga Deum. Siquidem aliud non est esse ad imaginem Dei

54) Col 1, 15. 55) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis,* etc. 56) Cf. 3 Rg 8, 1-9; 2 Par 5, 1-12. 57) Ps 48, 13. 21. 58) Cf. Dn 4, 29-30. 59) Cf. Nm 16, 20-30. 60) Lc 13, 11. Vulg.: *Nec... poterat... respicere..* 61) 1 Cor 15, 49. 62) Ms.: *Christi.* 63) Phil 3, 20-21. 64) 2 Cor 3, 18.

Ex imagine Dei in nobis oritur debitum nostrum erga Deum,

quam esse filium Dei, quae summa est hominis dignitas: hinc heres Dei, hinc princeps mundi, hinc honorabilis creaturis omnibus, ita ut non solum terrena omnia et coelestia serviant homini, sed etiam ipsi Angeli non dedignantur ei ministrare; hinc a Deo summopere amatus, Deo summopere carus.

qui pater noster est,

Quod si homo filius Dei est, debet utique Deo quaecunque filius patri debet, nempe timorem sive reverentiam, obedientiam et amorem; haec enim filii parentibus debent. Deus autem et pater et mater nobis est, primus enim homo nec alium patrem nec aliam matrem habuit.

cui assimilari debemus.

Licet autem omnis filius imago sit patris, non tamen omnis filius similis est patri, ita ut specie ipsum referat patrem. At vero Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem* nostram *et similitudinem nostram.* Non omnis imago similis illi est cuius est imago, visa nanque alicuius imagine, dicimus: Non multum illi assimilatur, vel nihil illi assimilatur, cum sui prototypi vel parum vel nihil speciem et figuram referat. At vero Deus voluit ut haec imago similis esset prototypo divinoque exemplari, hinc utrunque posuit, et *imaginem* et *similitudinem,* ut esset imago similis.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

I. Duo illustria ac vere divina miracula divinitus a Salvatore patrata proponuntur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio: alterum quidem in muliere infirma ac morbo incurabili laborante, alterum vero in puella, archisynagogi filia, defuncta; illam sanavit, hanc vero suscitavit;[1] in illa ostensus est auctor salutis, in hac fons vitae: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.*[2] Et in altero quidem Christus est veluti Isaias, qui Ezechiam curavit a morbo incurabili,[3] in altero vero est sicut Eliseus, qui sunamitidis filium iam defunctum ad vitam revocavit.[4] Vere enim Christus est Isaias et Eliseus; illi nanque Dominum etiam nomine adumbrarunt, nam Isaias salus Domini interpretatur, Eliseus vero Deus salvans aut potens salvator, Iesus autem salus aut salvator.

Duo miracula hodie proponuntur.

Ostenditur Dominus hodie veluti fons salutis, sicut Isaias ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,*[5] cum prius dixisset: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.*[6] In hebraico autem semper est nomen Salvatoris nostri,[7] et declaratur quisnam sit iste Salvator: *Ecce Deus Salvator meus,* ecce potens sive potentia; itemque: *Fortitudo mea,* potentia mea, *et laus mea Dominus,* tetragrammaton. Quoniam vero Deus infinitus thesaurus est et fons aeternus omnium bonorum, propterea ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Fontes dicit, magnum

In quibus Christus ostenditur vere divinus Salvator

1) Cf. Mt 9, 18-26. 2) Ps 35, 10. 3) Cf. 4 Rg 20, 1-7; Is 38, 1-21.
4) Cf. 4 Rg 4, 32-35. 5) 12, 3. 6) Ibid. vr. 2. 7) Idest: יְשׁוּעָתִי et יְשׁוּעָה.

utique fontem qui vena inexiccabili atque largissima per plures fistulas dat aquas perpetuas: *Haurietis aquas... de fontibus salutis.* Salutem .autem appellat omne bonum desiderabile.

et fons salutis.

Talem se fontem Dominus ostendit hodie. Hinc cum ad contactum vestimenti eius mulier salutem consecuta esset,[8] ait Dominus: *Quis me tetigit?... Novi* enim *virtutem de me exiisse;*[9] et alibi legimus: *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.*[10] Et alibi legimus quod in terra Genesar, Matthaei 14[10*] et Marci 6,[11] infirmi *deprecabantur... ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent, et quotquot tangebant eum salvi fiebant;* sic hodie Dominus Salvatorem se ostendit ad votum hominum: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero,*[12] et sic *salva facta est; Fides tua te salvam fecit;*[13] *Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam et vivet,*[14] et ita factum est.

Christus Salvator est Iudaeorum et Gentilium;

II. Ostenditur autem Dominus duobus hisce miraculis Salvator et Iudaeorum et Gentium. Nam defuncta suscitata iudaea erat, filia Iairi archisynagogi,[15] idest principis synagogae; mulier autem, quae a profluvio sanguinis curata est, gentilis reputatur, oriunda ex civitate quam Phoenices Paneadam dicunt, ut habet Eusebius Caesariensis, libro 7, capite 14, ubi refert scitu dignam historiam monimenti huius hodierni beneficii,[16] cuius meminit etiam Sozomenus in *Historia Tripartita*, libro 5, capite 10,[17] et Nicephorus, libro 6, capite 15,[18] quod Dominus hodierni miraculi historiam perpetuo miraculo voluit honorare. Nam mulier haec accepti beneficii memor, ante fores domus suae super aeditum lapidem statuam Salvatoris aeneam collocavit et ad pedes ipsius alteram statuam mulieris genibus flexis et manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis; ad pedes autem imaginis Salvatoris peregrina quaedam herba oriebatur, quae ubi summo vertice extremam fimbriam vestis Salvatoris tetigisset, facultatem habebat vimque mirabilem

8) Cf. Mt 9, 18. 9) Lc 8, 45-46. 10) Ibid. 6, 19. 10*) Cf. vr. 36. 11) Vr. 56. 12) Mt 9, 21. 13) Ibid. vr. 23. Ordine inverso affert has pericopas. 14) Ibid. vr. 18. 15) Cf. Mc 5, 22. 16) *Hist. Eccles.*, iuxta Migne cp. 18, (P. G. 20, 679). 17) Iuxta Migne *Hist. Eccles.*, lib. 6, cp. 21, ibid. 67, 1279-1281. Eadem historia narratur etiam a Cassiodoro *Hist. Tripartita*, lib. 6, cp. 41, (P. L. 68, 1057-1058). 18) P. G. 145, 1159-1162.

cuiuscunque morbi sanandi. Statuam hanc impius Iulianus apostata sustulit suamque ibi collocavit, sed divino miraculo fulmine de coelo a summo vertice percussa fuit.

Divus Hieronymus per has duas mulieres synagogam Iudaeorum et Ecclesiam Gentium intelligit; per filiam archisynagogi synagogam Iudaeorum, per mulierem vero sanguinariam Ecclesiam Gentium.[19]

Multa mysteria continet hodiernum Evangelium, sed nunc tantum consideratur virtus fimbriarum Christi.

III. Cum multa sint divina mysteria quibus refertum est hodiernum Evangelium, duo tamen sunt singularia: alterum est virtus manus Christi: *Veni, impone manum tuam super eam et vivet;* alterum est virtus fimbriae Christi: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Magna plane fides archisynagogi, sed maior fides sanguinariae mulieris. Cum tamen de utroque mysterio agere possemus, imo etiam de multis aliis, puta de dignitate sacerdotii ad quod honorandum Christus aliter se gessit cum archisynagogo, aliter cum regulo, hic honoris causa nominatur Iairus, quem etiam auditum et exauditum secutus fuit Dominus; hic de utilitate tribulationum; hic de efficacia humilis et piae sanctaeque orationis; hic de virtute fidei: *Fides tua te salvam fecit;* hic de languore animae, de morte spirituali, de resurrectione mortuorum per Christum; sed singulariter de virtute fimbriarum Christi paucis agere operae pretium duxi.

Apud Hebraeos erat fimbria signum religionis.

Erat apud Hebraeos fimbria hyacinthina insigne quoddam religionis et sanctitatis; Deus nanque iussit eos deferre in angulis vestimentorum huiusmodi fimbrias, ut recordarentur mandatorum Domini.[20] Signum erat quod ipsi erant populus electus Dei qui in coelis est, nam hyacinthina fimbria coelestis coloris erat; hinc apud Zachariam legimus: *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium... fimbriam viri Iudaei dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*[21] Cum autem Dominus noster natura iudaeus[22] esset, de stirpe David, ipse quoque sicut signum circumcisionis habere voluit, ita etiam fimbriam hanc por-

19) *Comment. in Matthaeum*, (P. L. 26, 58-59). 20) Cf. Nm 15, 38-40. 21) 8, 23.
22) Ms.: *Cum* iterum ponitur.

tabat, in signum quod iudaeus erat, quod Deum verum qui in coelis est vere colebat.

Ex hodierno miraculo comprobatur cultus SS. Reliquiarum.

Ex hodierno miraculo comprobatur usus cultusque Sanctarum Reliquiarum, licet reclament haeretici. Reclamabat olim Vigilantius, contra quem scripsit Hieronymus,[23] reclamat nunc Calvinus, dicens indiscretum fuisse mulieris huius zelum et aliquid in ea fuisse superstitionis.[24] O diabolicam caecitatem! Summo studio Evangelistae notarunt circumstantiam hanc ad ostendendam singularem mulieris huius fidem; et cacoevangelista Calvinus indiscretum zelum dicit? Christus ipsius fidem probat affectu, effectu, encomio: *Fides tua te salvam fecit;* Calvinus superstitionem dicit? Hinc elucet quo spiritu plenus fuit. Deus autem ad commendationem Sanctorum suorum etiam per ipsorum Reliquias miracula operari dignatus est: sic per contactum ossium Elisei mortuum suscitavit,[25] Elias Eliseo pallium suum reliquit quo ille Iordanem divisit miraculo,[26] per umbram Petri,[27] per sudaria et semicinctia Pauli[28] miracula multa operatus est. Sic veluti sanctas reliquias asservari voluit tabulas legis,[29] vas mannae,[30] virgam Moysi,[31] cuius ministerio dedit de petra sitienti populo largissimas aquas.[32] Et quidem Deus ipse voluit ut arca testamenti summe venerationi esset Hebraeis, quoniam scabellum erat pedum Dei.[33]

His miraculis ostenditur Deus mirabilis in parvis sicut in magnis.

IV. Aliud etiam hic possumus philosophari in his duobus miraculis patratis per manum Christi et per fimbriam Christi: quod Deus mirabilis est in magnis et mirabilis etiam in parvis,[34] et forte mirabilior in parvis quam in magnis, mirabilior Christus in fimbria vestis suae quam in manu brachii et potentiae suae; hinc noluit Dominus latere divinum hoc miraculum, quoniam et historia et mysterio mirabile est.

23) *Contra Vigilantium*, (P. L. 23, 346). 24) *Comment. in Evangelia*, t. 6, pag. 103. 25) Cf. 4 Rg 13, 21. 26) Cf. ibid. 2, 13-14. 27) Cf. Act 5, 15. 28) Cf. ibid. 19, 12. 29) Cf. Ex 25, 16-21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.
30) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 31) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Non virga Moysi, sed virga Aaron. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 462, not. 69.
32) Cf. Ex 17, 1-6; Nm 20, 8-11. 33) Cf. Ex 25, 10-22. 34) Cf. S. Augustinus Serm. 213, cp. 1, (P. L. 38, 1061); *Contra Faustum*, cp. 5, ibid. 42, 391; *Contra Adversarium Legis*, lib. 2, cp. 12, ibid. col. 665-666.

Regius Vates Christum laudat singulariter a vestimentis.

R e g i u s V a t e s *Psalmo 44* a multis laudat Christum: a pulcritudine, ab eloquentia et venustate sermonis, a fortitudine, bellica fortuna et virtute, a maiestate regia atque virtutibus rege dignis;[35] sed singulariter a vestibus: *Myrrha et gutta et casia*, idest odoratissima aromata, *a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te.*[36] Flagrant, inquit, vestimenta tua suavissimo odore, spirant mirabilem quandam ex odoratissimis aromatibus suavitatem, cum etiam pretiosissima sint ab atriis eburneis.

In fimbria hac ostenditur etiam magnitudo virtutis Christi ad salvandum.

In fimbria etiam hac, cuius contactu mirabiliter curata est mulier ab incurabili morbo, ostenditur virtutis Christi magnitudo atque efficacia divinaque potentia ad salvandum, multo maior quam virtus universae naturae. Nam spatio annorum duodecim mulier haec, multorum medicorum adhibita diligentia multisque adhibitis medicamentis, nihil omnino profecit, sed in deterius semper morbus abiit; solo autem tactu fimbriae Christi optatissimam et perfectissimam sanitatem assecuta est. Ubi videre mihi videor id quod P a u l u s *ad Corinthios* scribens philosophatur de Deo et mundo dicens: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus,*[37] sicut dici solet, si duo divites simul conferantur, alter autem multo sit ditior, quod quisquiliae domus huius pluris valent quam universa domus illius; ita inquit P a u l u s: *Quod stultum est Dei... quod infirmum est Dei, sapientius... fortius est hominibus;* ita videmus in hodierno Evangelio.

est enim ipsa virtus Dei, qui solo verbo omnia condidit.

Hoc est quod apud I s a i a m legimus: *Ea quae sub ipso sunt replebant templum, fimbriae eius replebant templum;*[38] deinde dicitur: *Plena est omnis terra gloria eius.*[39] Templum Dei totus mundus est, nam: *Coelum et terram ego adimpleo.*[40] Minima gloria Dei, minima virtus Dei implet mundum; hinc solo verbo condidit omnia. Quod flatu hominis movetur, leve admodum est; pueri aliquando ex subero aut ligno naviculas faciunt, ponunt in aquam et flatu oris natare eas faciunt. Sic parva res est mundus hic Deo.

V. De fimbriis autem legimus apud M a l a c h i a m: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in pennis*

35) Cf. vrr. 3-8. 36) Ibid. vr. 9. 37) 1 Cor 1, 25. 38) 6, 1. Ex hebraico. 39) Ibid. vr. 3. 40) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.*

Fimbriae significant etiam merita humanitatis Christi.

eius, בְּכַנְפֶיהָ, *in alis eius, in fimbriis eius.*[41] Sicut enim sol suapte natura lucidissimus et potentissimus ad tenebras umbrasque omnes et obscuritates fugandas, etiam extremis radiis suis vim largitur ad obscura loca illuminanda, ita, inquit, de sole iustitiae Christo: *Sanitas in fimbriis eius*, idest vel minima merita Christi apud Deum potentia sunt ad conferendam salutem humano generi, ita ut homo fide praeditus vel per minimam meritorum Christi participationem consequi valeat munus salutis aeternae: *Fides tua te salvam fecit.* Fimbriae nanque extremae partes sunt vestis, per vestem autem designatur in Christo tum humanitas: *In similitudinem hominum factus, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo ;*[42] designatur etiam sanctitas[43] Christi: *Induit me* Dominus *vestimento salutis et indumento iustitiae circumdedit me.*[44] Sic fimbria designat minora mysteria humanitatis Christi et minima merita sanctitatis ipsius. Fimbriae vestimenti pontificis ornatae erant aureis tintinnabulis et malogranatis,[45] quae designant quod vita Christi verbis et operibus sanctitatem praedicabat, nam *coepit .... facere et docere.*[46] Sicut enim per tintinnabulum praedicatio veritatis designatur, ita per malumgranatum series et ordo virtutum. Sicut autem fimbria pontificis, qui typus et figura Christi erat, ornata tintinnabulis et malis punicis, multis erat referta mysteriis, ita plane fimbria Salvatoris.

Videtur autem mihi quod fimbria haec Salvatoris huic mulieri fuit veluti lapis lydius quo probatur aurum, tactu enim indicat aurum lapis ille an verum sit aurum; ita Christi fimbria ostendit fidem mulieris huius non esse fictam: *Fides tua te salvam fecit.*

41) 4, 2. Ms.: *Bichnapheah.* 42) Phil 3, 7. Ordine inverso affert has pericopas.
43) Ms.: *Designat etiam sanctitatem.* 44) Is 61, 10. Vulg.: *Vestimentis salutis*, etc.
45) Cf. Ex 28, 33-34; 39, 20-24. 46) Act 1, 1.

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem, etc. **[1]**

I. Salvator noster in hodierno Evangelio totus propheta est. Nam ad tria Apostolorum quaesita: *Dic nobis quando haec erunt,* quae de templi et civitatis destructione dixisti, *et quod signum adventus tui et consummationis saeculi ?* [2] prophetice respondet vaticinansque praedicit signa futurae tunc Iudaeorum cladis, adventus sui ad iudicandum et consummationis saeculi. **Agit hodie Dominus prophetam**

Nec solum prophetam agit in hodierno Evangelio Dominus, verum etiam interpretem, nam interpretatur vaticinium Danielis de septuaginta hebdomadibus: [3] *Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta ;* nam interpretari divina oracula ex divino afflatu, non ex humana eruditione et acquisita doctrina, munus prophetae est. Hinc Paulus *1 Corinthiis* distinguit prophetas a doctoribus, [4] et capite 14 prophetas appellat eos qui ex afflatu Spiritus Sancti interpretabantur divina oracula; [5] sic Aaron dicitur propheta Moysi, [6] idest interpres. **et interpretem.**

II. Propheta in Divinis Litteris significat aliquando hominem sanctum, Deo carum familiaremque amicum; sic Abraham ab ipsomet Deo propheta est appellatus: *Orabit pro te, quia propheta est ;* [7] sic Ioannes Baptista a Christo dictus est *propheta et plus quam propheta,* [8] vitae utique sanctitate et gratia Sanctique Spiritus plenitu- **In S. Scriptura aliquando propheta appellatur homo sanctus;**

1) Mt 24, 15. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 3. 3) Cf. 9, 25-26. 4) Cf. 2, 28. 5) Cf. vrr. 1-4. 6) Cf. Ex 7, 1. 7) Gn 20, 7. Ordine inverso affert hunc vr. 8) Cf. Mt 11, 9; Lc 7, 26.

dine, non vaticinii munere, non enim missus fuit ut futura praediceret, sed praesentem Christum digito demonstraret populumque ad ipsius fidem converteret.[9]

Aliquando dicitur propheta Dei internuncius et interpres, qui corde praesago ex divina revelatione et afflatu Spiritus Sancti futura praedicit, quae quidem propria est prophetae notio. Hinc enim propheta graece dicitur ἀπὸ τοῦ πρό, quod est prae, ante, et φημί,[10] loquor, quasi praelocutor, praenunciator; hinc *Deuteronomio* 18 nota ponitur veri prophetae qui vera praedicit ex inspiratione coelestis Numinis.[11] Quare propheta in Sacris [Litteris] fere [semper] dicitur quisquis internuncius et interpres est mentis divinae, ita ut prophetia nihil aliud sit nisi facultas coelitus illapsa ad perspicienda arcana divinae mentis, placita atque consilia supra captum humani ingenii eaque ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem praenunciandi. Hinc *Numeris* 12 dicitur: *Si quis fuerit... propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Deum videt.*[12] Huius autem non una tantum pars est praesensio et praedictio occultorum futurorum ex Sacri Flaminis inspiratione, verum etiam occultorum cognitio, sive praesentium, sive etiam praeteritorum, sicut Samuel Sauli revelavit occulta,[13] et Eliseus Giezi,[14] sicut et Moyses scripsit mundi creationem,[15] ex divina utique revelatione.

aliquando qui ex divina inspiratione futura praedicit

et perspicit et praenunciat arcana divinae mentis:

Prophetae etiam dicuntur qui ex divino afflatu coelitus educti homines divina docent et ad pietatem inducunt, ut Deum agnoscant et colant. Haec autem magna pars est prophetici muneris, homines ad pietatem ex divina revelatione instituere; hoc enim vel maxime in sanctorum Prophetarum scriptis gestisque videmus.

vel qui coelitus inspiratus docet homines pietatem;

Aliquando etiam prophetae dicuntur viri religiosi, qui ex Sacri Flaminis inspiratione Deum laudant sacrisque hymnis celebrant, ut *1 Regum* 10 legimus, ubi Saul Divino Spiritu afflatus et in virum alterum mutatus, prophetare coepit cum grege prophetarum,[16]

aliquando etiam viri religiosi,

9) Cf. Lc 1, 76-79. 10) Ms.: *Apo tu pro phimi.* 11) Cf. vrr. 18 sqq.
12) Vrr. 6-8. Vulg.: *Vel per somnium... Dominum videt.* 13) Cf. 1 Rg 15, 16-23.
14) Cf. 4 Rg 5, 26. 15) Cf. Gn 1, 1 sqq. 16) Cf. vrr. 9-10.

qui nonnisi ex afflatu coelestis Spiritus loquebantur, sicut energumenos a spiritu malo obsessos loqui aliquando experimur; hinc nanque etiam Saul, cum a malo spiritu arreptus delira et insolentia loqueretur, prophetare dicitur.[17] Hinc quicunque Divino Spiritu afflati insolentius loquebantur, ab impiis insani et arreptitii habebantur, sicut propheta ille qui ab Eliseo missus fuit ad ungendum Iehu, insanus per convicium a proceribus dictus fuit.[18]

qui ex divina inspiratione Deum laudant.

III. Dominus noster saepe in Sacris Litteris propheta est appellatus: *Deuteronomio* 18: *Prophetam . . . suscitabit tibi Dominus*, etc.;[19] sic etiam in Evangelio: *Propheta magnus surrexit*,[20] *Hic est vere propheta qui venturus est*,[21] *Hic est Iesus propheta a Nazareth*,[22] *De Iesu Nazareno qui fuit vir propheta.*[23] Nec tantum propheta dicitur, verum etiam *magnus* sicut Moyses.

Saepe Christus magnus propheta appellatus est.

In magno propheta multiplex spiritus reperitur: primo quidem spiritus sanctitatis, sic enim sanctificavit Deus Ieremiam[24] et Ioannem,[25] purgavit Isaiam;[26] spiritus veritatis ad praedicenda futura; spiritus pietatis et caritatis ad convertendas animas et spiritus potestatis ad facienda miracula. Haec enim quattuor insigniter reperta sunt in Moyse; similiter in Christo, qui propheta dictus est sicut Moyses.

In Christo reperitur spiritus veri prophetae,

In hodierno Evangelio videri potuit Christus non habuisse spiritum veritatis, quoniam cum verba fecisset de maxima tribulatione synagogae: *Erit enim tunc tribulatio magna*, etc.,[27] subiunxit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur*, etc.;[28] non statim tamen post excidium Ierosolymae venit consummatio saeculi. At vero non dicit Dominus statim post excidium, sed post tribulationem synagogae, quod, expleta hac tribulatione, futurus sit mundi interitus. L u c a s hoc declarat: *Erit enim*, inquit, *pressura magna super terram et ira populo huic ; et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes ; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum. Et erunt signa in sole et luna et stellis.*[29] Nondum expleta est captivitas synagogae, sed illa

spiritus veritatis, sed verba eius diligenter ponderanda sunt;

17) Cf. 1 Rg 18, 10. 18) Cf. 4 Rg 9, 1-12. 19) Vr. 15. 20) Lc 7, 16. 21) Io 6, 14. 22) Mt 21, 11. 23) Lc 24, 19. 24) Cf. Ier 1, 5. 25) Cf. Lc 1, 15. 26) Cf. Is 6, 7. 27) Mt 24, 21. 28) Ibid. vr. 29. 29) 21, 23-25.

expleta, erit consummatio saeculi. Praedixit igitur Christus duraturam captivitatem Iudaeorum usque ad finem saeculi; ita usque in hunc diem perseverat, post mille quingentos et amplius annos.

non adfuit in eo ignorantia,

Videtur in Christo propheta esse ignorantiae imperfectio, nam interrogatus ab Apostolis de tempore consummationis saeculi, respondit: *De die autem illo aut hora nemo scit, neque Angeli in coelo neque Filius* hominis, *nisi* solus *Pater.*[30] Quomodo ergo in eo *spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus ?*[31] Quomodo in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei?[32]

sed loquitur ut purus homo.

Sed ignorat quatenus Filius hominis, non enim quia homo est hoc novit, sed quia homo Deus. Si enim purus esset homo, etiam si Angelis esset, uti nunc est, superior, hoc ignoraret; vel ita loquitur sicut alibi: *Sedere ... ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo,*[33] quasi hoc sit proprium officium Patris, sic ait Apostolis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate,*[34] idest ad Patris officium spectat hoc scire; vel hoc dicit quia quatenus Dei nuncius et legatus non habebat in mandatis ut hoc mundo revelaret.

Sententia tradens mundum sex annorum millibus duraturum non est satis firma.

Alludit autem Dominus ad id quod Zacharias capite ultimo ait: *Et ... Dominus Deus meus veniet et omnes sancti* eius *cum eo ... et erit dies una quae nota est Domino.*[35] Hinc elucet non satis firmam esse opinionem illam, licet gravium auctorum, quae tradit mundum sex annorum millibus duraturum,[36] sicut sex diebus conditus fuit. Divus Augustinus libro 20 *De Civitate Dei* probabilem existimavit.[37] Est etiam Talmudistarum opinio,[38] qui hoc docent ex traditione Eliae; probant etiam quia in prima periodo *Genesis* sexies reperitur א littera, quae valet mille.

Elucet in hodierno Evangelio prophetiae spiritus in Christo, de quo apud Isaiam legimus: *Requiescet super eum spiritus Domini,* etc.;[38a] requiescet sicut requievit spiritus Eliae super Eli-

30) Mc 13, 32. Vulg.: *Vel hora.* 31) Is 11, 2. 32) Col 2, 3. 33) Mt 20, 23. 34) Act 1, 7. 35) Vrr. 5-7. Vulg.: *Et veniet Dominus... omnesque,* etc. 36) S. Iustinus *Quaestiones et Responsiones ad Orthodoxos,* quaest. 71, (P. G. 6, 1311); Victorinus *Scholia in Apocalypsim B. Ioannis,* (P. L. 5, 341-342); S. Hilarius *Comment. in Matthaeum,* cp. 17, ibid. 9, 1013-1014; S. Gaudentius Serm. 9, ibid. 20, 916-917; S. Hieronymus Epist. 140, ibid. 22, 1172; *Comment. in Michaeam,* ibid. 25, 1189-1190. 37) Cp. 7, ibid. 41, 666-667. 38) Cf. *Talmud, Sanhedrin ;* Picus Mirandulanus *Heptaplus,* lib. 7, cp. 4. 38a) 11, 2.

seum,[39] sic enim in Iordane descendit et mansit super eum Spiritus Domini.[40] De eodem legimus apud eundem I s a i a m : *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus,* etc.[41]

Hodie Dominus agit etiam interpretem.

IV. Neque vero prophetam tantum agit hodie Dominus, verum etiam interpretem, sed quatenus interpres est, videnda est interpretationis intelligentia, quatenus autem propheta est, considerandus nobis est spiritus prophetiae in eo, maxime vero spiritus veritatis et spiritus pietatis erga Deum et homines.

Videnda est interpretationis intelligentia.

Quod spectat ad interpretem, alias Dominus interpretatus est Divinas Scripturas cum Veteris tum etiam Novi Testamenti, quoniam non sunt Divinae Scripturae tam faciles, ut nugantur haeretici.[42] Interpretatus est Dominus vaticinium D a n i e l i s de septuaginta hebdomadibus, ubi agitur de tempore adventus Messiae in mundum ac de morte ipsius deque eversione Ierusalem et templi in vindictam mortis Christi.[43] Hoc enim est: *Cum videritis abominationem desolationis;* L u c a s habet: *Cum... videritis ab exercitu circumdari Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius.*[44] In verbis videtur differentia, sensus idem est. Nam apud D a n i e l e m hebraice ita legimus: וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם,[45] ubi vox כָּנָף significat a l a m, ala autem aliquando templum appellatur, hinc legimus alam templi apud M a t t h a e u m 4 in graeco;[46] significat etiam aliquando e x e r c i t u m, sicut I s a i a e 8: *Et erit extensio alarum... super terram tuam, o Emmanuel;*[47] loquitur de militaribus alis, idest de exercitibus Sennacherib. Propterea igitur apud L u c a m legimus: *Cum videritis circumdari ab exercitu,* sed gentilium idololatrarum hostium, qui[47a] propter idola et propter civitatis sanctae et templi desolationem, quae maxime abominabantur Iudaei, abominati dicuntur, ita ut ex hebraeo verti

39) Cf. 4 Rg 2, 11-15. 40) Cf. Mt 3, 15; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32. 41) 61, 1. Affert ex Lc 4, 18. 42) Lutherus *Praefatio Assertionis Articulorum a Leone X Damnatorum*, W. L. t. 2, f. 100ᵃ; *De Servo Arbitrio*, ibid. f. 459. 43) Cf. 9, 23 sqq. 44) 21, 20. Vulg.: *Circumdari ab exercitu*, etc. 45) 9, 27. Ms.: *Vehal chebnaph scikuzim meschomem*, et infra: *Chanaph*. 46) Cf. vr. 5. Graece: Πτερύγιον. 47) Vr. 8. Ex hebraico. 47ᵃ) Ms: *Quos*.

possit: *Super exercitum abominatorum desolantem.* Nam cum Romanis singulariter Christus initurus erat foedus; pendet enim haec periodus a sententia: *Confirmabit... pactum multis.* [48]

Per *abominationem* impie haeretici Papam intelligunt.

Cum videritis abominationem. Per *abominationem* multi antichristum intelligunt, quem huius tempestatis haeretici Papam esse dicunt [49] et propterea a catholica Ecclesia fugiunt. Sed cum ipsi nihil ratum habeant nec firmiter credant nisi quod clarum est et expressum in Sacris Litteris, [50] ubi legunt Papam esse antichristum? Deinde antichristus futurus est aemulus Christi, negator Christi, nam inquit Ioannes: Qui negat Iesum esse Christum, *hic est antichristus,* [51] dicet enim se esse verum Messiam et ab Hebraeis suscipiendus est tanquam verus Messias; futurus unus tantum homo, ut docet Paulus *2 Thessalonicensibus* [52] – loquitur de homine cum articulo; [53] – futurus mundi monarcha, debellaturus multos reges, maxime vero Aegypti, Libyae et Aethiopiae; negaturus est omnem Deum, ita ut ipse solus adorari velit tanquam verus Deus; facturus multa miracula, ita ut de coelo faciat ignem descendere; regnaturus tantummodo *per tempus et tempora et dimidium temporis,* idest tribus annis cum dimidio, mensibus quadraginta duobus diebus mille ducentis nonaginta. [54] Quomodo haec omnia de Papa verificari possunt? Sed dimittamus eos, *caeci sunt et duces caecorum.* [55]

Imprudenti interrogationi Apostolorum respondet Christus signa dando desolationis Ierusalem et finis mundi.

Cum videritis abominationem. Quoniam Apostolorum interrogatio videri potuit curiosa, nam de tempore scrutati sunt: *Dic nobis quando haec erunt?* noluit Dominus curiositati satisfacere et tempus clare explicare, sicut explicavit Deus Abrahamo tempus quadringentorum annorum [56] et Ieremiae tempus septuaginta annorum, [57] Danieli vero tempus septuaginta hebdomadarum; [58] signa tantum dare voluit ex quibus dignosci posset desolatio synagogae et consummatio saeculi; imo ut curiositatem reprimeret, dixit se diem

48) Dn 9, 27. 49) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* part. 1, pag. 316. 414; part. 3, pag. 169. 50) Cf. ibid. part. 1, pag. 5. 67, 90. 101. 439; part. 2, pag. 98. 268. 350-356; part. 3, 242-243. 332. 51) 1 Io 2, 22. 52) Cf. 2, 3-4. 53) Ὁ ἄνθρωπος. 54) Apc 12, 14. Ms.: *Mensibus 46, diebus 1240.* Quae breviter de antichristo hic dicuntur, diserte pertractat Corn. A Lapide *Commentaria in 2 Thess.,* cp. 2. 55) Mt 15, 14. 56) Cf. Gn 15, 13. 57) Cf. Ier 25, 11-12; 29, 10. 58) Cf. Dn 9, 24.

ignorare solumque Patrem [59] scire, quia qui secreto aliquid novit, nescire dicitur quod novit, et quoniam Patri tribuitur potentia, creatio, providentia mundi, Filio sapientia, regimen Ecclesiae, Spiritui Sancto bonitas, sanctificatio animarum, ad Patris solum hoc spectat officium.

Licet etiam verum sit quod aliquando in Scriptura multa negantur, non tamen simpliciter, ut Ioannes dixit se non esse prophetam,[60] Christus negavit mortuam filiam archisynagogi,[61] dixit testimonium suum non esse verum,[62] se non esse bonum: *Quid me dicis, bonum? Nemo bonus nisi solus Deus:* [63] cum non me credas Deum, quid me bonum dicis?

V. Habemus in hodierno Evangelio duas prophetias, quarum altera quidem est Danielis, altera vero Christi; illius Christus interpres est, huius auctor; in illa elucet spiritus sapientiae in Christo et intelligentiae Divinarum Scripturarum, in hac autem spiritus prophetiae et divinae veritatis ac pietatis. Quod spectat ad interpretationem, requirenda nobis est intelligentia, et quod spectat ad prophetiam, inquirenda veritas, nam haec nota est prophetae a Deo missi.[64]

Duas prophetias habemus: unam Danielis, alteram Christi;

Quoad prophetiam Danielis, ait: *Qui legit intelligat,*[65] quasi dicat: opus est intelligentia in ea tractanda. Hinc Irenaeus libro 5,[66] Hilarius [67] et alii quamplures[68] intelligunt de antichristo, a quibus non abhorret Hieronymus;[69] alii idolum in templo positum, ut Chrysostomus,[70] Euthymius,[71] Theophylactus;[72] alii de Romanorum exercitu, ut Origenes,[73] Augustinus[74] et alii,[75] sicut Lucas habet: *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem.*

in illa opus est intelligentia,

59) Ms.: *Patris.* 60) Cf. Io 1, 20-21. 61) Cf. Mt 9, 24; Mc 5, 39; Lc 8, 52. 62) Cf. Io 5, 31. 63) Lc 18, 19. 64) Cf. Dt 18, 18 sqq. 65) Mt 24, 15. 66) *Adversus Haereses* cp. 25, (P. G. 7, 1188-1191). 67) *Comment. in Matthaeum*, cp. 25, (P. L. 9, 1054). 68) S. Ambrosius *Exposit. in Lucam*, lib. 10, ibid. 15, 180; S. Beda *In Evang. Matthaei*, lib. 4, ibid. 92, 102; Haymo *Homiliae de Tempore*, hom. 2, ibid. 118, 19; S. Bruno *Comment. in Matthaeum*, ibid. 165, 269-272. 69) *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 4, ibid. 26, 177. 70) *Interpretatio in Isaiam Prophetam*, (P. G. 56, 36-37). 71) *Comment. in Matthaeum*, ibid. 129, 610. 72) *Enarrat. in Evang. Matthaei*, ibid. 123, 410. 73) *Comment. in Evang. Matthaei*, tract. 23, ibid. 13, 1656-1659. 74) Epist. 80, (P. L. 33, 914-916). 75) Haymo *Homiliae de Tempore*, hom. 122, ibid. 118, 654; Radulphus *Homiliae in Epist. et Evang. Dominic.*, hom. 23, ibid. 155, 2024; Anonymus *Tractatus Adversus Iudaeum*, ibid. 231, 784.

In ista requiritur diligentia indagandae veritatis.

Quod autem spectat ad prophetiam Christi, requiritur indagandae veritatis diligentia. Nam Christus obscure loquitur cumque interrogatus fuerit ab Apostolis de duobus, nempe de tempore et de signis, quoad tempus nihil respondit, neque enim assignare voluit praecisum tempus vel excidii ierosolymitani vel consummationis saeculi, sed consultius existimavit silentio haec praeterire, sicut nec homini voluit Deus finem vitae indicare ut semper vigilaremus; quod vero spectat ad signa, ponit Dominus quaedam signa communia utrique, quaedam particularia quae praecessura erant ruinam synagogae, alia item particularia quae mundi consummationem sunt praecessura.

Omnis prophetia vel timorem ingerit vel spem, attamen fidem requirit.

Omnis prophetia credentibus vel timorem ingerit vel spem, quia vel futura comminatur mala vel futura promittit bona, praenunciat vel opera divinae iustitiae ad puniendum vel opera divinae misericordiae ad iuvandum. Sed fidem requirit. In *Exodo* legimus quod praedixit M o y s e s futuram grandinem talem quae occisura erat etiam animalia et homines;[76] qui crediderunt, providerunt sibi, qui autem non crediderunt, periere, periere autem quoniam voluere, nam praemoniti fuere.

In his prophetiis elucet ingenium Dei, monet enim ut ab ira fugiamus.

In his duabus prophetiis hodierni Evangelii videmus Dei ingenium plenum iustitia ex pietate et odio peccati et amore virtutis; comminatur ut misereatur, ut fugiamus ab ira. Prophetiae hodierni Evangelii sunt prophetiae non simplicis praescientiae secundum praenotionem naturalium causarum, sicut praedictio mortis Ezechiae,[77] sed prophetiae praedestinationis, quae sunt omnino infallibiles. Coniungit duo simul: consummationem synagogae cum consummatione saeculi, nam illa erat veluti figura huius, sicut sphaera astronomica aut astrolabium mundi figura est, ita ut quod est in circulo, est in coelo, et sicut in mappa mundi, ita, etc.

Eversio Ierosolymae veluti figura fuit consummationis saeculi, nam punitio Iudaeorum magna fuit et perpetua; talis erit punitio peccatorum in iudicio.

« Felix quem faciunt aliena pericula, etc. ».[78]

76) Cf. 9, 20-30. 77) Cf. 4 Rg 20, 1; Is 38, 1. 78) Aesopus *Fabulae, De Lupo et Cane*, ex versione Gualteri Anglici. Leopoldus Hervieux *Les Fabulistes Latins*, vol. 2, pag. 368.

Cupidus salutis nostrae Dominus, ut divinam effugiamus iram vaticinatus est hodie de mundi interitu, quare apud L u c a m habemus: *Vigilate . . . omni tempore orantes ut digni habeamini fugere* a ventura ira;[79] Deus enim non vult mortem peccatoris, sed ut, etc.[80] Cupidus enim est Dominus salutis nostrae cum temporalis tum etiam aeternae; hinc cum in vastatione Ierusalem appareat temporalis punitio, ait: *Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant;*[81] et cum in consummatione saeculi futura sit aeterna peccatorum punitio, monet orandum ut fugiamus a ventura ira. Sic enim propheta est Dominus spiritu caritatis plenus.

Eversio Ierusalem figura fuit finis mundi.

Coelum et terra transibunt, etc.[82] Docet non esse hanc conditionalem tantumque comminatoriam prophetiam, sed certam, absolutam, secundum praefinitam Dei determinationem.

Cum videritis abominationem, etc., idest cum videritis templum abominabiliter desolatum et profanatum. Nam in hoc sensu legimus *abominationem desolationis* etiam 11[83] et 12[84] capitibus D a n i e l i s, et secundum hanc intelligentiam spectat etiam ad tempora antichristi, sicut D a n i e l i s 12 legimus, profanabit enim ac supra modum desolabit antichristus Ecclesiam, ablato iugi sacrificio.[85]

II. ALIA HOMILIA[1]

I. Quamquam aequaliter tum pro bonis tum pro malis, iustis atque iniustis creasse hunc mundum et gubernare nunquam destitisse videatur Altissimus, sicut aequaliter sol radios lucis suae expandit ad illustrandum tum coelum tum terram, et coelum pluvias demittit ad irrigandum tum bonam tum malam terram, bonas et malas herbas, bonas et malas arbores, sic enim Dominus ait: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos;*[2] attamen sicut sol principalius coelum quam terram illustrat,

Quando Deus ad iniquos puniendos mala in mundum immittit, haec iustos contingere non permittit;

79) 21, 36. 80) Cf. Ez 33, 11. 81) Mt 24, 16. 82) Ibid. vr. 35; Lc 21, 33. 83) Vr. 31. 84) Vr. 11. 85) Cf. ibid.

1) Iterum ponitur inscriptio: « Dominica 24 post Pent., » quam nos omisimus, adiecta consueta dictione: Alia Homilia. 2) Mt 5, 45.

et coelum non propter sterilem arenam, sed propter fecundos campos pluit in terram, ita Deus non propter malos et iniustos homines primo et principaliter mundum creavit, sed propter bonos et iustos.[3] Hinc in Aegypto Israelitis clarissima splendebat lux, cum ipsi Aegyptii obruti essent palpabilibus tenebris veluti obscurae noctis.[4] Bona enim propter bonos Deus mittit in mundum, mala vero propter malos; quamvis bonis et malis haec communia videantur ne mali desperent et boni spiritu superbiae inflentur, ingentia tamen mala, quia tantummodo ad malos puniendos mittit, iustos nequaquam contingere permittit. Hinc Dominus electis suis fidelibus in Evangelio hodierno dicit: *Cum videritis abominationem*, etc.[5]

sic egit cum Noe, Loth et Abraham,

Cum Dominus aquis diluvii voluit mundum ob peccata destruere, iustum Noe praemonuit ut arcam sibi faceret, in qua salvari a cataclismo illo ingenti posset;[6] cum voluit Pentapolim igne de coelo comburere, Angelos misit qui iustum Loth inde educerent et ab incendio liberarent;[7] cum in diebus patriarchae Iacob gravissima septem annorum fame mundum perdere voluit, praemisit Ioseph in Aegyptum, ut eius opera universa domus Iacob salvaretur.[8] Diligit enim Dominus iustos homines tanquam pater carissimos filios. Hinc videns electum suum populum sub impii Pharaonis tyrannide gravissime afflictum, descendit ut liberaret eum,[9] quia, inquit, *filius meus primogenitus Israel,*[10] idest sicut quilibet pater filium suum primogenitum diligit, ita ego diligo Israelem, et sicut pater quilibet filium suum ab omni mortis periculo summopere liberare cupit, ita ego electos meos.

cum populo hebraeo in Aegypto et in deserto,

Cum Dominus post multa flagella Aegypti,[11] ultima eum clade percutere vellet occidens omnes primogenitos eorum, praecepit Moysi ut omnes Israelitae linirent sanguine agni fores ostiorum suo-

3) In margine haec adiecta fuerunt. « Sicut sol oriens tenebras pellit mundoque nostro dat splendidam claritatem vivificumque calorem, ita Christus hodie pellit tenebras ignorantiae nostrae luce sapientiae suae, qua nobis revelat arcana Dei mysteria loquens de futuris cum ardentissimo salutis nostrae desiderio atque ut incalescat cor nostrum, etc. »

4) Cf. Ex 10, 21-23. 5) Mt 24, 15. Cf. Missale Rom. hac Dominica. In margine haec adiecta fuerunt: « Summus sacerdos portabat super cor omnes tribus Israel, ita Deus omnes electos summopere diligit toto ex corde, propter quos mundum hunc creavit, conservat, providet atque gubernat, etc. ». 6) Cf. Gn 6, 12-14. 7) Cf. ibid. 19, 10-24.

8) Cf. ibid. 41, 53 sqq.; 45, 5-8. 9) Cf, Ex 3, 7-10. 10) Ibid. 4, 22.

11) Cf. Ps 104, 26-36.

rum, ne filii quoque eorum interficerentur.[12] Cum voluit Core, Dathan et Abiron cum universis eorum familiis vivos in inferno sepelire ob peccata eorum, aliis, qui eorum crimine non tenebantur, iussit ut separarentur ab eis ne et ipsi cum eis interirent.[13]

Ita Dominus hodie: *Cum videritis abominationem desolationis,* idest *circumdari ab exercitu Ierusalem,* ut Lucas ait,[14] *tunc qui in Iudaea sunt,* etc.[15] sic agit hodie Dominus.

II. Non loquitur hic Christus de antichristo, ut multi Sanctorum etiam Patrum interpretantur,[16] sed, ut Divus Augustinus in 80 epistola *ad Hesychium* ait,[17] loquitur de destructione Ierusalem. Hinc ubi Matthaeus et Marcus[18] dicunt: *Cum videritis abominationem,* Lucas clarissime dicit: *Cum... videritis ab exercitu circumdari Ierusalem.* Dicitur autem exercitus hic *abominatio,* quia fuit exercitus gentilium, quos Iudaei propter idololatriam summopere abominabantur. Patet etiam inde non loqui hic Christum de antichristo, quia Danielem adducit, qui quidem in septuaginta hebdomadibus non est locutus de secundo Christi adventu quem praecedet antichristus, sed de primo, quando venturus erat ad redimendum et salvandum, non autem ad iudicandum. Ait enim: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus et non erit eius populus qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacri-*

Christus hic de antichristo non loquitur, sed de exercitu Romanorum.

12) Cf. Ex 12, 7-13. 13) Cf. Nm 16, 20-35. 14) 21, 20. 15) Mt 24, 16.
16) Cf. not. 66-68 praec. hom. pag. 617. 17) P. L. 33, 914-916. 18) 13, 14.

ficium, et erit in templo abominatio desolationis et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. [19]

Septuaginta hebdomadae Danielis in tres partes dividuntur.

Septuaginta autem hebdomadas istas Angelus Danieli in tres partes divisit. Prima continet septem, quae continent quadraginta novem annos in quibus aedificanda erat civitas et templum, quod in quadraginta sex annis aedificatum est, ut apud Divum Ioannem legimus;[20] incepit autem aedificari tertio anno post reditum a captivitate, habita a Cyro rege licentia.[21] Secunda pars continet sexaginta duas hebdomadas, idest annos quadringentos triginta quattuor usque ad Christum revelatum, cum, baptizato Christo, aperti sunt coeli et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*, etc.[22] Tertia pars continet hebdomadam unam, idest septem annos; non enim loquitur hic Scriptura de hebdomadibus dierum, sed annorum, haec enim duo hebdomadum genera in Scripturis reperiuntur: primum *Levitico* 23[23] et secundum *Levitico* 25;[24] in medio autem ultimae huius hebdomadae occisus est Christus, completo praedicationis suae tertio anno. Quia vero in poenam huius peccati destruenda erat Ierusalem, hinc statim post Christi occisionem loquitur de civitatis destructione.

Maxima fuit poena synagogae, quia maximum fuit eius peccatum

III. Quia vero *iuxta mensuram delicti erit et plagarum modus,*[25] quamvis enim *miserationes* Dei *super omnia opera eius,*[26] quia bona supra condignum remunerat, mala vero punit citra condignum, maiora tamen peccata poena maiori punit. Cum autem peccatum occisionis Christi maximum omnium fuerit, quo maius esse non potest, maxima utique poena plectendum fuit; hinc ait: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi... neque fiet,*[27] quia peccatum maius esse non potest. Divus autem Lucas declarat loqui Dominum de Iudaeis, ait enim: *Erit enim pressura magna... et ira populo huic; et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.*[28]

19) 9, 24 sqq. 20) Cf. 2, 20. 21) De hac quaestione cf. Corn. A Lapide *Comment. in Evang. Ioannis*, h. l. Cf. 1 Esr 4, 24; Agg 1, 1. 22) Mt 3, 17; Mc 1, 10; Lc 3, 22. 23) Cf. vrr. 15-16. 24) Cf. vr. 8. 25) Dt 25, 2. Vulg.: *Pro mensura peccati erit*, etc. 26) Ps 144, 9. 27) Mt 24, 21. 28) 21, 23-24.

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. [29] Hoc est quod Isaias dixit: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus,* [30] idest quod sicut ex universa Pentapoli nec unus quidem superstes fuit, [31] ita neque ex Iudaeis quisquam remansisset; *sed propter electos*, sanctos videlicet patres et propter eos qui nascituri sunt ex eis, cum in fine temporum convertentur Iudaei ad Christum, ut Oseas ait, [32] propterea breviati sunt dies illi, omnes enim peste, fame, igne et gladio penitus periissent.

Praedicit tamen Christus non omnes penitus Iudaeos perituros esse.

Sed propter electos breviabuntur dies illi. Omnia quae Deus facit in mundo, propter electos facit; omnia beneficia quae contulit mundo ab initio saeculi, omnia propter electos fecit. Si quod autem flagellum, si quam tribulationem mittit, non propter electos, sed propter reprobos mittit: sic diluvium, sic conbustionem Pentapolis, sic flagella Aegypti; si enim nulla mundo dominaretur iniquitas, nulla ei noceret adversitas. [33] Cum enim Adam innocens esset, positus fuit a Deo in paradiso deliciarum; [34] factus autem peccator, in hanc lacrimarum vallem deiectus est. [35] Hinc in coelo, ubi in electis Dei nullum reperitur peccatum, nulla penitus invenitur adversitas, sed omne bonum absque ullo malo; in inferno vero, qui locus est peccatorum, omne malum, omnis adversitas.

Beneficia Deus mundo confert propter electos, flagella autem propter iniquos immittit;

Quod si aliquando et iusti in hoc mundo tribulationibus variis opprimuntur, sunt ad instar rubi Moysi, qui ardebat et non comburebatur; [36] sic enim tres illi pueri missi in fornacem ardentissimam combusti nequaquam sunt, [37] sic Daniel missus in lacum leonum devoratus nequaquam fuit. [38] Consolatur enim Deus electos suos in tribulationibus, praecipue in oratione; sic Danielem per Angelum consolatus est; [39] dum enim precaretur ille Dominum pro liberatione populi sui a captivitate, cum iam prope esset finis temporis praefiniti septuaginta annorum, Deus, qui *pater* est *misericordiarum et Deus totius consolationis,* [40] Angelum suum mittit ut nunciaret ei

quod si aliquando et iusti patiuntur, Deus illos consolatur.

29) Mt 24, 22. 30) 1, 9. 31) Cf. Gn 19, 24-25. 32) Cf. 3, 4 sq. 33) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 57). 34) Cf. Gn 2, 15. 35) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 36) Cf. Ex 3, 2. 37) Cf. Dn 3, 22-24. 38) Cf. ibid. 6, 16-23; 14, 29-40. 39) Cf. ibid. 9, 20 sqq. 40) 2 Cor 1, 3.

quod nedum expletis septuaginta annis liberaretur populus ab illa captivitate, sed quod expletis etiam septuaginta annorum hebdomanibus, liberandus erat omnis electorum populus a captivitate satanae et peccati.

SECUNDA PARS

Interrogationi Apostolorum duplicem responsum Christus dat.

IV. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur et luna non dabit lumen*, etc. [41] Cum Dominus de futura destructione Ierusalem tanquam divinus propheta [42] seriosum sermonem cum discipulis suis habuisset, moverunt Apostoli Christo duas quaestiones: Dic nobis *quando haec erunt ? et quod signum* erit quando *haec fieri incipient?* [43] *Et quod signum adventus tui et consummationis saeculi ?* [44] Dominus autem, dato ad primam quaestionem responso: *Cum videritis abominationem*, etc., respondet ad secundam: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur*, etc.

praenuncians prius excidium Ierusalem

Nec movere quemquam debet quod Dominus dicit: *statim autem*, cum non statim post destructionem Ierusalem facta sit saeculi consummatio, ut propterea credendum sit Dominum non esse locutum de civitatis excidio, sed de antichristi diebus; ex his enim quae Lucas dicit, luce clarius patet verbi huius germana intelligentia. Nam ubi Matthaeus habet: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet*, Lucas habet: *Erit enim pressura magna et ira populo huic ; et corruent in ore gladii et captivi*

41) Mt 24, 29. 42) In margine haec adiecta fuerunt: « Praecepit Diminus Eliae ut Eliseum ungeret in prophetam super Israel; Christus autem est verus Eliseus; Salvator noster praecipuo nomine appellatus est *Christus*, idest unctus. Ungebantur autem reges, summi sacerdotes et Prophetae; Christus vero dictus est unctus quia rex, sacerdos et propheta. Sic appellatur Dominus *Deuteronomio* capite 18: *Prophetam... suscitabit tibi Dominus de fratribus tuis*, etc. Christus autem in sacrosancto hoc Evangelio vel maximum prophetam se ostendit. Totum enim vaticinatio est futurorumque praedictio. Praecepit autem Deus ut obediret populus omni prophetae loquenti in nomine Domini, facienti signa et non avertenti populum a Deo ad idola; hinc summopere obediendum est Christo ».

Et paulo post; « Tres legimus Iesu nomine appellatos: Iosue summum ducem, Iesum filium Iosedech summum sacerdotem et Isaiam summum prophetam. Primus introduxit populum in terram promissionis, secundus reaedificavit templum, tertius praedixit ruinam Ierusalem per babylonicam captivitatem. Sic Christus, etc. ». 43) Lc 21, 7. 44) Mt 24, 3.

ducentur in omnes gentes; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Tribulatio ergo haec quattuor includit: occisionem, captivitatem, conculcationem Ierusalem et temporis diuturnitatem. Siquidem O s e a s luce clarius [dicit] quod durabit haec captivitas usque ad finem mundi;[45] tunc ergo finem accipiet Iudaeorum tribulatio; et propterea verissime dicit Dominus quod *statim post tribulationem dierum illorum*, idest finita omni hac tribulatione populi huius, *sol obscurabitur*, etc., idest non multis post diebus *erit consummatio saeculi*, cuius haec *erunt signa in sole et luna et stellis*,[46] quia *sol obscurabitur*, etc.

et deinde finem mundi.

V. Non immerito Dominus una coniungit destructionem Ierusalem et templi cum consummatione mundi, et de illa prius, de ista vero posterius loquitur. Nam sicut antequam aedificari coepisset tabernaculum divinum dedit Moysi totius aedificii exemplar,[47] et antequam aedificatum esset templum a Salomone datum fuit exemplar eius Davidi,[48] ita destructio Ierusalem et templi voluit ut esset veluti exemplar quoddam consummationis saeculi. Civitas et templum flammis exusta sunt, ita et mundus flammis exuretur et destruetur.

Una coniungit destructionem Ierusalem cum consummatione mundi, quia illa figura istius fuit,

Coniungit etiam Dominus haec duo simul, ut visa veritate prioris, certissime ac firmissima fide teneremus veritatem posterioris. Praedixit Dominus destructionem civitatis; quamvis autem Iudaei id minime crederent, infallibiliter evenit quod praedixerat Dominus. Praedixit Christus consummationem mundi, et quamvis incredibile videatur, certissime tamen adveniet. Una autem cum consummatione saeculi praedicit adventum suum ad iudicandum vivos et mortuos, iustos et iniustos, et quamvis impius mundus id minime credat, infallibili tamen veritatis certitudine vaticinium istud implebitur. Huius autem veritatis veluti exemplum iugiter nobis prae oculis habendus est ierosolymitanum excidium.

et ut visa veritate prioris, certissime teneretur veritas posterioris.

Non agit nobiscum Deus sicut venator contra feras, qui in insidiis positus, cum silentio expectat ut iaculum iaciat, feriat et occi-

45) Cf. 3, 4. 46) Lc 21, 25. 47) Cf. Ex 25, 40; 26, 30. 48) Cf. 1 Par 28, 19.

monens nos ut flagella irae Dei effugiamus.

dat, sic et aucupes faciunt ut aves capiant; sed videtur facere uti agrorum custodes, qui ponunt in eis terriculamenta et clamant, ut aves aufugiant et seminata non comedant. Ita Deus antequam irae suae flagella contra peccatores mittat, altis vocibus multisque comminationibus clamat: ita cum diluvium misit, per Noe illud praedixit;[49] ita cum Pentapolim succendere voluit, Abrahae et Loth revelavit;[50] cum famem septem annorum adducere, praemonstravit eam in visionibus Pharaoni et Ioseph sancto iuveni revelavit;[51] ita cum Aegyptum flagellare,[52] ita cum Ierusalem in manus regis Chaldaeorum tradere, per multos Prophetas illud praedixit;[53] sic et cum Ninive subvertere voluit, Ionam misit ut eam subversionem praedicaret; quia vero Ninive poenitentiam egit, evasit iram omnipotentis Dei.[54] Propterea Deus praedicit futuras clades et tribulationes, ut poenitentiam de peccatis nostris cum Ninivitis agentes flagella irae eius effugiamus.

Hoc significatur apud Ieremiam

Hoc est mysterium illud Divinae Scripturae cum Dominus Ieremiam in domum figuli misit, cumque Ieremias figulum vidisset ex luto vas quoddam effecisse, postmodum vero destruens illud, ex eadem materia vas aliud effecit,[55] tunc Dominus ad Ieremiam: *Nunquid non sicut figulus iste potero facere vobis, domus Israel ?... Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et disperdam et destruam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum... agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem.*[56] Hoc item quod apud Ezechielem Dominus ait: Etiam *si dixero impio: Morte morieris, et* conversus *egerit poenitentiam a peccato suo... vita vivet.*[57] Sic luce clarius patet in Ezechia rege, cui cum ex ore Domini dixisset Isaias: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives,*[58] tamen quia rex conversus cum lacrimis oravit ad Dominum pro salute sua, statim remisit ad eum Deus eundem Prophetam qui fuerat nuncius mortis, ut esset nuncius vitae; sic, largiente Deo, quindecim annis ab illa mortali infirmitate convalescens supervixit.[59]

et Ezechielem, patet in Ezechia,

49) Cf. Gn 6, 12-14. 50) Cf. ibid. 18, 20; 19, 1-15. 51) Cf. ibid. 41, 1-36.
52) Cf. Ex 3, 19-20. 53) Cf. Is 13, 1 sqq.; Ier 21, 1 sqq.; 25, 1-16; 26, 1-6; Os 8, 1 sqq.; Mich 1, 1 sqq., 3, 12. 54) Cf. Ion 1, 1-2; 3, 1 sqq. 55) Cf. Ier 18, 2-4.
56) Ibid. vrr. 6-8. Vulg.: *Non potero vobis... adversus gentem. Destruam et disperdam,* etc.
57) 33, 14-15. 58) 38, 1. 59) Cf. ibid. vrr. 2-5.

Agit nobiscum Deus uti Ioab cum civitate Abela, quam suo exercitu obsidens oppugnabat, cum tamen civitas esset sui regis; sed oppugnabat eam, quia in eam se receperat Siba inimicus regis, qui contra regem movit seditionem; quod nisi sapientis mulieris consilio viri civitatis Sibam occidissent eiusque caput extra civitatem proiecissent, civitas utique a Ioab destructa fuisset; sed illo occiso, soluta obsidio est et civitas liberata.[60] Abela luctum significat, quapropter civitas Abela vere mundi huius simulacrum est, in quo positus est homo ad lugendum. Siba quid nisi peccatum est animusque peccandi? Siba interpretatur septem. Sunt autem peccata capitalia septem, unde peccatum serpens est habens capita septem. Dicitur autem hic Siba *filius Bocri*, idest primogeniti; diabolus vero *principium est viarum Dei*,[61] peccatum vero partus est diaboli, ipse peccatum peperit mundo.

significatur etiam in liberatione Abelae.

Oppugnat Deus mundum multis tribulationibus: fame, peste, bellis, infirmitatibus et aliis, nonnisi propter peccatum, alioquin enim mundus civitas Dei est, creatura Dei, etc. Si vere Sibam hunc occiderimus, cessabit omnis adversitas. Deus enim per unum Angelum suum in nocte una destruxit omnem exercitum Sennacherib, centum octoginta quinque millia militum, et sic bellum statim in summam pacem redactum est.[62] In Samaria iuxta verbum Elisei prophetae penuria in abundantiam, fames in saturitatem uno die redacta est.[63] Cum enim tanta esset fames ut caput asini octoginta argenteis venderetur,[64] in crastinum facta est summa abundantia. Deus item in Ierusalem perniciosissimam pestem uno momento ad regis David orationem extinxit;[65] Deo enim nihil est impossibile, omnipotens est, omnia facillime potest. O pauperes, si fame laboratis, animum peccandi dimittite, quia Deus potest modicum panem augere vobis sicut Christus turbis,[66] modicum farinae et olei sicut Elias propheta pauperculae viduae sareptanae[67] et Eliseus oleum in vasis viduae egenae.[68] Sic Deus omnia potest, qui sitienti populo in deserto ex petra flumen aquarum deduxit[69] et esurienti manna de coelo

Propter peccata Deus mundum flagellat; relinquantur ergo peccata et poenae cessabunt.

60) Cf. 2 Rg 20, 14-22. 61) Iob 40, 14. Vulg.: *Est principium.* etc. 62) Cf. 4 Rg 19, 35; 2 Par 32, 21-22. 63) Cf. 4 Rg 7, 1 sqq. 64) Cf. ibid. 6, 25. 65) Cf. 2 Rg 24, 15 sqq.; 2 Par 21, 14-28. 66) Cf. Mt 14, 15-21; 15, 32-38; Mc 6, 35-44; 8, 2-9; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 67) Cf. 3 Rg 17, 13-16. 68) Cf. 4 Rg 4, 1-7. 69) Cf. Ex 17, 1-6; Nm 20, 8-11.

pluit eoque cibo per annos quadraginta innumerabilem populi multitudinem pavit. [70]

Videmus in hodierno Evangelio amorem Dei in electos, odium vero in reprobos,

VI. Videmus in sacrosancto odierno Evangelio amorem Dei in electos, odium vero in reprobos; erga illos misericordiam, contra hos vero iustitiam. Hic enim praedicitur destructio Ierosolymae in poenam peccati occisionis Christi: ecce opus iustitiae et irae; admonentur electi ut fugiant ab ira ventura: [71] ecce opus misericordiae et amoris. Opus iustitiae, quia inquit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi ... neque fiet,* [72] siquidem *iuxta mensuram delicti erit et plagarum modus;* [73] opus vero misericordiae, quia *propter electos breviabuntur dies illi.* [74]

misericordiam atque iustitiam.

Tria ergo divina sacramenta vel maxime conspicimus in sacrosancto hoc Evangelio: amorem Dei erga electos, misericordiam atque iustitiam, ob quae praecipue creatus est homo. Sicut enim ad ostendendos innumeros potentiae, sapientiae et bonitatis suae thesauros μακρόκοσμον [75] hunc creavit Altissimus, ita ad ostendendos thesauros misericordiae, iustitiae et caritatis suae hominem μικρόκοσμον creare voluit.

Omnis qui peccat Christum occidit.

Ierusalem quia Christum occidit, destructa est; omnis autem qui peccat, Christum occidit: *Iterum Filium Dei crucifigentes et ostentui habentes;* [76] quare omnis peccator destructionem mortis aeternae ob peccatum meretur. Si Ierusalem de peccato suo poenitentiam egisset, nequaquam fuisset destructa; per poenitentiam enim omnia peccata delentur; at *voluntarie ... peccantibus ... non relinquitur hostia pro peccatis; terribilis autem quaedam expectatio iudicii et aemulatio ignis* aeterni. [77]

Novit Dominus pios de tentatione eripere, impios vero in diem iudicii servare cruciandos: ita populum de Aegypto, [78] Loth a Sodomis, [79] Abraham de Ur Chaldaeorum, [80] Noe a diluvio, [81] tres pueros de camino ignis ardentis, [82] Danielem de lacu leonum. [83]

70) Cf. Ex 16, 15 sqq. 71) Cf. Lc 3, 7. 72) Mt 24, 21. 73) Dt 25, 2. Vulg.: *Pro mensura peccati,* etc. 74) Mt 24, 22. 75) Ms.: *Macrocosmon,* et infra: *Microcosmon.* 76) Hebr 6, 6. Vulg.: *Rursum crucifigentes sibimetipsis,* etc. 77) Ibid. 10, 26-27. Vulg.: *Pro peccatis hostia... et ignis aemulatio.* 78) Cf. Ex 14, 23 sqq. 79) Cf. Gn 19, 1-25. 80) Cf. ibid. 11, 31. 81) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 82) Cf. Dn 3, 23-24. 83) Cf. ibid. 6, 16-22; 14, 30-40.

Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui[84] et salvum faceres populum tuum, *Deus meus, sperantem in te.*[85] Hi sunt vere electi, qui Deum filiali et reverentiali timore timent, qui Deum diligunt, qui Deo tanquam summo regi serviunt quique in Deum sperant et digni sunt salute; hi sunt de quibus dicit: *Sed propter electos breviabuntur dies illi.* His hodie Christus dat signum *ut fugiant a facie arcus* iustitiae et irae divinae. Arcus enim hic, qui in primo Christi adventu in coelum versus fuit, quia Christus pati pro mundi peccatis voluit, in secundo versus erit in terram, quia peccatores pro peccatis suis damnabuntur sententia illa: *Ite, maledicti*, etc.;[86] electi vero signa accipiunt *ut liberentur a facie* huius *arcus* et salventur, positi ad dexteram iudicis audituri: *Venite, benedicti*, etc.[87]

Electis suis hodie Christus dat signa ut fugiant ab ira divina.

84) Ps 59, 6. 85) Ps 85, 2. 86) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.*
87) Ibid. vr. 34. Deinde, alba relicta reliqua parte folii 60ᵃ, in altero versu ponitur hoc fragmentum, quod est veluti summarium totius hodierni Evangelii:

« *Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, qui legit intelligat, stantem*, etc. Duo iudicia continentur in sacrosancto hodierno Evangelio: unum quidem temporale et particulare super Ierusalem et gentem Iudaeorum, alterum vero universale et aeternum super omnes gentes. Et particulare quidem ac temporale typus atque figura vel signum universalis aeternique esse videtur. Proprium enim Dei esse videtur ut, cum facinus aliquod facturus est, antequam faciat, det signa aliqua eius quod facturus est, vel saltem Prophetis illud revelet. Sic enim missurus diluvium, ante per centum annos revelavit Noe; missurus ignem super pessimas civitates, ante revelavit illud opus Abrahae; si missurus erat famem septem annorum super terram, revelavit ante per duas visiones in somno Pharaoni; si exaltaturus erat Ioseph, per duas visiones manipulorum et solis, lunae atque stellarum undecim adorantium eum id notum illi fecit; si ablaturus erat regnum a domo Saul, in abscissione palii Samuelis signum dedit ei, sic enim Samuel ait, scisso pallio: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie;* si facturus erat David regem, ante ungi eum fecit a Samuele; si divisurus erat regnum Israel in duo regna ob peccata Salomonis et daturus decem tribus Ieroboam, huius rei signum dedit ipso Ieroboam Ahias propheta accipiens pallium suum novum et dividens in duodecim partes dansque decem partes ipsi Ieroboam; sic etiam pincernae et pistori Pharaonis per somnia revelavit quae illis eventura erant, sic Nabuchodonosor per visionem statuae et arboris. Cum destruere vellet civitatem Ierusalem et regnum Iudaeorum per Nabuchodonosor regem Babylonis, iussit prophetae Ieremiae ut lagunculam in manu acciperet eamque in conspectu populi contereret, dicens quod sic contriturus erat Dominus civitatem Ierusalem et regnum Iuda. Ita Deus facturus tandem opus universalis iudicii, id per multos Prophetas mundo revelavit, maxime vero omnium per Christum. Hinc hodie Dominus locuturus de extremo iudicio, de mundi totius destructione, prius loquitur de destructione civitatis Ierusalem, quae futura erat in signum destructionis totius mundi; nam et civitas Ierusalem et templum sanctum Dei mundanae huius machinae figurae quaedam erant et simulacra ».

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere, etc. [1]

Hodiernum Evangelium summa est totius theologiae.

I. In hodierno Evangelio Divi Matthaei Angelus proponit nobis parabolam mysteriis et sacramentis plenam, quae thesaurus est coelestis philosophiae divinaeque sapientiae, compendium totius theologiae, summa totius evangelicae doctrinae. Quattuor sunt de quibus in universum pertractat divina philosophia sacraque theologia: Deus, qui mundus est archetypus; natura universalis, quatenus a Deo creata rectaque est diciturque μακρόκοσμος, [2] mundus magnus mundusque somaticus; Ecclesia, quae mundus est sacer, mundus pneumaticus, spiritualis; et tandem mundus supercoelestis et empyricus, qui dicitur paradisus. Agit, inquam, de mundi creatione, de humani generis redemptione et de electorum glorificatione; de Deo auctore naturae, fonte gratiae et sole gloriae.

agit enim de Deo, de mundo, de Ecclesia, de paradiso.

De his omnibus agitur in hodierno Evangelio. Deus proponitur in persona hominis patrisfamilias, mundus designatur per forum in quo reperiuntur homines otiosi, Ecclesia per vineam ad quam colendam conducuntur operarii, paradisus per domum patrisfamilias, ubi post labores datur merces operariis. Dicitur Deus homo, quia suapte natura ipse est omne bonum, paterfamilias quatenus auctor est naturae, exire ad conducendum operarios in vineam suam quatenus fons gratiae, et tandem dare mercedem operariis quatenus sol est et thesaurus gloriae. Hoc est *regnum coelorum.*

Est hodiernum Evangelium veluti mundi theatrum, mappa

1) Pericope huius diei Mt 20, 1-16. Cf. Missale Rom. 2) Ms.: *Macrocosmos.*

mundi, in qua non unus tantum, sed quattuor describuntur mundi. Hodie Ecclesia incipit legere [3] librum *Geneseos*, [4] in qua describitur mundi creatio, fabrica magnae huius machinae. Hodiernum autem Evangelium, uti diximus, quattuor mundos sapientissime describit.

II. Dei hic describitur natura, virtus et operatio: natura, hominis hieroglyphico, virtus et operatio, paterfamilias. Pater, *Antiquus dierum*, [5] *ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur*, [6] cuius familia est creatura omnis quae in terra, in coelo et supra coelum reperitur; paterfamilias, quia cum ipse prima sit rerum omnium causa et principium, a nulla re dependet et omnia dependent ab eo. Describitur virtus: *Quia ego bonus sum*, [7] quia: *Licet mihi quod volo facere ;* [8] *Ita, Pater, quoniam sic beneplacitum fuit ante te ;* [9] describitur operatio: *Exiit primo mane*, etc.; agitur hic de divina praedestinatione, vocatione, iustificatione, magnificatione et glorificatione: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ; quos autem*, etc.; [10] describitur Dei bonitas, misericordia et iustitia: *Quod iustum fuerit dabo vobis ;* [11] iustitia erga primos et misericordia erga novissimos; magna misericordia, cuius magnitudine etiam nonnulli electorum quodammodo scandalizari videntur: *Murmurabant adversus patremfamilias dicentes : Hi novissimi*, etc. [12] Efficax videtur eorum ratio, rationabilis eorum murmuratio.

Hic describitur Dei natura,

virtus et operatio,

misericordia et iustitia.

Dixit Deus Abrahamo: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* [13] Merito quidem *magna*, quoniam Deo servivit annis centum et septuaginta quinque [14] similiter Isaac et Iacob, et ante eos Noe, qui Deo nongentis quinquaginta annis servivit. [15] Quam mercedem accepit? Denarium diurnum, vitam aeternam in coelis, gloriam paradisi in empyreo. In Novo autem Testamento servivit Christo Petrus annis circiter triginta novem; [16] Paulus triginta quinque; [17] Iacobus, frater Ioannis, fere tredecim, primus Apostolorum

Denarium diurnum significat hic gloriam paradisi.

3) Cf. Breviarium Rom. 4) Cf. 1, 1 sqq. 5) Dn 7, 9. 6) Eph 3, 15. 7) Mt 20, 11. 8) Ibid. 9) Ibid. 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum*, etc. 10) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis*, etc. 11) Mt 20, 4. 12) Ibid. vrr. 11-12. 13) Gn 15, 1. 14) Cf. ibid. 25, 7. 15) Cf. ibid. 9, 29. 16) Cf. Caes. Baronius. *Annales Eccles.*, anno 69, t. 1, pag. 629-631. 17) Cf. ibid.

ab Herode martyrio coronatus;[18] Stephanus vix per annum post quam ab Apostolis electus fuit diaconus,[19] latro in cruce vix per horam Christo servivit, et qua mercede donatus est? Vita aeterna, gloria paradisi, eandem accepit mercedem, eundem denarium diurnum et primus omnium a Christo audivit: *Hodie mecum eris in paradiso.*[20] Merito igitur videntur conqueri primi vineae cultores: *Hi novissimi una hora fecerunt et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus.*[21]

Mirabili artificio Christus utitur ad ostendendum quam iusta sint divina iudicia

Neque tamen credendum est quod in coelo sit invidia aut murmuratio, sed sicut Divina Scriptura ait, quod poenituit Deum quod hominem fecerit in terra[22] ad ostendendam peccati gravitatem, quoniam si in Deo cadere posset poenitentia et dolor, sic doluisset, sic utique si in Beatis cadere posset invidia, murmurarent de huiuscemodi facto; vel quod lumine naturalis rationis et vi propriae intelligentiae capere non possunt tale tantumque mysterium. Remanet enim in Beatis naturalis ratio sicut et naturalis voluntas, qua etiam damnatis vellent succurrere, unde legimus: *Chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint,*[23] quamvis deliberata voluntate unus sint spiritus cum Deo, sicut Christus naturali voluntate voluisset mortem effugere, sed deliberata aiebat: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*[24] Ita etiam remanet naturalis ratio, quae non omnia capit, unde etiam inter Angelos legimus diversas opiniones: *Princeps... regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus.*[25] Quare ad capiendum tale tantumque mysterium superiori lumine opus est: *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est et vade... Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?*[26] Quoniam autem dispositio haec divini consilii vere mirabilis est, supra naturam, ita ut prima facie non admodum rationabilis videatur, Christus mirabili hoc artificio usus est ad ostendendum quam iusta et rationabilia sint divina iudicia, absque ulla penitus iniustitiae nota.

18) Cf. Act 12, 2; Caesar Baronius *Annales Eccles.*, anno 44, t. 1, pag. 288.
19) Cf. Act 6, 5-7, 1 sqq. 20) Lc 23, 43. 21) Mt 20, 12. 22) Cf. Gn 6, 7.
23) Lc 16, 26. 24) Mt 26, 39. 25) Dn 10, 13. 26) Mt 20, 13-15.

Describitur Dei caritas et quam ardens sit in divino pectore salutis nostrae desiderium. Nam surgit a lecto primo mane, exit extra domum in plateam ipse in persona ad conducendos operarios in vineam suam, cum tamen ipse bonorum nostrorum minime indigeat,[27] solus sibi sufficit, fons perennis omnium bonorum, inexiccabilis ad irrigandam universam terram.

Describitur Dei caritas, fons omnium bonorum;

Mundus autem forum describitur hominum otiosorum: *Quid hic statis tota die otiosi ?*[28] Otiatur qui nihil agit, et tamen mundus totus innumeris negotiis plenus est. Sed Christus theologice loquitur, sicut Paulus: *Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam et... omnem fidem, ita ut montes transferam, nihil sum ; et si distribuero*, etc., *nihil mihi prodest.*[29] Sic Christus mundum vocat plateam forumque hominum otiosorum. O mirabilem descriptionem mundi! Quid mundus hic est? Forum, emporium, ubi conveniunt magna hominum multitudo, ubi venalia omnia adducuntur, ubi fiunt negotia omnia mercaturae. Pulcrum spectaculum; sed nihil fit, inquit, in hoc foro, nihil sunt omnia: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[30]

describitur mundus, forum otiosorum.

III. Mirabili sapientia et magisterio Christus omnes quattuor mundos in hodierno Evangelio describit. Deum describit semper operantem: *Pater meus usque modo operatur et ego operor;*[31] est sicut sol qui semper operatur, semper lucem influit, sicut coelum in motu perpetuo. Mundum autem describit in otio, sicut terra quae nunquam movetur: invenit *stantes in foro otiosos.*[32] Sicut in Divinis Litteris gratia Spiritus Sancti et ipsemet Spiritus Sanctus nunc dicitur *ignis*,[33] nunc *aqua:*[34] *ignis*, quoniam accendit cor flamma coelestium desideriorum, *aqua*, quia extinguit ardorem carnalis concupiscentiae facitque ut frigeat animus ad mundana, ubi ante gratiam animus ignis est ad mundana, sed glacies frigidissima ad divina. Ita plane labor mundanus otium est, quia apud Deum, aequissimum rerum aestimatorem, nihili haec habentur, hinc Paulus omnia arbitrabatur ut stercora.[35]

Describit Christus Deum semper operantem, mundum otio torpentem;

27) Cf. Ps 15, 2. 28) Mt 20, 6. 29) 1 Cor 13, 2-3. 30) Eccle 1, 2; 12, 8.
31) Io 5, 17. 32) Mt 20, 3. 33) Cf. Lc 12, 49. 34) Cf. Ez 36, 25; Io 4, 13-14.
35) Cf. Phil 3, 8.

Ecclesiam vineam Dei dilectissimam,

Ecclesiam describit similitudine vineae, sed vineae regiae, nam hic paterfamilias rex est: *Simile est regnum coelorum ; Vinea ... Domini exercituum domus Israel est et vir Iuda germen eius delectabile ;* [36] vinea regis dilectissima, quam suis manibus plantavit: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis ;* [37] sic etiam apud Isaiam legimus. [38]

locum laboris;

Sed ut fructificet opus habet cultura, diligentibus operariis ut faciat fructum: *Expectavi ut faceret uvas ;* [39] *Expectavi ... iudicium ... et iustitiam ;* [40] *Declina a malo et fac bonum, inquire pacem,* etc. [41] Magno opus est labore ad colendam vineam, ad fodiendam et refodiendam eam, ad putandam et pastinandam eam. Ecclesia igitur locus est non quietis, sed laboris et diligentis operationis: *Exiit conducere operarios in vineam suam ... Portavimus pondus diei et aestus ; Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* [42] Docet Paulus hodie quomodo colenda sit haec vinea: *Ego sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo ... ne ... reprobus efficiar.* [43] Curro, inquit, in stadio ut bravium accipiam, pugno, contendo in agone, ab omnibus me abstinens, ut coronam accipiam incorruptam. [44] Abstineo et sustineo; [45] abstineo ab his quae placent carni, sustineo propter Deum quae displicent.

paradisum locum quietis et mercedis.

Tandem Dominus paradisum describit locum quietis post laborem, ubi laborum merces recipitur: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam *incipiens a novissimis usque ad primos.* [46] Deus cum perfecisset mundi creationem, quievit ab omni opere; [47] sic operarii nunc vocantur ad quietem, sicut et ipse Deus hic prius describitur in motu et postea in quiete, nam dixit procuratori: *Voca operarios et redde illis mercedem.*

Fit transitus hodie a quiete ad laborem et postea a labore ad

36) Is 5, 7. 37) Mt 21, 33. 38) Cf. 5, 1-7. 39) Ibid. vr. 4. 40) Ibid. vr. 7. 41) Ps 33, 15. Vulg.: *Diverte a malo,* etc. 42) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Fratres... satagite,* etc. 43) 1 Cor 9, 26 sq. Cf. Missale Rom. 44) Cf. ibid. vrr. 24-25. 45) Alludit ad celebre dictum Epicteti Cynici: « Sustine, abstine », de quo cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 952. 46) Mt 20, 8. 47) Cf. Gn 2, 2.

quietem. Quies mundi quies est carnis, sed maximo cum spiritus labore, hinc Christus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos:* ecce labor vineae, *et discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* sed labor hic est cum quiete spiritus: *Invenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [48]

Quies mundi labor est spiritus.

IV. Duplex vocatio reperitur in hodierno Evangelio: prior est a quiete ad laborem: *Conducere operarios in vineam;* posterior ad quietem a laboribus: *Voca operarios.* Vita aeterna, quae hodie per denarium diurnum describitur, merces est laborum in vinea Domini. Qui [non] laboravit, mercedem non accipiet, nam ait: *Voca operarios; Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit,* [49] non accipiet bravium nisi qui in stadio cucurrerit et sic cucurrerit ut comprehendere possit. Qui vocari vult ad quietem et ad mercedem accipiendam, promptum se exhibeat cum prius vocatur ad labores vineae, nam non transitur nisi a laboribus ad quietem, ab operibus ad mercedem, a meritis ad praemia.

Vita aeterna merces est laborum in vinea Domini.

Septem diebus absolvit M o y s e s creationem mundi, nam septimo die complevit Deus omne opus. [50] Christus autem hodie de divino mundo septem declarat: primo naturam: homo; secundo aeternitatem et antiquitatem: paterfamilias, prima omnium rerum causa; tertio virtutem omnipotentem: *An non licet mihi quod volo facere? Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* [51] quarto bonitatem et liberalitatem: *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum;* quinto iustitiam: *Quod iustum fuerit dabo vobis; Non facio tibi iniuriam;* sexto dominium et possessionem: erat paterfamilias dominus domus, dominus vineae; septimo providentiam curamque sollicitam rerum suarum, maxime sollicitudinem de cultura vineae suae, haec enim erat veluti paradisus et locus deliciarum eius: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* [52] Haec unica videtur eius esse possessio.

Hac parabola Christus septem declarat de Deo.

De mundo Christus haec declarat: quod sit forum, emporium

48) Mt 11, 28 sqq. 49) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Coronatur. Coronabitur* lect. cod.
50) Cf. Gn 2, 1-2. 51) Lc 1, 37. 52) Prv 8, 31.

quattuor de mundo, rerum venalium, locus latus et spatiosus, quoniam *lata . . . et spatiosa via est quae ducit ad perditionem;* [53] locus mercaturae, nam: *Pecuniae obediunt omnia,* [54] omnes mammonae serviunt; quod in hoc foro sunt homines qui Deo minime serviunt, apti tamen ad serviendum et laborandum in vinea Domini: *Invenit stantes in foro otiosos,* nihil agentes; quod hinc conducuntur ad vineam excolendam: *Facta . . . conventione.*

quinque de Ecclesia De Ecclesia, quod sit vinea non Sodomorum, [55] sed patrisfamilias, *Domini exercituum;* [56] quod sit singularis Dei possessio: *Dominus vineae;* quod opus habeat cultura; quod Deus summa cum diligentia curat ut Ecclesia, haec Domini vinea, ut par est, excolatur; quod operariis magnam promittit mercedem: *Quod iustum fuerit dabo vobis.*

et quinque de gloria paradisi. De gloria paradisi, quod sit merces bonorum operum et laborum in vinea Domini; quod merces haec accipiatur in domo patrisfamilias, in regno coelorum a procuratore eius Christo; quod sit thesaurus magnus in coelo, incorruptibilis gloriae corona; aequalis omnibus electis et iustis quoad obiectum gloriae et quoad aeternitatem vitae animique plenam ac perfectam felicitatem et laetissimam iucunditatem, quoniam etiam omnes erunt filii Dei et fratres Christi; inaequalis quoad gradum honoris, quoniam hic erit veluti maior filius, ille vero ut minor, iuxta rationem meritorum et perfectionem virtutum: *Reddet* enim *uniquique secundum opera sua.* [57]

53) Mt 7, 13. 54) Eccle 10, 19. 55) Cf. Dt 32, 32. 56) Is 5,7.
57) Mt 16, 27. Vulg.: *Opera eius*, etc.

APPENDIX PRIMA

DOMINICALE TERTIUM

DOMINICA I ADVENTUS

Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium, etc. Vaticinatur hodie Dominus de suo adventu ad iudicium: *Tunc parebit signum Filii hominis; Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.* In hoc autem vaticinio tria nobis consideranda sunt, quae Dominus de futuro hoc mysterio docet: unum est, quod credibile ac credendum est, quia a Summa Veritate summa cum asseveratione asseritur, est nanque unum ex praecipuis fidei nostrae dogmatibus atque articulis; alterum est, quod sit valde terribile et formidandum: *Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium, arescentibus hominibus prae timore*; tertium est, quod sit desiderabile et expectandum: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Quoad primum, credibile est, quoniam dictum Christi est; dictum Dei est summa fide dignum, quoniam Deus veritas est; dictum autem magna cum asseveratione: *Non praeteribit generatio haec donec omnia fiant; coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* De mundo tria credenda sunt: creatio, conservatio et consummatio; creatio per divinam potentiam, conservatio per divinam providentiam et consummatio per divinam iustitiam. Sicut autem credimus mundi creationem et conservationem, ita mundi finem et consummationem.

Est fides nostra veluti sertum illud et corona stellarum duodecim in coelestis mulieris capite in *Apocalypsi*, quae designat Sanctam Ecclesiam sanctamque animam Christo deditam. In coelo est, quoniam *nostra... conversatio in coelis est;* lunam pedibus calcat: Qui non odit propter me *adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus; Qui non renunciat omnibus quae possidet; Ecce nos reliquimus omnia;* sole amicta, nam: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* fulgent stellae in capite per continuam meditationem mysteriorum fidei in mente, haec enim perpetuo meditanda sunt, hinc copiosus fructus. Sic enim Ioannes ait quod fides nostra vincit mundum, qui *totus in maligno positus est*, vincit omnem concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae, quae in mundo est.

Specialiter vero hodierni mysterii meditatio efficacissima est ad vitam recte instituendam, ad excitandum cor ad acre odium vitiorum et amorem virtutum, sicut in villici parabola legimus.

Nec tantum proponitur mysterium credibile et meditandum, verum et terribile et formidandum: *Arescentibus hominibus prae timore.* Haeretici Lutherani et Calvinistae ex novo evangelio una sola fide tuti, omnem divini iudicii timorem ex animis deposuerunt, quasi ad nihil aliud Christus venturus sit, nisi tantum ad infideles iudicandum. Sed non est opus, nam: *Qui... non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Divina autem Scriptura semper docet quod Christus venturus est ad iudicandum homines secundum opera. Sic Regius Vates: *Quia tu reddes unicuique secundum opera sua;* sic Paulus *ad Romanos: Reddet unicuique secundum opera sua;* sic Christus ipse: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui... et tunc reddet unicuique secundum opera sua;* sic Ioannes in *Apocalypsi* ait quod libri aperti sunt et iudicatum est de omnibus secundum opera sua. Sic *omnes... nos astare oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque... prout gessit* in corpore. Hinc timent etiam Sancti: *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur,* etc., quia *iustus vix salvabitur.*

Super omnia vero conscientia laesa est quae facit hominem timidum, qui enim pura sunt conscientia et solida pietate, audiunt a Christo hodie: *Respicite et levate capita vestra:* ne timeatis neque moestitia obruamini ut incedatis vultu demisso, sicut Cain invidia crepans quod Dominus respexisset *ad Abel et ad munera eius. Levate capita,* gaudete, laetamini, *quoniam appropinquat redemptio vestra,* qua *creatura Dei liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Omnis* enim *creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, revelationem filiorum Dei* expectans. Si enim dies iudicii erit formidabilis propter divinae iustitiae severitatem, est etiam desiderabilis propter divinae bonitatis caritatem; si formidabilis quia videbitur apertus infernus cum omnibus daemonibus et angelis damnatis, ipse etiam satanas, est etiam desiderabilis quia videbitur etiam paradisus apertus cum omnibus Angelis, cum omnibus Beatis, maxime vero Christus, *in quem desiderant Angeli prospicere;* si formidabilis propter divinam maledictionem, desiderabilis propter benedictionem. Revera formidabilis malis est et desiderabilis bonis, non enim damnabuntur nisi mali, sicut non salvabuntur nisi boni. Hinc Paulus in Epistola hodierna hortatur ad pie sancteque vivendum: *Hora est.... nos de somno surgere, nunc enim,* etc.

DOMINICA II ADVENTUS

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens, etc. Sunt hodie Ioannes et Christus sicut duo cherubim in sancto sanctorum qui seipsos versis vultibus mutuo aspiciebant, imo sicut duo Seraphim qui apud Isaiam seipsos invicem laudabant, dicentes *alter ad alterum... Sanctus, sanctus,* sed in laudem Dei: *Sanctus Dominus... exercituum.* Sunt enim Christus et Ioannes duo Angeli, sic appellati a Deo apud angelicum prophetam Malachiam: *Ecce ego mitto Angelum meum:*

hic est Ioannes testimonio Christi in hodierno Evangelio; *statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus testamenti :* hic est Christus quem Ioannes praecucurrit. Non solum Angelus Ioannes, verum etiam cherub et seraph, propterea dictus a Christo *lucerna ardens et lucens ;* sic et Christus cherub, quia Angelus testamenti, seraph, quia ipse tanquam ignis. Aspiciunt se mutuo, Ioannes Christum ex vinculis, Christus Ioannem in vinculis; nec solum aspiciunt, verum etiam collaudant. Christum quidem Ioannes, cum amplius praedicare non posset, laudat ut potest; fingit ad laudem et gloriam Christi et utilitatem discipulorum suorum et mundi ignorantiam, ignorare se an Christus esset verus Messias, propterea interrogat per discipulos: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?*

Honorat autem Christum Ioannes legatione hac, nam primo quidem per eam abiicit a se populi opinionem, qua ipse putabatur Messias quaque imbuti erant discipuli ipsum Christo praeferentes; hoc autem publico actu profitetur falsam esse opinionem, confitetur se non esse Messiam viderique sibi ex operibus quod Christus sit verus Messias et quod talis ac tantus sit ex operibus, quod dicto ipsius standum sit.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus ? Sic facto praedicat Christum prophetam esse summae veritatis, cui in omnibus et per omnia credendum est, ac sic instruit discipulos suos quid de Christo credendum ipsis erat mittitque ad Christum tanquam ad unicum et summum magistrum, quantoque maioris auctoritatis apud populum erat Ioannes, tanto haec legatio cessit in maiorem laudem et honorem Christi, quod Ioannes cupiebat.

Christus etiam aspexit hodie et laudavit Ioannem facto et dictis: facto quidem, quoniam, ut Lucas habet, susceptis nunciis, Christus coram ipsis multa operatus fuit miracula, ac tunc dixit: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis,* volens ab operibus agnosci et simul per vaticinia Isaiae respondens; sic facto Christus honoravit Ioannem dum in ipsius gratiam tam multa fecit miracula. Dictis etiam, nam habuit concionem de laudibus Ioannis et ante mortem ipse Summus Pontifex Ioannem in ordinem Sanctorum redegit, Sanctorum catalogo inscripsit et nobilissimo encomio Ioannem glorificavit: *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?* Laudat a constantia, laudat ab asperitate vitae, laudat ab excellenti sanctitate: Plus quam propheta; *Non surrexit maior;* laudat ab officio, a dignitate officii, quoniam legatus Dei, homo coelestis conversationis, Angelus in carne vitam ducens angelicam inter homines.

Duo habemus in hodierno Evangelio: unum spectans ad fidem, alterum ad mores. Ad fidem in legatione Ioannis: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* hoc est: Tu es verus ille Messias in Lege et Prophetis promissus ac propterea tantopere expectatus ? Hoc ipsum in responsione Christi quod opera ipsum esse ostendunt praeter prophetias. Ad mores spectat vita ipsius Ioannis a Christo publice praedicata et miris laudibus honestata ac in exemplum proposita.

Imitanda etiam pietas populi, nam relictis domibus et familiaribus curis, exibant in desertum ut viderent Ioannem, hominem sanctum, prophetam magnum, missum a Deo; instituebant ad eum sanctam peregrinationem pietatis et religionis gratia, ut audirent eum praedicantem et *confitentes peccata sua* baptizarentur ab eo, ita glorifi-

cantes Deum; quod quidem Lutherani et Calvinistae tanquam superstitionem vidissent[1] ac tanquam humanum inventum, sine Dei praecepto, magno cum stomacho respuissent. At Christus laudat hodie studium populi erga Ioannem et in Evangelio vituperantur scribae et Pharisaei, qui noluerunt glorificare Deum baptizati baptismo Ioannis. Imitandus hodie nobis Christus dum laudat Ioannem publice, nihil veritus iram Herodis; imitandus Ioannes, imitandus populus in bonum, etc.

DOMINICA III ADVENTUS

Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem ut interrogarent. Simplex videtur hodierni sacrosancti Evangelii historia legationis Iudaeorum ad Ioannem, ut scirent ab eo quisnam esset, praecipue vero an esset Messias vel saltem Elias aut propheta aliquis missus a Deo ad praenunciandum futurum Christi adventum. Proponuntur interrogata quaesitaque legatorum et responsa Ioannis nihilque aliud; sed in ea graphice describitur mundi huius ignorantia et in Ioanne hominis christiani sapientia, quae in cognitione sui ipsius et Dei Christique consistit. Quam caecus esset qui existimaret stellam luciferum solem esse ac interrogare an stella illa esset sol! Et tamen interrogant Ioannem Iudaei an ipse Christus esset.

Ostenditur autem quam claram cognitionem habuerit Ioannes et sui ipsius: *Non sum... non sum... son sum... ego vox clamantis in deserto ;* et Christi: *Medius ... vestrum stetit quem vos nescitis... Qui post me venit, ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti.* Sed non est animus de his rebus agendi. Pro nostro more duo nobis consideranda sunt: unum spectat ad doctrinam fidei, alterum ad emendationem morum, circa virtutes Ioannis et vitia Iudaeorum.

Quoad fidem proponitur in hoc Evangelio dignissimum gravissimumque de Christo Ioannis testimonium, quo ostenditur quid de Christo credendum sit; ita enim habet Textus: *Hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ut interrogarent eum,* etc. Missus fuit Ioannes a Deo ut testimonium perhiberet de Christo: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes ; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.*

Et saepe quidem Ioannes testificatus fuit de Christo quod esset *Filius Dei* et *Agnus Dei qui tollit peccata mundi ;* sed testimonium hodiernum est omnium solemnissimum, perhibitum coram viris magnae auctoritatis, coram legatis[2] principum ad hoc missis. Cum autem in teste tria praecipue requirantur: integritas vitae morumque, auctoritas et veritas, magna Ioannis auctoritas, ad quem principes mittunt honestissimam legationem sacerdotum et levitarum; orta autem erat auctoritas ex mirabili vitae sanctitate, de qua ingens fama ubique percrebuerat, ita ut videretur miraculum sanctitatis; sed deesse videtur veritas, cum Ioannes in suis responsionibus contrarius sit dictis Christi, qui est summa veritas; Christus enim de Ioanne ait

1) Ms.: *Vivissent.* 2) M.: *Legati.*

quod esset Elias et plus quam propheta; Ioannes autem utrunque negat. Sed videtur contradictio, non est, sicut aliquando Christus visus est sibimet contradicere cum ait apud Ioannem 5 capite: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*, et capite 8: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est;* utrunque hoc verum est; ita, etc.

In ipso autem testimonio videtur Ioannes arianus esse, quia Christum dicit factum: *Qui post me venit, ante me factus est.* Non autem secundum naturam humanam factus est ante Ioannem, cum secundum eam venire dicitur post Ioannem, quia post ipsum conceptus natusque mundo apparuit; ergo factus secundum divinam naturam; sed factum dicit, sicut: *Verbum caro factum est*, et: *Ante me factus est, quia prior me erat;* factus ante dignitate, honore, potestate, propterea sequitur: *Cuius non sum dignus*, etc. Talis, inquit, et tanta est Christi excellentia, ut ego, qui talis tantusque vobis visus sum, non sum dignus ut sim unus ex minimis et abiectissimis servis ipsius; propterea ait: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis*, quia *Deus absconditus.*

Videtur adhuc hodie Ioannes a Iudaeis argui de baptismo tanquam papista a Lutheranis et Calvinistis de operibus absque Dei praecepto: *Quid ergo baptizas ?* etc.; et tamen cum sine expresso Dei praecepto baptizaret Ioannes, commendavit Christus baptismum arguens Pharisaeos quod non glorificaverint Deum baptizati baptismo Ioannis.

Quoad mores habemus Ioannis veram solidamque humilitatem, qua existimabat se nihil esse: *Non sum... non sum... non sum;* vox sum quae prope nihil est. Sic ostendit se non esse arundinem vento agitatam. Laudatur hodie a Iudaeis et arguitur: *Quid ergo baptizas ?* Sed Ioannes nihil mutatur; ostendit animi constantiam in confessione Christi coram inimicis suis, ostendit[1] cognitionem sui ipsius et Christi, ostendit se nihil facere honores et favores mundi, ideo simplicissimis verbis respondit legatis Iudaeorum longe ab omni urbanitate.

In Iudaeis autem notatur prudentia quidem, sed mundana caecaque; palpant sicut caeci in meridie quaerentes, et cum audiunt a Ioanne: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis, cuius ego*, etc., non intelligunt nihilque de Messia quaerunt, signum quod non erat ipsis cordi veritatis huius cognitio motosque fuisse potius temporali aliquo respectu, ne propter rei novitatem reipublicae ipsorum mali aliquid accideret, quam causa cognoscendae veritatis adventus Christi.

DOMINICA IV AVDENTUS

Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato, etc. Introducitur mirabili cum pompa historici apparatus ab evangelista Luca principium praedicationis evangelii Christi per Ioannem Baptistam divina cum auctoritate: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, etc. Et videtur mirabile quod maiori

1) Ms.: *Ostendi.*

cum potestate introducitur praedicatio Evangelii quam introducta sit incarnatio Christi, sicut creatio hominis quam creatio mundi totius. Sed quia homo finis est creationis, ita praedicatio Evangelii finis incarnationis, nam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me ; Evangelium* enim, ut Paulus ait, *virtus... Dei est in salutem omni credenti.*

Cum igitur agatur de initio praedicationis Evangelii, videndum est quomodo coeptum sit Evangelium praedicari. Marcus enim referens historiam hodierni Evangelii brevius quam Lucas, sic ait: *Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce ego mitto Angelum meum... qui praeparabit viam ... ante te. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ostenditur autem quis praedicat, quomodo praedicat, quid praedicat, ubi praedicat, quibus praedicat et ad quid praedicat.

Praedicat Ioannes, Angelus Domini, vox clamans in deserto; praedicat divina auctoritate tanquam Dei legatus a Deo missus: *Fuit homo missus a Deo ; Ecce ego mitto Angelum meum ; Factum est verbum Domini super Ioannem ;* nam: *Quomodo ... praedicabunt nisi mittantur ?* Non venit ad praedicandum propria auctoritate Ioannes, non missus a Deo sicut falsi prophetae; missus a Deo fuit sicut Moyses, sicut Elias, sicut Isaias, sicut Ieremias.

Probavit autem se missum a Deo non quidem miraculis, sed Divinarum Scripturarum oraculis, quia scriptum erat quod Christum praecursurus erat magnus propheta, Angelus Domini vita, moribus, conversatione; non sicut Lutherus, Calvinus aliique haeresiarchae, [qui] ex Scripturis probare conati sunt missos se a Deo ad Ecclesiam reformandam. Sed in Scripturis non habemus quod venturi essent veri prophetae novi ad reformandam Ecclesiam, quibus sit obediendum, sed quod venturi essent falsi prophetae ad decipiendos homines, a quibus esset cavendum. Alias prophetias hac de re non habemus in Evangelio. Sicut igitur verum est Evangelium, ita verum est novos hos dictos apostolos, pseudoprophetas et falsos prophetas fugiendos, non audiendos esse.

Sed quodnam est Evangelium quod praedicat Ioannes? Haeretici, insignes secundum grammaticam theologi, Evangelium iuxta etymon definiunt quod sit bonum nuncium gratiae et misericordiae Dei, remissionis peccatorum et divinarum promissionum ac nihil aliud; excludunt ab Evangelio divina mandata, opera bona, minas terroresque divinorum iudiciorum. Sed non ita praedicavit Evangelium Ioannes, imo ait: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum ;* a poenitentia incepit et dignum fructum poenitentiae requisivit; fidem etiam, sicut apud Marcum legimus: *Poenitentiam agite et credite Evangelio ;* requisivit opera bona ab omnibus qui ad eum audiendum accedebant; minas etiam addidit: *Iam,* inquit, *securis ad radicem arboris posita est ; omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum,* etc. Praedicavit remissionem peccatorum, praedicavit regnum coelorum: haec sunt promissa divina; praedicavit Christum: *Ecce Agnus Dei,* etc. Sed non praedicavit fidem sine operibus, non remissionem peccatorum sine poenitentia, non regnum coelorum sine recta in coelum via, imo: *Dirigite,* inquit, *viam Domini, rectas facite semitas eius.* Praedicavit viam salutis, quae Christi Salvatoris sententia arcta est. Sic Ioannes

primus omnium Evangelii praedicator aliud plane quam lutheranum vel calvinianum evangelium praedicavit.

Nec tantum verbis, verum et cum primis quidem moribus et vita, propterea *vox* appellatur, totus enim vox erat. Multi enim voce quidem praedicant aedificantque, sed moribus et vita destruunt. Ioannes optimus praedicator moribus et vita, praedicationi Evangelii maxime operam dabat, vitam enim angelicam ducebat, propterea cum magno fructu[1] praedicavit Evangelium, undique enim peccatores ad eum veniebant et baptizati ab eo, *confitentes peccata sua*, Deum glorificabant. O si Ioannes praedicaret, quam multi peccatorum hominum poenitentiam agerent! Magis enim exempla movent quam verba.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

Erant Ioseph et Maria mater Iesu mirantes super his quae dicebantur. Habemus Evangelium de Christi Domini nostri gratiosissima ac supra modum mirabili infantia multis mysteriis plenum: *Erant*, inquit, *mirantes super his quae dicebantur de eo.* Nam, ut Isaias ait de hoc infante nato, est totus mirabilis: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis et vocabitur nomen eius admirabilis.* Habemus autem duo et ambo plane supra modum mirabilia de Christo in hoc Evangelio: mirabilem laudem et mirabilem prophetiam.

Laudatur Christus a Simeone, laudatur ab Anna prophetissa, laudatur ab Evangelista. Prima laus insinuatur supra modum mirabilis: *Erant... mirantes super his quae dicebantur.* Quae? Utique quae dicta erant a Simeone in cantico, quo Christum appellaverat *salutare* Dei *ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam* populi *Israel;* laus Annae prophetissae ponitur in genere: *Confitebatur Domino et loquebatur de illo omnibus expectantibus redemptionem Israel.* Evangelista narrat dulcissimi infantis huius mirabiles et manifestas laudes: *Puer autem crescebat et confortabatur* spiritu, *plenus sapientia et gratia Dei erat in illo. Quis audivit unquam tale ? et quis vidit huic simile ? Puer*, idest infans, *plenus sapientia et gratia ?* Hoc et Ioannes dicit: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis, et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Plenus sapientia et gratia* sicut sol luce. Magnum miraculum infans sapientia plenus et adeo plenus quod in ipso *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; magnum item miraculum puer plenus gratia Dei. Si gratia hic pro pulcritudine et venustate acciperetur, sicut cum dicitur: *Fallax gratia et vana est pulcritudo*, mirum esset videre infantem supra quam dici potest pulcherrimum, sed non esset novum, nam et Moyses infans pulcherrimus fuisse legitur, et Absalom; sed gratia Dei hic spiritualis est animae pulcritudo, in sanctitate consistens et innocentia ac virtutum omnium divino ornamento, quo anima Dei oculis supra modum pulcherrima gratissimaque ac

1) Ms.: *Fructum.*

proinde clarissima dilectissimaque sicut et simillima constituitur. Hoc miraculum: puer innocentissimus purissimusque ac superangelica sanctitate plenissimus Deoque super omnes Sanctos, super omnes electos, super omnes Angelos gratissimus carissimusque: *Gratia Dei erat in illo*, dilectissimus Deo super omnem creaturam et Dei amantissimus, etc.

Quoad prophetiam autem quattuor vaticinatur sanctus senex: *Ecce positus est hic in ruinam*, hoc primum, *et in resurrectionem multorum in Israel*, hoc secundum, *et in signum cui contradicetur*, sive, ut graece est, *cui contradicitur*, hoc tertium, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, hoc quartum. Est positus in ruinam per occasionem et in resurrectionem per causam; in ruinam ex divina iustitia, in resurrectionem per gratiam et misericordiam Dei; in ruinam propter incredulitatem et iniquitatem, et resurrectionem per fidem et pietatem; in ruinam Iudaeorum, in resurrectionem Gentium; in ruinam superborum, in resurrectionem humilium; in ruinam maxime ut iudex, in resurrectionem ut Salvator.

Sed in die iudicii videbitur insigniter quomodo in ruinam reproborum et in resurrectionem multorum positus sit Christus. Alluditur ad vaticinium Isaiae capite 8: *Dominum exercituum ipsum sanctificate*, etc. Requirit a nobis hoc vaticinium timorem et spem, ne nimio timore desperemus et ne spe absque timore nimium praesumamus; requirit etiam amorem et caritatem, propter tertiam partem vaticinii, quae de ipsius passione et morte est, unde appellatur *signum*, idest scopus aut vexillum contradictionis. Hoc illud est: *Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.* Unde quarta pars vaticinii de compassione Mariae in Filii passione: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, crucem dicit, quae Christo dum abstulit vitam, Mariae tanquam gladius acutissimus cor transverberavit. Vaticinatus est de martyrio Christi et de martyrio Mariae, sed hoc dicit spirituale futurum, quia animam tuam non corpus, inquit, *pertransibit gladius*, qui unicum Filium tuum transfiget.

Permiscentur in hoc Evangelio dulcibus amara:[1] Angelus dulcia tantum de Christo dixerat, pastores similiter et Magi, Simeon item in cantico nunc amara nonnulla permiscet et pro matre et pro nobis: pro illa, dum praenunciat Filii passionem, pro nobis autem, dum non tantum promittit resurrectionem, verum etiam minatur ruinam.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis, etc. Post declaratam Domini incarnationem, nativitatem, infantiam, sed ab Angelis, a pastoribus, a Magis, a Simeone propheta, ab Anna prophetissa et aliis, hodie declaratur Christi qualis fuerit pueritia. Non declaratur autem ab aliis, sed ipse Dominus seipsum declarat ostenditque quid lateret in homine, quomodo plenus erat gratia et veritate, sicut Ioannes de eo ait quod erat plenus gratia et veritate, quia *gratia et veritas*

1) Ms.: *Amaris.*

per Iesum Christum facta est. Hinc in fine hodierni Evangelii mentio fit de gratia et sapientia Christi: *Puer autem crescebat aetate et sapientia et gratia apud Deum et homines.*

Duo enim de Christo in hodierno Evangelio ostenduntur: sapientia et gratia; sapientia qua *invenerunt illum in templo*, etc.; *stupebant autem omnes... in prudentia et responsis eius ;* gratia vero, quae ad sanctitatem cultumque Dei spectat, qua remansit in Ierusalem Dei causa: *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse ?* et tamen *descendit cum eis... Nazareth et erat subditus illis.*

Puer ostenditur hodie Dominus supra modum mirabilis; in puero enim duo sunt supra modum mirabilia: sapientia prudentiaque et pietas ingensque devotio ex animo et sincero corde procedens.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae et erat mater Iesu ibi, etc. Habemus in hodierno Evangelio illustre divinumque miraculum, quod primum fuit omnium miraculorum Christi, miraculum magnum quoad historiam, magnum item quoad mysterium. Quoad historiam quidem, quoniam sicut Moyses ad fidem faciendam quod missus esset a Deo ad salutem populi, multa fecit miracula, sed unum ex primis fuit quod aquam convertit in sanguinem, ita Christus hoc primum miraculum edidit, quo aquam convertit in vinum, quod in Scripturis uvae sanguis appellatur. Facinus autem Moysi fuit quidem magnum miraculum, sed non beneficium; facinus autem hoc Christi simul et miraculum et beneficium, opus potentiae et clementiae Dei.

Quod autem spectat ad historiam, ostendit I o a n n e s non solum auctorem huius miraculi finemque ad quod factum fuit, nam: *Manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius*, verum et materiam in qua factum fuit et formam, quomodo factum fuit, nempe solo nutu voluntatis Christi, cum circumstantiis loci, temporis, personarum, quae testes fuerunt miraculi cum aliis, praecipue quod, Matre intercedente, primum hoc omnium miraculorum operatus sit Dominus.

Ostenditur etiam miraculum magnum quoad substantiam facti et quoad quantitatem, quia magnam aquarum copiam convertit in vinum, et quoad qualitatem, quia *vinum bonum* et praestantissimum fuit.

Triplex finis ostenditur hodierni miraculi: gloria Christi, fides discipulorum et honor matrimonii, quod Christus hodie honorare voluit et praesentia sua Matrisque suae et discipulorum et tam illustri miraculo. Magnum enim sacramentum est Matrimonium, sicut P a u l u s ait. Sicut autem primum verbum Adami quod legimus ex afflatu Spiritus Sancti fuit vaticinium mirabile de Matrimonii sacramento, ita primum Christi miraculum fuit ad sacramentum hoc honorandum.

Quoad mysterium vero designatur miraculo hoc mirabilis conversio Gentium ad fidem pietatemque divinam et ardentem in Deum caritatem. Multaque alia mysteria Evangelium hodiernum continet, quae ad aedificationem spectant et ad instructionem morum.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias qui exiit primo mane, etc. Ostenditur in hodierno Evangelio quam sit cultus divinae pietatis in exercitio bonorum operum Deo acceptus et hominibus utilis.

Quoad primum, hoc est quod Paulus ait: *Haec est... voluntas Dei, sanctificatio vestra... ut sciat unusquisque... vas suum possidere in sanctificatione et honore*, hoc est: ut sancti efficiamini, ut sancte vivatis: Qui *sanctus* est, *sanctificetur adhuc ;* et quoad secundum: *Pietas ad omnia utilis est*, ait idem Paulus.

Quoad primum ostenditur voluntas Dei, ad hoc nam vocat homines ab otio ad laborem, et ad vocandum non mittit servos, sed pergit ipse, et hoc quidem primo mane, nec semel tantum, sed saepe saepius usque ad horam undecimam. Magna haec sollicitudo et studium vocandi ostendit ingens animi desiderium conducendi homines ad colendam vineam; ad hoc autem non cogit, sed trahit spe mercedis et praemii. Quoad secundum, ostenditur merces et praemium bonorum operum et iuxta condignum: *Quod iustum est dabo vobis*, et supra condignum; nam qui primo vocati sunt acceperunt mercedem iuxta condignum: *Nonne ex denario convenisti mecum ? Tolle quod tuum est et vade ;* ceteri autem omnes supra condignum; *Volo autem huic dare sicut et tibi. An non licet mihi quod volo facere ?* Erit praemium bonorum operum aequale et inaequale: aequale, quia omnes acceperunt denarium; inaequale, quia hi prius, illi posterius, quod quidem ad gradum spectat honoris. *Sic*, inquit, *erunt novissimi primi et primi novissimi ; multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

DOMINICA IN SEXAGESIMA

Exiit qui seminat seminare semen suum ; et dum seminat, etc. Ostenditur in hodierno Evangelio varia veluti sors et fortuna verbi Dei nam aliud semen, quod est verbum Dei, cecidit secus viam, ubi ne natum quidem fuit ac frustra seminatum fuit; aliud cecidit super petram, ubi natum quidem fuit, sed non crevit, quare et ipsum frustra; aliud inter spinas, ubi natum quidem fuit et crevit, sed non usque ad plenam perfectamque spicam; aliud tandem in terram bonam, ubi fecit fructum tricecuplum; aliud in terram meliorem, ubi fructum reddidit sexagecuplum, et aliud in terram optimam, ubi dedit fructum centuplum. Idem est verbum Dei, idem Evangelium praedicatum a Christo in populo Iudaeorum; sed multi, auditis concionibus Christi, ne minimum quidem moti fuerunt ad credendum; alii moti quidem, sed non diu perseverarunt; alii diutius crediderunt, sed tandem defecerunt.

Eorum autem qui crediderunt tres classes legimus: multitudinem discipulorum, numerum septuaginta electorum, quos ad praedicandum binos misit, et collegium duodecim Apostolorum. Hi sunt *qui in corde bono et optimo*, sive, ut graece est, *bono, pulcro, audientes verbum retinuerunt et fructum attulerunt in patientia.*

Hic videmus illud quod per Oseam Dominus ait: *Perditio tua, Israel, tantum in me auxilium tuum.* Omnem enim causam perditionis Dominus hodie in humanum cor coniicit, quia vel durum est ad credendum, stupidum, incogitabundum, vel instabile in bono proposito, vel nimis sollicitum in rebus temporalibus, adeo ut haec pluris faciens quam aeterna atque divina, propter temporalia haec negligat divina. Non enim possumus Deo servire et mammonae, suffocant spinae triticum dum praeferuntur humana.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

Ecce ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia quae, etc. Est hodiernum Evangelium veluti theatrum divinarum humanarumque actionum in Christo, in Apostolis, in turbis populorum. In Christo habemus actionem divinam qua operatur miraculum, dum solo verbo dat lumen oculorum homini caeco: *Respice... et statim vidit;* et actiones humanas qua peregrinum agit, sed sanctum, in Ierusalem, ad celebrandum pascha iuxta praescriptum divinae legis; agit prophetam, dum revelat discipulis futurae passionis et resurrectionis suae mysteria; agit cum illis comitem et amicum, nam *assumpsit duodecim discipulos* suos *secreto; Iam non dicam vos servos,* sed amicos, *quia servus non novit,* etc.; *vos autem dixi amicos, quia,* etc.; agit principem filium David, sed clementem: *Quid vis ut faciam tibi?* principem humanissimum, liberalissimum, est enim sicut sol Christus, non minus liberalis quam dives; agit oratorem ac rhetorem, virtutis encomiasten: *Fides tua te salvum fecit.* Dat Christus servis suis beneficia optata cum honore, dat caeco beneficium lucis cum laude; omnes actiones Christi bonae sunt.

Sed post Christum habemus actiones bonas discipulorum sequentium Christum in Ierusalem, actionem bonam turbarum: *Omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo;* sed actiones etiam malas hominum: *Qui praeibant, increpabant* caecum *ut taceret.* Insignis autem actio est caeci, primo quidem in sua deprecatione ardenti: *Iesu fili David, miserere mei!* forti et perseveranti: *Ipse... multo magis clamabat: Fili David, miserere mei!* Obedientia etiam, vocatus enim a Christo, statim, relictis omnibus, exiliens abiit ad eum; interrogatus, prompte respondit: *Domine, ut videam;* accepto beneficio, gratum se ostendit: *Sequebatur eum magnificans Deum.*

Habemus in hoc Evangelio quod admiremur et quod imitemur, saltem in hoc caeco insignem pietatem, quae vel maxime in ipsius oratione resplendet.

FERIA IV CINERUM

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae, tristes, exterminant, etc. Ostendit Dominus in hodierno Evangelio quod ieiunium rite factum, Dei causa et secundum voluntatem Dei, magni meriti est apud Deum magnamque mercedem expectat. Ut autem ieiunium sit quale oportet esse secundum voluntatem Dei, dat Dominus regulas canonesque ut rite fiat; ne sit sicut ieiunium hypocritarum, ob vanam gloriam et laudes humanas. Quare a ieiunio Dominus primo arcet perversam intentionem bonam-

que intentionem requirit, ut fiat Dei causa: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi ;* ut fiat hilari corde: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus ;* hoc est: *Unge caput tuum et faciem tuam lava.* Requirit in ieiunio puram conscientiam, rectam intentionem et animi erga Deum devotionem ac pietatem. Ita factum ieiunium magnam habet apud Deum mercedem: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid autem *reddet ?* Mercedem. Quam mercedem? *Thesaurum* magnum *in coelo ; Thesaurizate... vobis thesauros in coelo.*

Habemus in Divinis Scripturis triplicem thesaurum: bonum, de quo ait Paulus *ad Timotheum: Bonis operibus divites fieri... thesaurizare sibi fundamentum bonum ;* de hoc Isaias: *Timor Domini ipse est thesaurus eius ;* habemus thesaurum indifferentem, uti thesaurizare in terra, quod potest sine culpa fieri, nam parentes debent thesaurizare filiis; habemus thesaurum malum: *Secundum... duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* Iubemur autem thesaurizare bonum thesaurum, de quo Dominus Lucae 12: *Vendite quae possidetis et date eleemosynam ; facite vobis... thesaurum non deficientem in coelis,* etc.

FERIA VI CINERUM

Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum et odio habebis, etc. Agit Dominus hodie divinum legislatorem: *Audistis quia dictum est,* hoc est praeceptum, mandatum est; *Ego autem dico,* hoc est praecipio, mando vobis, sicut alibi: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem,* et: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Hinc ait Matthaeus quod *docebat tanquam potestatem habens... non sicut scribae et Pharisaei.* Apud Isaiam capite 33 legimus: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer noster. Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Quattuor habet titulos: iudicis, legislatoris, regis et salvatoris.

Lutherani et Calvinistae ut suam statuant solam fidem, opera autem negent, aiunt Christum Salvatorem quidem esse, non autem legislatorem, cum venerit ad abolendam legem, quae terrebat homines, territosque per legem homines consolandos; propterea aiunt venisse Christum ad evangelizandum, ad praedicandum Evangelium, quod non est nisi laetus et bonus nuncius. In eo semper sunt novi evangelistae, ut ab etymo theologizentur. Quia igitur Evangelium iuxta etymon non est nisi laetus et bonus nuncius, ergo non est nisi consolatio; non continet nisi divinas promissiones, nullam comminationem aut terrores, nulla praecepta aut prohibitiones. Et tamen praecipit hodie Christus: *Ego autem dico vobis : Diligite... benefacite... orate... ut sitis filii Patris vestri.*

Legem tradit multo perfectiorem lege Moysi, neminem enim *ad perfectum adduxit lex,* nam *lex paedagogus noster fuit in Christo.* Christus autem venit ad dandam perfectam legem, de qua dicitur: *Lex Domini immaculata,* hebraice *perfecta ; Docebit nos vias suas... quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem ;* propterea summa cum auctoritate loquitur, non sicut Prophetae: *Ait Dominus, locutus est Dominus, verbum Domini,* sed.: *Ego... dico vobis.* Legem perfectissimam tradit quoad omnia,

auctorem, finem, scopum, exemplar, formam atque materiam. Tria tradita sunt in lege Moysi: mysteria credenda, bona promissa speranda, opera facienda; sed haec omnia in Evangelio Christi multo sunt praestantiora et perfectiora. Sic habemus in hodierno Evangelio et credenda et speranda et facienda, sed haec maxime; sunt autem: *Diligite... orate... benefacite*, pro corde, mente et manu.

DOMINICA I QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. Et cum, etc. Sicut Adam, primus homo, ductus a Deo in paradisum fuit, ita hodie Christus, secundus Adam, a Spiritu Sancto in desertum; ille ut ibi tentaretur a satana, Christus hic *ut tentaretur a diabolo.* Tentatus ibi Adam, tentatus hic Christus; sed ille victus, hic victor; ibi magna hominis confusio damnumque, quia victus et superatus fuit, hic magna Christi gloria, quia victor: *Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Tentatus ibi fuit Adam a satana sub specie boni, ita hic Christus sub specie utilitatis, ad subveniendum necessitati. Cum autem tentare sit allicere ad peccandum, ut amittatur gratia Dei, per quam homo fit templum Spiritus Sancti, filius Dei et heres paradisi, hunc tentat satanas quem novit per Baptismum factum et declaratum filium Dei et ab effectibus videt duci agique a Spiritu Sancto, per contemptum mundi, per mortificationem carnis, per pium affectum in Deum longe perseverantem.

Quoniam autem Spiritus Sanctus per gratiam iustificantem et sanctificantem habitat in nobis per fidem, spem et caritatem, haec aggreditur satanas impugnare. Primum ut certitudinem fidei coelestium oraculorum vertat in dubium: *Si Filius Dei es ;* secundum, ubi contra fidem nihil profecit, impugnat spem, maxime ut in praesumptionem eam convertat: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim*, etc., haec nimia praesumptio est quae Deum tentat; tertium, per cupiditatem rerum temporalium, quae venenum caritatis est, in caritatem invehitur: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum*, etc., ut avertat hominem a Dei cultu ad satanae in mundo servitium: *Vade, satana, scriptum est... Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Sed beatus homo qui superat omnem tentationem, nam accedent Angeli et ministrabunt ei.

Constituitur homo sicut Christus hodie inter duos spiritus, bonum et malum: a bono spiritu ducitur in desertum, longe a mundo, ad ieiunandum, ad orandum, ad resistendum tentationibus; ab altero spiritu, qui malus est, instigatur ut faciat ex lapidibus panem; ducitur in templum, sed extra non intra templum, in praecipitium; ducitur in montem altum, ubi ostenduntur ei omnia regna mundi cum universa gloria eorum et promittuntur etiam, modo velit satanam adorare. Ita sane omnis homo christianus ducitur aliquo spiritu; sed ab effectibus cognoscitur a quo spiritu ducatur. A bono enim spiritu ducitur a mundo ad Deum, a carne ad spiritum, a conversatione hominum ad conversandum cum Deo in oratione: *Nostra... conversatio in coelis est ;* ducitur ad pietatem, ad fidem, ad timorem Dei: *Non tentabis Dominum Deum*

tuum; a spiritu autem malo ducitur ad cogitandum semper de corpore sub specie necessitatis, ad praesumptionem de misericordia Dei, ut praecipitet se sub falso praetextu ad verum praecipitium, ad pompas, divitias, dignitates, vanitates mundi concupiscendas, sed non sine peccato, non sine diaboli servitio.

FERIA IV DOMINICAE PRIMAE

Magister, volumus a te signum videre... Generatio mala et adultera signum, etc. Est hodiernum Evangelium sicut paradisus Domini, in quo plantatae divinitus fuerant innumerae arbores, fructus bonos, suaves, saluberrimos producentes ad hominis utilitatem et voluptatem atque delicias; sed inter innumeras erant duae maxime insignes in medio paradisi collocatae: arbor vitae et arbor scientiae experimentalis, utique boni et mali; illa enim vitae dicebatur tum propter vitae perpetuitatem, tum propter summam voluptatem, absque ullo experimento alicuius mali, afflictionis, poenae.

Ita sane in hodierno Evangelio multa sunt mysteria humanitatis et divinitatis Christi. Humanitatis: *Ecce mater tua;* divinitatis, qua videtur negare matrem et Deum Patrem appellat; mysterium divinae Christi excellentiae: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic;* mysteria passionis et resurrectionis: *Sicut... fuit Ionas,* etc.; mysteria finalis iudicii et retributionis: semel et iterum fit mentio finalis [1] iudicii et condemnationis; mysteria vocationis Gentium et reprobationis Iudaeorum in Ninivitis, in regina Austri, in homine in quo fiunt posteriora peiora prioribus aliaque permulta.

Sed specialiter duae sunt arbores: una est arbor voluntatis humanae in principio huius Evangelii: *Volumus a te signum videre;* altera est arbor voluntatis divinae: *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse,* etc. Haec est arbor vitae, nam, ut Ioannes ait *1 Canonica,* 2: *Mundus transit et concupiscentia eius; qui autem facit voluntatem Dei, vivet in aeternum;* et Dominus: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine... sed qui facit voluntatem Patris mei... intrabit in regnum coelorum.* Divinam hanc voluntatem Paulus arborem appellavit dicens: *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax,* etc.; itemque voluntatem humanam spiritu Dei destitutam sub nomine carnis: *Manifesta sunt... opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia,* etc.; *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem,* etc. Caro appellatur quia, ut Paulus ait: *Conversati sumus in desideriis carnis nostrae facientes voluntatem carnis et cogitationum.* Haec est arbor quae parit homini mortem, nam: *Si secundum carnem,* sine spiritu, *vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis:* ecce lignum vitae producens vitam aeternam.

Humana voluntas spiritu et gratia Dei destituta et voluntati divinae per caritatem minime subiecta, dicitur *arbor boni et mali;* ipsa enim natura quidem bona est, qua in homine nihil praestantius est, ipsa enim in regno animae regina est cuius im-

1) Ms.: *Finali.*

perio reguntur omnia; culpa autem et vitio suo mala est et cum primis hominem efficit indignum gratia et favore divino. Sic hodie huius rei gratia scribae et Pharisaei non obtinent a Christo quod petunt et insuper obiurgantur, nam meretur, Deo displicens, iram et indignationem Dei, facit hominem, qui *creatura Dei bona est*, malum; hinc ait: *Generatio mala*. Habeat homo omnia bona praeter voluntatem, non dicitur homo bonus; malam tantum voluntatem et conscientiam habeat, cetera omnia bona, malus homo dicitur, mala est arbor malos fructus faciens, adeo ut non possit fructus bonos facere: *Malus homo de malo thesauro* cordis, etc. E contra, habeat homo omnia mala, voluntatem autem bonam, bonus homo dicitur, arbor bona faciens, etc.: *Bonus homo de bono thesauro cordis*, etc.

Nec tantum facit hominem malum, sed animam adulteram, displicentem Deo, sicut uxor adultera viro honesto qui eam duxit uxorem sicut Assuerus Esther, sicut apud Ezechielem capite 16 legimus de anima ex abiectissimo loco sumpta Deoque desponsata. Amplius, facit ut homo semper fiat deterior, hinc ait: *Sic fiet generationi huic pessimae;* facit ut homo iterum cadat in manus diaboli, a cuius possessione per sacramentum Baptismi et Poenitentiae liberatus fuerat, fiantque *novissima hominis... peiora prioribus*, sicut eius qui a septem spiritibus, etc. Tandem, in causa est perditionis aeternae in iudicio, quia causa impoenitentiae: *Surgent in iudicio... et condemnabunt eam, quia*, etc.

Arbor autem vitae causa est salutis aeternae, propterea tam saepe Divinae Scripturae hortantur nos ad voluntatem Dei faciendam, nam: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei... ipse meus frater*, etc. Quid amplius dici aut cogitari potest? Christus summus princeps plus quam Salomon, qui universum mundum iudicaturus est, hominem, si faciat voluntatem Dei, accipit in fratrem, etiamsi magnus peccator fuerit, sicut Ninivitae, et tamen propter poenitentiam erunt cum Christo iudices in die iudicii, *cum sederit Filius hominis*, etc. Quare? Quia fecerunt voluntatem Dei, quam omnes facere possumus, iusti per innocentiam et peccatores per poenitentiam.

FERIA VI DOMINICAE PRIMAE

Prope erat pascha, *dies festus Iudaeorum. Et ascendit Iesus Ierosolymam*, etc. Habemus in hodierno Evangelio mirabilem historiam, quae etiam mirabile mysterium continet: historia narrat miraculum a Deo per Angelum factum in aquis piscinae et miraculum factum a Christo, solo mediante verbo: *Surge, tolle*, etc. Quoad utrunque miraculum, ut viam nobis ad mysterium aperiret, causas assignat Ioannes tanquam philosophus divinus, nedum tanquam sacer historicus: efficientem, in primo Deum, in secundo Christum Filium Dei, aequalem Deo; finalem, in primo gloriam Dei, ut per illud mundus cognosceret et glorificaret Deum, nam *invisibilia* Dei *per ea quae facta sunt*, etc., in secundo Christi gloriam; instrumentalem, in primo Angelum et aquam ab eo motam, in secundo Christi verbum; materialem, in utroque hominem infirmum incurabili infirmitate; formalem, caritatem in utroque divinitus collatam. [1]

1) Ms.: *Homo infirmus... formalis, caritas... collata.*

Utrunque autem miraculum veluti imago hieroglyphica est iustificationis, qua confertur animae sanitas salusque, nam et languidus a Christo curatus vere iustificatus fuit; nec minus animae quam corporis sanitatem consecutus, hinc de eo ait: *Totum hominem sanum feci in sabbato*, et: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

De iustificatione autem Divina Scriptura causas assignat multas: finalem primariam, Dei gloriam de qua per Isaiam ait: *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum;* et Paulus *ad Ephesios: Praedestinavit nos... in laudem gloriae gratiae suae;* et secundariam, salutem animarum: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum; causam efficientem, Deum: *Ego sum qui deleo iniquitates* vestras; *Deus qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem, ut sit ipse iustus et iustificans*, sic Christus appellatur *Dominus iustus noster;* causam meritoriam, Christum hominem: *Iustificabit servus meus in scientia sua multos; Redempti estis... pretioso sanguine, quasi Agni immaculati et incontaminati Christi;* causam instrumentalem coniunctam, qualis est manus, quae dicitur instrumentum instrumentorum, sic Christus appellatur brachium Dei: *Brachium Domini cui revelatum est?* causam instrumentalem separatam, Sacramenta: *Salvos vos facit baptisma*, inquit Petrus; *Salvos nos fecit per lavacrum*, ait Paulus; verbum Dei: *Non erubesco evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti; Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras;* ministros Sacramentorum: *Adiutores Dei sumus; Posuit in nobis Dominus verbum reconciliationis; Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata*, etc. Tria haec instrumenta habemus in hodierno Evangelio: Sacramenta in piscina, quae sacramentum Baptismi singulariter designavit; ministros per Angelum commoventem aquas et verbum in Christi praecepto et colloquio: *Vis sanus fieri?... Surge, tolle*, etc. Assignat[1] causam materialem, hominem libero arbitrio praeditum: *Vis sanus fieri?* Non salvat nec iustificat Deus nisi volentem et gratiae suae minime resistentem. Ostenditur autem imago interioris hominis ipsiusque liberi arbitrii cum gratia Dei destitutum est, in homine languido, qui non adeo languidus erat ut nihil omnino operari posset, nam ait: *Dum venio... ego, alius ante me descendit;* non poterat adeo se movere, ut posset non adiutus consequi gratiam et beneficium sanitatis; ita homo Dei gratia destitutus potest boni aliquid facere, sed non ita ut gratiam Dei mereatur. Tandem tradunt Divinae Litterae causam iustificationis formalem, quae est ipsa gratia et caritas Dei in cordibus nostris diffusa per Spiritum Sanctum, de qua ait: *Gratia... salvati estis per fidem.*

Haec omnia consideranda sunt in hoc mysterio iustificationis nostrae, et quoniam acceptam gratiam iterum peccando amittere possumus, monet Dominus: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, piis et sanctis operibus conservanda et augenda est, sic enim qui iustus est, iustificatur adhuc.

1) Ms.: *Assignant.*

DOMINICA II QUADRAGESIMAE

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit eos in montem. Hodiernum Evangelium repraesentat nobis divinam apparitionem, quae revera illustrissima omnium est quae in Sacris Litteris leguntur. Docet autem hoc Evangelium de Christo quid credendum sit, ab eo quid sperandum et in ipsum quid agendum, ad haec enim tria capita reducuntur quaecunque in Sacris Litteris leguntur: ad mysteria credenda, ad promissa speranda et ad praecepta facienda. Credenda autem tripliciter traduntur in Sacris Litteris: nunc apertis oraculis, nunc symbolicis mysticisque hieroglyphicis, nunc actionibus historicisque demonstrationibus, quibus ostenditur Dei invisibilis *sempiterna... virtus et divinitas.*

In hodierno Evangelio haec omnia habemus: quid credendum de Christo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* quid sperandum: paradisi gloria quae in gloriosa hac transfiguratione ostenditur; quid agendum: *Ipsum audite,* hoc enim praeceptum divinum est. Ea autem quae credenda sunt habentur oraculo: *Hic est Filius meus dilectus;* mystico hieroglyphico: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius... sicut nix;* actione historica: *Apparuerunt eis Moyses et Elias loquentes cum Iesu,* L u c a s habet: *Visi in maiestate et dicebant excessum,* sive exitum, *quem completurus erat in Ierusalem.*

Oraculum est: *Hic,* demonstrans Christi personam, non Moysi aut Eliae, *est Filius meus,* non adoptivus ut omnes electi, sed naturalis, primogenitus, unigenitus, de quo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te; Filius meus dilectus* sicut Isaac Abrahamo, quem Deus super omnia et propter quem omnia diligit, imo propter quem omnia creavit, de quo P a u l u s *Hebraeis* 2 ait: *Propter quem omnia et per quem omnia; In quo mihi bene complacui,* idest in quo mihi nunquam aliquid displicuit et omnia supra omnem bonitatem humanam et angelicam placuerunt.

Sed non sufficit oraculum, propterea adiicitur hieroglyphicum: *Resplenduit... sicut sol... sicut nix.* In Sacris Litteris lux symbolum divinitatis est: *Deus lux est;* itemque sol. Sic ostenditur hoc symbolo divinitas Christi. Deus autem auctor est omnium bonorum sicut sol generationis rerum naturalium; ita Christus auctor credendus naturae, fons gratiae, thesaurus gloriae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* etc.

FERIA IV DOMINICAE SECUNDAE

Ecce ascendimus Ierosolymam. Multis mysteriis plenum est hodiernum Evangelium, sed praecipue habemus quattuor actiones Christi et quattuor mysteria nostrae fidei. Christi actiones sunt: actio peregrini: *Ascendens... Ierosolymam;* actio amici, qua suis revelat secreta: *Secreto... ait illis: Ecce ascendimus,* iuxta illud: *Iam non dicam vos servos,* sed *amicos;* et actio[1] principis prudentis: *Quid vis ut faciam tibi?*

1) Ms.: *Actionem.*

Potestis bibere? etc.; et actio[1] patris monentis: *Principes gentium,* etc.; *non ita erit inter vos, sed qui voluerit,* etc., *sicut Filius hominis non venit,* etc.

Mysteria item quattuor sunt: mysterium passionis, cuius semel, iterum et tertio fit mentio. Primo: *Filius hominis tradetur,* etc.; secundo: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* loquitur de calice passionis, de quo ait: *Transeat a me calix iste ;* tertio: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et tradere animam suam,* etc.; mysterium redemptionis: *Dare animam suam redemptionem,* etc.; mysterium glorificationis Christi et nostrae: *Tertia die resurget; Sedere... ad dexteram meam vel sinistram,* etc.; et mysterium praedestinationis: *Quibus paratum est a Patre meo ; Possidete paratum vobis regnum a,* etc.; *Quae praeparavit Deus diligentibus se.*

Primum autem omnium ponitur mysterium passionis, quoniam ipsum est causa reliquorum, non solum redemptionis et glorificationis, verum etiam praedestinationis. Christus enim causa est nostrae praedestinationis efficiens quatenus Deus qui praedestinat, nam Deus *quos praescivit et praedestinavit ;* causa finalis: *Ut sit ipse primogenitus,* etc.; causa exemplaris: *Conformes fieri imagini Filii sui,* et causa meritoria: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus,* etc., *qui praedestinavit nos in Christo,* etc., *Ephesiis* 1.

Sed specialiter duo advertenda nobis sunt in hoc Evangelio: unum quidem in principio ipsius et alterum in fine. In principio enim proponitur Christus tanquam noster dux quem sequi debemus: *Assumpsit duodecim discipulos* suos: *Ecce ascendimus Ierosolymam ;* proponitur dux et caput peregrinationis in sanctam civitatem Ierusalem; in fine vero proponitur tanquam speculum et exemplar: *Sicut Filius hominis non venit ministrari,* etc., ubi iubemur non imitari mundum sed Christum. Apostoli hodie Christum facile sequuntur externis operibus, ascendunt enim cum ipso in Ierusalem, sed non facile imitantur eum in internis affectibus, in cogitationibus et desideriis cordis; nam Christus cogitabat crucem, passionem, mortem, ipsi autem primas sedes regni. Facile sequuntur Christum corporaliter, non autem ita facile spiritualiter imitantur ex animo virtutes ipsius, innocentiam, humilitatem, patientiam, caritatem, obedientiam et pietatem aliasque virtutes ipsius. Saepe accidit illud: *Sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes,* etc.

Ieiunavit Christus: facile ieiunamus; oravit Christus: facile oramus; multa bona opera fecit Christus: non difficile multa operamur bona; sed

« Hoc opus, hic labor »,

ut cor sit mundum, sit purum, sit sanctum, ut spiritus sit rectus, sit pius, sit Deo unitus. Sequebantur Christum Apostoli corporaliter: non sufficit; hortatur ut imitentur; dehortatur ab imitatione mundi, hortatur ad imitationem Christi. In his duobus punctis vita vere christiana consistit: ut fugiamus vitia mundi, ut sequamur virtutes Christi cum exterius tum etiam interius: exterius opera, interius virtutes.

1) Ms.: *Actionem.*

FERIA VI DOMINICAE SECUNDAE

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, etc. Sub variis metaphoris hodie Dominus loquitur de maiestate Patris, de persona propria, de Sancta Ecclesia et de praelatis personisque ecclesiasticis et religiosis. Patrem dicit agricolam: *Qui plantavit vineam,* et aedificatorem: *Qui aedificavit turrim,* et: *A Domino factum est istud;* dicit etiam regem: *Regnum Dei auferetur,* etc.; seipsum dicit filium huius patrisfamilias et heredem, lapidem reprobatum et caput anguli, propter mysteria passionis et resurrectionis; Ecclesiam dicit vineam, aedificium et regnum; praelatos dicit agricolas, aedificatores et principes.

Sed duo tantum consideranda nobis sunt. Sicut enim Noe in Divina Scriptura dicitur fabricasse arcam in salutem mundi et plantasse vineam, et de Abraham legitur quod aedificaverit altare Domino et plantaverit nemus, et Salomon ait: *Aedificavi mihi domos et plantavi vineas,* ita Deus in Scripturis dicitur agricola, nam plantavit *paradisum voluptatis a principio,* et aedificator, nam *aedificavit... costam... in mulierem,* fecit aedificium, sed vivum; ita Ecclesia dicitur Dei agricultura et aedificium; ita Paulus ait *ad Corinthios* scribens: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.*

Sicut autem corpus dividitur in caput et membra, exercitus in duces et milites, regnum in principes rectores et populum, ita Ecclesiam Christus hodie dividit in vineam et agricolas, in aedificatores et aedificium, in populum christianum et rectores, praelatos ecclesiasticos, ministros verbi et Sacramentorum, saeculares et religiosos, ostenditque quales oporteat esse mores utrorunque: quod christianos saeculares oportet esse vites et lapides, sed lapides vivos, ut Petrus ait: *Coaedificamini lapides vivi habitaculum sanctum Domino;* ecclesiasticos autem agricolas et fabricatores.

Sciendum autem quod parabola hodierni Evangelii eadem est cum parabola Isaiae 5; sed ibi loquitur Dominus contra vineam, quae expectata *ut faceret uvas... fecit labruscas;* hic autem Dominus loquitur contra agricolas: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* Christianum oportet esse vitem feracem bonorum operum, alioquin: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum,* etc. Quattuor requiruntur in christianis: bona voluntas, humilitas, obedientia et patientia erga superiores, ut cognoscant eorum auctoritatem et revereantur, obediant et patientes ferant eorum correctiones. In praelatis ostenditur auctoritas, sed damnatur iniquitas, mala conscientia, avaritia, ambitio, in Christum impietas. Quatenus agricolae sunt, nihil dicitur de eis quomodo vineam excoluerint, quomodo portaverint *pondus diei et aestus,* sed quod fructus retinuerint pro se et quod servos patrisfamilias male tractaverint, ubi insinuatur abusus divinae sibi traditae potestatis quam, ut Paulus ait, dat Deus *in aedificationem... non in destructionem,* agricolae autem usi sunt in destructionem; et quatenus aedificatores sunt, dicuntur lapidem summe bonum reprobasse: *Lapidem quem,* etc.

Haec autem omnia Christus reprehendit in principibus et administris synagogae, nam vaticinatur hodie Christus in eos, sicut dicitur: Cognoverunt principes et

Pharisaei quod ad ipsos diceret parabolas istas; et ita accidit, eventus veritatem prophetiae probavit. Principes enim synagogae cum Pharisaeis, ambitione et avaritia excaecati cultusque divini nulla cura ex caritate tacti malaque et perversa conscientia affecti, post Prophetas occisos, in Christum insurrexerunt, unde tandem adimpletum est quod hodie Dominus eis comminatus fuit: *Malos male perdet*, etc., *auferetur a vobis regnum Dei*, vera fides et religio, vera Ecclesia, *et dabitur genti facienti fructus eius.* Ubi Dominus insinuat illud quod P a u l u s ait, quod mala conscientia tandem ducit hominem ad amissionem fidei; ait enim *ad Timotheum : Fidem* habe *et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.*

Ostendit etiam Dominus in principibus synagogae et Pharisaeis profectum in iniquitate semper in peius; coeperunt enim ab iniusta retentione fructuum, quod est contra conscientiam; malo huic addiderunt, nam servos patrisfamilias male tractarunt; posterius missos multo peius; ac tandem filium pessime. Nemo repente fit summus, sed paulatim crescit impietas usque ad summum, spernens divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei, quae hominem ad poenitentiam expectat. Sed tandem ira Dei descendit super impios: *Malos male perdet.*

DOMINICA III QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiiciens daemonium, etc. Ostenditur Dominus in hodierno Evangelio exorcista mirabilis, nam, *cum eiecisset daemonium, miratae sunt turbae.*

In Sacris Litteris Veteris Testamenti unum tantum exeorcistam legimus, David, qui Saul regem a daemone liberavit; liberavit autem non imperio, non praecepto facto, non propria virtute, non statim, sed sono citharae psallens et canens Domino multisque diebus; nec nisi unum tantum Saulem liberavit, nec alia miracula fecit, licet homo esset secundum cor Dei et psaltes plenus spiritu Dei. Alium autem neminem Prophetarum legimus contra daemones divina praeditum potestate: non Moysen, non Eliam, non Eliseum aut quemvis alium Prophetarum, qui multa et magna miracula praestiterunt ad gloriam Dei hominumque salutem. Solus Christus, maximus omnium Prophetarum, sol Prophetarum, in mundum venit divina praeditus potestate et supra naturam ad facienda miracula et contra daemonia ad ea ex humanis corporibus expellenda.

Hodie autem non operatur miracula, licet requisitus, nam: *Alii*, inquit, *tentantes signum de coelo petebant ab eo ;* solum exorcistam vult agere sicut David; sed quia Christus tanto maior est Davide quanto Deus maior est homine, propterea mirabilem se praestitit exorcistam: *Cum eiecisset daemonium, miratae sunt turbae.*

David unum tantum eiecit daemonium, Christus innumeros, nam una vice ab uno homine legionem integram, idest exercitum, expulit malorum spirituum; nec utitur sicut David re aliqua externa ad exorcizandum aut opus habet diuturnitate temporis, sed solo praecepto, solo verbo; ita legimus alias miratas turbas, *quia in potestate... imperat spiritibus immundis et obediunt ei ;* sic eiecit Christus solo verbo innumera daemonia et aliquando etiam solo nutu voluntatis, divinae virtutis suae

efficacia, sicut hodie ne verbum quidem legimus ab ipso prolatum contra daemonium istud, sicut alibi etiam legimus: *Exibant daemonia a multis clamantia et dicentia: Quia tu es* Christus *Filius Dei.*

David per semetipsum tantum eiecit daemonium, Christus etiam per alios, nam discipulis dedit potestatem ut eiicerent daemonia, tantum praecipientes in Christi nomine ut exirent, et ita factum fuit, unde dixerunt: *Domine,* in nomine tuo daemonia *subiiciuntur nobis,* et ait: *In nomine meo daemonia eiicient,* sic Paulus eiecit daemonium dicens: In nomine Iesu Nazareni praecipio tibi, exi! et statim exiit.

Tandem exorcista David eiecit spiritum malum tantum a corpore, non autem ab anima, non enim habebat potestatem dimittendi peccata; Christus exorcista divinus, omnino perfectus, et a corpore et ab anima eiicit daemonia; nec per semetipsum tantum, verum etiam per sacerdotes dimittendo peccata.

In hodierno Evangelio, cum eiecisset daemonium a corpore, satagit eiicere daemonia ab animabus et corporibus scribarum et Pharisaeorum, qui per summam impietatem Christi miracula calumniabantur eosque rationibus satagit convincere ut resipiscerent a laqueis diaboli, a quibus tenebantur captivi ad suam ipsius voluntatem. Agit autem hoc Christus summa usus modestia, sed efficacibus optimisque rationibus. Sed difficile est daemonium eiicere ab homine qui per malitiam peccat, difficillimum ab haereticis perversis, quales tunc erant scribae et Pharisaei, qui convicti quidem fuerunt a Christo, sed non persuasi, non conversi; tales sunt haeretici spiritu blasphemiae pleni, *spiritus autem blasphemiae non remittetur,* etc.

FERIA IV DOMINICAE TERTIAE

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?... Quare et vos, etc. Disputatur in hodierno Evangelio de legibus humanis atque divinis. Scribae et Pharisaei, homines cum essent, humanarum legum auctoritatem tuebantur magnoque zelo prosequebantur; Christus autem Filius Dei divinarum legum requirit integritatem.

Sicut autem duo genera legum habentur in hodierno Evangelio, ita et duo genera hominum: quidam dicuntur plantati a Deo, quidam vero minime, qui alibi dicuntur filii diaboli propter malam voluntatem et culpam, non propter naturam; quidam eradicandi, idest perdendi, quidam minime eradicandi, idest non perdendi, sed salvandi; quidam caeci et sine intellectu: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum; Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis?* quidam discipuli Christi, quidam vero adversarii, qui scandalizabantur de doctrina Christi; quidam servatores divinarum legum, non humanarum, quidam observatores humanarum et divinarum trangressores.

Ponitur etiam duplex genus religionis; est enim religio vera ante Deum, qua Deus colitur et adoratur in spiritu et veritate, et est religio ficta, simulata, hypocritia, de qua ait: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.*

Duplex item genus sanctitatis et puritatis, sive munditiei: altera manuum quam scribae et Pharisaei requirunt, altera cordis quam requirit Christus. Sed omnia haec ad leges divinas humanasque reducuntur.

Divinas leges Christus tuetur hodie earumque integram observationem requirit arguitque transgressionem; humanas autem quasdam quidem nec probat nec improbat, quasdam autem vehementer vituperat. Traditiones seniorum, quas scribae et Pharisaei violatas queruntur, Christus nec probat nec improbat, sed tanquam adiaphoras, suapte natura nec laude nec vituperio dignas,[1] silentio praeterit ac suo relinquit loco, nec dicit ut contemnantur, floccipendantur, pessumdentur, sicut volunt haeretici, contra eas enim nec verbum quidem Christus. Non laudavit, quoniam ad cultum Dei, qui in spiritu et veritate colendus est, nihil conducebant, nec suapte natura hominem meliorem, sanctiorem, gratiorem Deo constituebant; nec vituperavit, quoniam revera nullum contra Dei legem vitium continebant, sed tantum ad politiorem vitam spectabant. Aliquas vero magna acrimonia vituperavit atque convulsit: *Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit,* etc., *vos autem dicitis: Si quis dixerit patri aut matri: munus quodcunque est ex me tibi proderit.* Difficilis est locus, quoniam eclyptica est oratio, sed munus, vel, ut est apud Marcum capite 7, *corban*, ponendum est loco praedicati, non subiecti; illud autem *quodcunque*, quod graece est *o ean*, idem est ac *quicquid*, sicut Ioannes *3 Epistola: Carissime, fideliter agis quicquid operaris in fratres.* Quare sensus est: Quicquid est ex me quod tibi prodesse poterit, munus sit Deo oblatum. Docebant enim genus esse magnae pietatis Deum summum omnium parentem carnalibus parentibus anteferre; quare hoc genus voti docuerunt fieri posse ut Deo voverent et consecrarent quicquid unquam in emolumentum suorum parentum expendendum esset; facto autem tali voto, cogebant ut servarent, nam, ut Marcus ait: *Non sinitis eum quicquam facere patri suo aut matri*, quasi sacrilegium esset quae Deo consecrata erant accipere et parentibus dare, atque ita non sinebant eos patrem et matrem iuxta Dei mandatum honorare, non quidem de directo praecipientes aliquid fieri contra mandatum Dei, sed veluti ex obliquo et ex consequenti.

Has traditiones, quae contra legem Dei militant, Christus vituperat et abrogatas cupit; priores autem suo loco relinquit: non vituperat, quia obediendum maioribus est *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, quia omnis potestas a Domino Deo est. Tantum autem abest ut Dominus respuerit omnes ecclesiasticas traditiones et leges, ut post haec dixerit: Si quis *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* nec facit contra hoc quod per Isaiam adducit: *Sine causa colunt me docentes,* etc., hebraice: *Et factus est timor eorum erga me praecepta hominum docta;* damnat enim praeposteram religionem cultumque Dei fictum, hypocrititium, quo non colitur Deus in spiritu et veritate, ex caritate, nam *cor... eorum,* inquit, *longe est a me,* et tamen colunt non respectu Dei sed hominum, humanis veluti praeceptis et constitutionibus acti, non virtutis amore sed formidine poenae. Quare

1) Ms.: *Digna.*

est quidem cultus Dei, qui *timor* appellatur, sed hypocrititius, fictus, simulatus, vanus. Quid hic contra ecclesiasticas traditiones? Sed sinamus haereticos, *caeci sunt, sine intellectu* sunt: *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* Satagamus nos ut simus veri divinarum legum observatores, etc.

FERIA VI DOMINICAE TERTIAE

Venit Iesus in civitatem Samariae, etc. Agitur in hodierno Evangelio de conversione et particulari mulieris samaritanae et universali civitatis et populi Samaritanorum. Sed specialiter loquitur Christus de gratia Dei, non quidem de gratia increata, quae Deus ipse est, de qua *Sapientia* 16: *Omnia... serviebant nutrici gratiae tuae*, idest benignitati Dei, quae sicut rerum omnium creatrix, ita et conservatrix est; de qua etiam Paulus: *Apparuit... gratia Dei Salvatoris nostri*, etc., *in laudem gloriae gratiae suae*, *ad Ephesios* 1, qua etiam ratione Christus gratia et donum Dei dici postet, summum Dei beneficium: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; Pro nobis omnibus tradidit illum;* nec principaliter loquitur de gratia Dei, de qua Paulus *ad Romanos: Stipendia... peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna*, idest donum Dei est, non quia sine merito, sed quia meritum ipsum, quo vitam aeternam veluti mercede emimus, donum Dei est; loquitur de gratia gratum faciente, quae animam sanctificat Deoque similem facit et in qua meritum vitae aeternae consistit. Hanc Christus *donum* Dei appellat primum dicens: *Si scires donum Dei!*

Dicitur autem ita, quia a Deo auctore est: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* itemque *donum Dei*, idest divinum, maximum: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, et quia per eam Deo similes efficimur: *Maxima et pretiosa nobis dona donavit, ut per haec* efficiamur *divinae consortes naturae;* donum ineffabile, hinc ait: *Si scires donum Dei!* Sed postea humillime loqui videtur Dominus de gratia, dum eam comparat modico aquae: *Tu petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam.* Verum est, sed non loquitur Dominus de aqua materiali, corporali, terrena, sed de spirituali, divina, coelesti, hinc ait aquam hanc salire in vitam aeternam, quia aqua ascendit ad altitudinem unde descendit; aqua haec de coelo descendit a Deo, in coelum ascendit ad Deum.

Videndae nobis sunt divinae huius aquae proprietates. Comparatur enim a Christo aquae fontis Iacob, quae[1] ab omnibus habebatur optima; cum autem non esset cisterna, sed puteus aquae currentis et fontalis, quae aqua viva dici solet, a Christo tamen abiicitur quasi minime viva, propterea ait: *Petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam.* Deinde ait: *Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum*, quia aqua naturali calore consumitur et in flatus, sudores et urinam resoluta, non potest amplius refrigerare nec levare sitim, quare opus est iterum bibere; *qui autem biberit ex aqua*, etc.; nam aqua coelestis suapte natura non est corruptibilis nec interitui obnoxia.

1) Ms.: *Qua*.

Tandem aqua naturalis suapte natura descendit ad ima, sed aqua haec ascendit et ascendit usque ad coelum, usque in paradisum.

Haec discrimina [quae] hic Christus assignat consideranda sunt. Primum dicitur aqua viva, quomodo viva dici non poterat aqua fontis Iacob. Naturalis aqua summopere necessaria est vitae humanae, sitis enim hominem interimit, nam Samson ait: *En siti morior*, quare Deus ad illum servandum miraculo eduxit aquam ex arida mandibula asini; at vero non dat homini mortuo vel moribundo vitam nec infirmo sanitatem, quin aliquando hominem interimit vel nimietate potus vel frigiditatis; aqua autem haec dicitur viva sicut lignum vitae, quod homini immortalitatem conferebat. Hac autem de causa dicitur aqua saliens *in vitam aeternam;* extinguit perpetuo sitim, liberat hominem a quacunque infirmitate, sicut aqua Iordanis Naaman syrum a lepra, aqua Siloe caecum natum a caecitate, aqua piscinae infirmum *a quacunque detinebatur infirmitate.*

O aquam pretiosissimam! Naturalis aqua levat quidem ad tempus modicum sitim, sed non famem, quia non dat homini nutrimentum, ut medici dicunt, sed est nutrimenti vehiculum; sed aqua haec est sicut manna, quod utrunque praestabat et habebat omnem saporem suavitatis; hinc apud Isaiam dicitur non tantum aqua, verum etiam vinum, lac, panis.

Habet et aliam proprietatem plane divinam haec aqua: vim quandam transformandi et transmutandi res vilissimas in pretiosissimas, lutum in aurum, lapides communes in lapillos pretiosissimos. Divina haec aqua hoc facit in cordibus, in animabus hominum, in moribus, in vita, nam daemones veluti transformat in Angelos; hominem aqua haec facit ditissimum, adeo quod possit sibi emere regnum in coelo, ipsum facit nobilissimum filium Dei, fratrem Christi.

Legimus in Sacris Litteris homines carnales et spirituales, animales et angelicos, terrenos et coelestes, filios diaboli et filios Dei. Quod est inter eos descrimen? Peccatum et gratia. Conversa fuit hodie haec mulier, accepta aqua hac, in coelestem mulierem; haec facit homines veros Dei adoratores, *qui adorant* Deum *in spiritu et veritate.* Signum autem gratiae est in conversione, mutatio vitae quae in hac samaritide visa fuit, in Magdalena, in Paulo et aliis. O utinam etiam in nobis!

DOMINICA IV QUADRAGESIMAE

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, etc. Circa hodiernum Evangelium, quod viva quaedam demonstratio est divinae erga nos bonitatis, duo nobis consideranda sunt: historia et allegoria, ad imitationem Pauli in Epistola hodierna, qui ex historia educit allegoriam: *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera ; sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, quae sunt per allegoriam dicta.* Non negat Paulus veritatem historiae, sicut Origenes post Philonem Iudaeum negare videtur historiam paradisi et nonnulli existimant historiam Iob confictam esse allegoriam; sed ex historia allegoriam educit.

Quoad historiam duo habentur, dum narratur opus quod simul est et magnum miraculum et mirabile beneficium. Ostenditur Christus magnus et mirabilis benefactor; non solum bonus, benignus, clemens: *Misereor super turbam*, verum etiam benefactor, sicut saepe legimus: *Misericors et miserator Dominus*, et in *Psalmo 118: Bonus es tu et in bonitate tua*, etc., hebraice: *Bonus tu et benefactor*, sicut Deus a Paulo *ad Romanos* dicitur *iustus et iustificans* sicut sol lucidus est et illuminans, ignis calidus et calefaciens. Ita Dominus hodie ostenditur bonus et benefactor, sed magnus et mirabilis: magnus propter multitudinem hominum cui benefacit et magnitudinem beneficii ad necessitatem, ad saturitatem, ad abundantiam et supereffluentiam, et mirabilis propter miraculum. Alterum est mirabilis bonitas in beneficiariis et ante et post beneficium; ante beneficium mirabilis pietas erga Christum: toti pendebant a Christo, tracti ab eo sicut a magnete ferrum, ita ut obliviscerentur cibi et potus; post beneficium vero mirabilis animi gratitudo, quam et verbis et factis pro virili testati sunt: verbis quidem nam dicebant: *Quoniam hic est verus propheta qui venturus est in mundum;* factis vero quia venturi erant *ut raperent eum et facerent eum regem*, cui perpetuo servirent et cuius imperio regerentur. Sic accepto beneficio, gratias egerunt Christo benefactori et pro viribus referre etiam voluerunt. Mirabilis in benefactore bonitas et benignitas tanquam patris amantissimi matrisque erga filios; mirabilis in beneficiatis pietas et animi gratitudo, etc.

Quoad ad allegoriam spectat, mirabile videtur [beneficium]: dat Christus sanctis turbis, quae ipsum magna pietate sequebantur, ad comedendum et nihil prorsus ad bibendum, sicut Deus Hebraeis in deserto dedit panem de coelo ad edendum, non autem aquam aut vinum ad bibendum, et in paradiso dedit homini lignum vitae in cibum, de potu autem nulla fit mentio; et in convivio quod Abraham in domo sua Angelis paravit, fit quidem mentio de cibo, de pane subcinericio, carne vituli, lacte et butyro, de potu autem nulla prorsus; ubi in Assueri convivio huius rei, nempe vini praestantissimi, fit mentio specialis.

Num praestantiora sunt divinis humana convivia? Sed divina convivia plena sunt divinis mysteriis: panis, quem de coelo Deus [praestabat] angelicis manibus fabricatum,[1] simul cum fame, sitim etiam levabat et extinguebat, non erat necessarius potus; ita sane panis divinus, supra modum mirabilis, quo Christus in Sacramento altaris fideles suos cibat et nutrit, habet utranque virtutem, sicut lac quod cibus est parvulorum.

FERIA IV DOMINICAE QUARTAE

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate. Habemus in hodierno Evangelio diligentem narrationem historiamque operis singularis Salvatoris, quod simul et miraculum et beneficium et mysterium est. Miraculum, quia opus supra vires naturae: *A saeculo non est auditum quia aperuit quis oculos caeci nati;* beneficium, quia datum

1) Ms.: *Fabricatus*.

est lumen oculorum caeco homini supra modum optatum et carum, unde Bartimaeus caecus interrogatus a Christo: *Quid vis ut faciam tibi ?* ait: *Domine, ut videam,* acceptoque beneficio, *sequebatur eum magnificans Deum ;* tandem mysterium est, non enim frustra Dominus circa hoc opus tot caeremonias adhibuit.

Quatenus miraculum, opus est divinae potentiae, de qua ait: *Me oportet operari opera eius qui misit me ;* quatenus beneficium, opus est divinae bonitatis, de qua loquitur: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi ;* et quatenus mysterium, opus est divinae sapientiae, qua Christus respondet ad altissimum quaesitum Apostolorum: *Quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?... Neque,* inquit, *hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Opus hoc fuit evidens quaedam demonstratio divinitatis Christi, quam Iudaei non credebant et cuius gratia eum in templo lapidare voluerunt, quam caecus illuminatus credidit et adoravit: *Credo, Domine ! Et procidens adoravit eum.*

Quoniam autem divinitatis tria sunt attributa; potentia: sapientia et bonitas, ab operibus potentiae, sapientiae et bonitatis cognoscitur divinitas, sicut Paulus ait quod *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas ;* sic in Aegypto ab operibus, quae magi Pharaonis praestare minime potuerunt, cognita fuit divinitas: *Digitus Dei est hic.*

Considerandum autem nobis hoc opus est quatenus mysterium est, quo praesertim ostenditur imago hominis christiani ante Baptismum et post Baptismum, in praesenti vita et post, quando qui fortiter pro Christi gloria certaverit, recipiet coronam gloriae per claram Filii Dei visionem: *Vidisti eum,* etc.

Ante Baptismum homo caecus est, nascitur enim sine lumine fidei, in tenebris ignorantiae infidelitatisque per originale peccatum; respicitur a Christo oculo pietatis et misericordiae: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri,* etc.; *secundum misericordiam suam salvos nos fecit,* etc. Catechizandus ante Baptismum, in Baptismo recipit lumem fidei, sicut Paulus in Baptismo lumen oculorum recepit. Post Baptismum impugnatur veritas fidei, nam et Christus post Baptismum tentatus fuit et *omnes qui volunt pie vivere in Christo... persecutionem* patiuntur. Sic multis tentationibus probata fuit fides et confessio veritatis a Iudaeis inimicis et blasphemis Christi hodie; sed fortiter restitit caecus illuminatus.

Ostenditur quod cognitio, quam per fidem habemus de Christo, valde imperfecta est, sed per Deum post hanc vitam perficienda est: *Videmus nunc per speculum in aenigmate... nunc cognosco ex parte.* Sic caecus illuminatus prius quam Christum tandem videret, credebat Christum esse hominem Dei cultorem, prophetam, miraculorum operatorem, sed ad cognitionem divinitatis non pervenerat.

Ostenditur quod fortes oportet esse in fide ad resistendum adversario nostro et Christi, diabolo et angelis ac ministris ipsius. Sicut autem hodie scribae et Pharisaei inimici Christi impugnarunt invide et furiose agnitam veritatem, ita nunc infideles et haeretici impugnant, illi quidem Christi fidem et nomen, hi autem catholicam veritatem.

FERIA VI DOMINICAE QUARTAE

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, etc. Illustrissimum miraculum omnium miraculorum Christi exquisitissima diligentia narratur hodie a Ioanne in hostoria Evangelii huius. Magnum et illustre miraculum ab auctore, qui multis nominibus nuncupatur: *Filius Dei, Christus Filius Dei, resurrectio et vita ;* a fine primario: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam ; Si credideris, videbis gloriam Dei ;* et secundario: *Gaudeo propter vos ut credatis ; Ut credant quia tu mi misisti ;* a persona in qua factum est, quia homo nobilis et dives; a modo, quia in hoc miraculo multis usus est caeremoniis: venit Bethaniam, turbat semetipsum, fremit spiritu, petit ubi sit positus, iubet aperiri sepulcrum, orat ad Patrem et clamat voce magna, suscitatumque iubet ab aliis solvi, quae omnia non vacant mysteriis; magnum ab effectu, nam multi Iudaeorum, qui viderunt hoc signum, *crediderunt in eum*. Sed singulariter magnum ab eo quod movit Christum ad faciendum tale tantumque miraculum, quod est caritas Christi: *Ecce quem amas ; Diligebat... Lazarum ; Lazarus amicus noster ; Ecce quomodo amabat eum.* Dulcissima tractatio est de amore erga nos Dei, de amore Christi Filii Dei, neque enim solum dilexit Lazarum, sed diligit unumquenque hominum, unde Paulus ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit animam suam pro me.*

Videnda sunt autem tria: quis diligit, quomodo diligit et quem diligit. Quis diligit: *Domine, ecce quem amas*, appellatur *Filius Dei, resurrectio, vita* et *Christus Filius Dei*, hodie Salvator, sed praecipue *Dominus* absolute; sic postea Martha semel, iterum, tertio; sic Maria: *Domine, si fuisses hic ;* quoniam cum Dei Filius sit naturalis ac propterea verus Deus, est rerum omnium Dominus, etiam vitae et mortis, ipsius etiam inferni; hinc solo iussu imperat: *Lazare, veni foras*, et statim surrexit.

Magna res est amor magni principis et quo maior est princeps eo magis magisque gratia et favor ipsius in pretio habetur; Christus autem princeps est maximus, potentia et maiestate aequalis Deo: hic est qui diligit.

Sed non sufficit quod diligit; modus attendendus est: *Ecce quomodo amabat eum. Ecce quomodo-:* sed quomodo, quaeso? Ineffabile est istud *quomodo : Sic... Deus dilexit mundum ;* Dei enim caritas, cum infinita sit, verbis explicari non potest.

In hodierno Evangelio habentur quaedam signa et iudicia magnitudinis divini huius amoris tum quia magnum beneficium praestat, vitam cum sanitate et viribus perfectissimis, unde surrexit ligatus manus et pedes, quod nonnisi fortissimus homo optimeque dispositus facere potest; sed illud supra modum maius, nam ad praestandum hoc beneficium subiit Christus discrimen vitae ac mortis periculum: *Domine, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc ?* Unde Thomas videns quod Dominus exponebat semetipsum praesentissimo periculo ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo.* Christus tamen contempsit periculum hoc: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam*, etc. Testes huius amoris fuerunt fremitus, turbatio, lacrimae: *Ecce quomodo amabat eum.*

Sed quem amat? Lazarum qui languet, qui infirmatur, qui dormit, qui mortuus est, qui in monumento quatriduanus fetet, hominem a quo nihil boni reportare poterat, sed quia amicus fuerat: *Lazarus amicus noster*, nam ait: *Ego diligentes me diligo.* O beatum hominem qui vel tantillum veri amoris erga Christum habet in corde! O beatum hominem qui revera ex animo amicus est Christi! Hic enim erga Christum amor thesaurus est inaestimabilis: *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum.* Abraham *amicus Dei appellatus fuit*, quoniam dilexit Deum magis quam Isaac unicum filium suum ac propterea infinitum thesaurum divinarum benedictionum consecutus fuit. Prius dicitur in hoc Evangelio quod Dominus diligebat Lazarum et postea quod Lazarus amicus Christi erat: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

Sicut in libro Danielis legimus quod Filius Dei descendit in fornacem ad liberandos tres iuvenes Dei electos amicosque et magno miraculo eos liberavit a praesentissima morte, ita hodie Christus, qui est verus Filius Dei, videns tres dilectos suos in fornace magnae tribulationis, descendit eosque liberavit: *Diligebat Dominus Martham*, etc.

DOMINICA PASSIONIS

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, etc. Dialogum habemus in hodierno Evangelio inter Christum et Iudaeos in templo, plane criticum quo Christus Iudaeos acriter arguit: *Si veritatem dico... quare?* etc.; *Qui ex Deo est, verba*, etc. Iudaei vero Christum conviciantur et blasphemant: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* Sed tamen praeter crisim habet etiam parenesim: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum;* habet et dogmata quae de Christo credenda sunt.

Habemus in hoc Evangelio et dogmata ad credendum et documenta ad servandum et exempla ad imitandum. Habemus duplicem scalam: alteram quidem ad ascendendum in coelum, alteram vero ad descendendum in infernum; illa via salutis est, haec autem via perditionis. Proponitur Christus tanquam scala quaedam, instar illius Iacob, in cuius cacumine Deus ipse erat.

Primus gradus est Christi innocentia: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* secundus gradus veritas doctrinae cum innocentia vitae: *Si veritatem dico... quare non creditis mihi?* tertius est religio in Deum: *Honorifico Patrem meum;* quartus obedientia: *Sermonem eius servo;* quintus est patientia quam exhibuit hodie perferens Iudaeorum iniurias sibi illatas verbis et factis; sextus est excellentia sanctitatis qua declaratur maior Abraham et Prophetis: *Nunquid tu maior es?* etc.; *Abraham pater vester exultavit ut videret*, etc.; septimus est maiestas divinitatis: *Antequam Abraham fieret ego sum.*

Haec omnia credenda de Christo sunt: in humanitate innocentia vitae in conversatione, veritas doctrinae in praedicatione, honor Dei Patris in omni sua actione, obedientia erga Patrem in omni operatione, patientia in omni malorum perpessione et sanctitatis excellentia in comparatione ad omnem creaturam; in divinitate autem

et aeternitas increata et naturalis filiationis veritas ac proprietas cum potestate dandi vitam aeternam et a morte perpetua liberandi.

Praeter dogmata autem credenda, sunt promissa speranda, nam promittit vitam aeternam servantibus sermonem ipsius; sunt et documenta servanda et exempla imitanda innócentiae, veritatis, patientiae, pietatis in Deum, obedientiae et sanctitatis vitae.

Scala autem perditionis habet et ipsa suos gradus. Primus est incredulitas: *Quare non creditis mihi ?* secundus est defectus caritatis et obedientiae in Deum: *Non auditis quia ex Deo non estis ;* tertius ignorantia Dei, de qua Paulus : *Ignorantiam... Dei quidam habent,* idest Deum non cognoscunt; ita ait hodie: *Vos dicitis quia Deus vester est et non cognovistis eum ; Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hi gradus in corde sunt. Sunt alii duo in ore: mendacitas: *Ero similis vobis mendax,* et blasphemia: *Samaritanus es tu et daemonium habes.* Duo etiam in manibus: *Vos inhonorastis me,* et: *Tulerunt... lapides ut iacerent in eum,* lapides sacros in templo, in loco sacro, in domo orationis coram Deo. Haec scala est per quam et haeretici et mali christiani in infernum descendunt.

FERIA IV DOMINICAE PASSIONIS

Facta sunt encaenia in Ierosolymis, etc. Describit nobis hodie Ioannes historiam disputationis cuiusdam inter Christum et Iudaeos de fidei et salutis nostrae fundamento, nempe an Dominus noster sit verus Messias: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quoniam vero disputatio est maximi momenti, describit [1] Ioannes tempus quo habita fuit, nempe in die festo Iudaeorum, quod maiorum vestigiis insistentes absque praecepto legis celebrabant pro renovatione et dedicatione templi: *Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat;* describit locum: *Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis ;* describit personas: *Circumdederunt eum Iudaei,* et tandem institutam disputationem: *Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam.*

Tria sunt autem quae in hodierno Evangelio traduntur: primum ostenditur quod Dominus sit Christus Messias et quid sit Christus Messias; secundum quinam sint veri christiani, et tertium quid sint qui non sunt veri christiani.

Quoad primum asseritur Christus: *Loquor vobis,* sive, ut graece est: *Dico vobis, et non creditis ;* respondet ad illud: *Si tu es Christus, dic nobis palam;* Christus autem: *Dico,* inquit, *vobis, et non creditis.* Quid autem sit Christus ostenditur, nempe homo qui vera loquitur, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum,* Filius Dei, unum cum Deo: *Ego et Pater unum sumus,* ac proinde omnipotens Deus, de cuius manu nemo rapere potest oves, et auctor vitae aeternae: *Vitam aeternam do eis.*

Postea mundum universum Christus in duas partes dividit: in homines qui non sunt oves Christi et homines qui sunt oves Christi: *Vos non creditis quia non estis*

1) Ms.: *Describt.*

ex ovibus meis; oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.

Videtur autem docere hic Christus certitudinem salutis christianorum dum ait: *Vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea;* sicut *nemo potest rapere de manu Patris mei,* qui *maior omnibus est,* idest potentior, nam *ego et Pater unum sumus.* Certissima quidem est electorum salus et impossibile est eos in aeternum perire, unde ait: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi;* sed certissima Deo, non autem nobis, quibus certitudo haec minime revelata est, cum nemo sciat *utrum amore an odio dignus sit;* propterea iubemur timere etiam si recte in Christum credamus, nam nonnisi *qui... perseveraverit usque in finem... salvus erit.* Multi *ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt,* sic *multi ex discipulis abierunt retrorsum.* Hinc Paulus *Romanis* 11: *Tu... fide stas: noli altum sapere, sed time,* ne et tu excidaris; et *1 Corinthiis* 10: *Qui stat, videat ne cadat;* et *Hebraeis* 4: *Timeamus... ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem,* etc.; et Petrus: *In timore incolatus vestri tempore conversamini,* sicut Paulus etiam ait: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini, Philippensibus* 2. Hoc docet Christus quod nemo revera cogi potest ad salutem amittendam, sicut nemo cogi potest ad peccandum, cum non possit esse peccatum nisi voluntarium.

Christianos autem definit Christus a fide et operibus: *Vocem meam audiunt et sequuntur me;* sed ait alibi: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris,* idest non male agit, nam *qui male agit odit lucem;* abiiciunt opera tenebrarum et induuntur arma lucis, sicut in die honeste ambulantes: *Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate.*

Est autem necessaria etiam perseverantia in bonitate, unde Paulus ait: *Vide... Dei in te... bonitatem, si* tamen *permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris;* et *Hebraeis* 3: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius usque ad finem firmum teneamus.*

De iis autem qui non sunt oves Christi sed oves diaboli, multa dicuntur in hodierno Evangelio: quod non credunt in Christum quod, oderunt Christum, blasphemant Christum et volunt lapidare Christum.

FERIA VI DOMINICAE PASSIONIS

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium, etc. Hodiernum hoc concilium veluti theatrum est humanae et divinae sapientiae atque prudentiae; sed humana quidem sapientia ostenditur admodum caeca et cum summa iniquitate coniuncta, divina autem cum summa bonitate et iustitia: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt.*

Tradunt naturales philosophi omnia composita esse ex quattuor elementis, omnia, inquam, mixta quae natura generantur in his inferioribus, et morales philosophi hominum vitam, quoad mores attinet, componi ex quattuor virtutibus cardinalibus: iustitia, prudentia, fortitudine et temperantia. Regimen similiter principum, qui rem-

publicam moderantur, sicut nautae navim in mari ne sint in causa naufragii, quattuor necessario requirit: scientiam, experientiam, quae est prudentiae mater ex rerum usu, unde iuvenes possunt quidem habere scientiam, sed non prudentiam, cum non habeant usum rerum et diuturna per aetatem careant experientia; tertio diligentiam, qua indefesso labore exerceant in regimine scientiae et prudentiae regulas legumque statuta; et tandem bonam conscientiam, optimam voluntatem, ut non regantur affectibus, sed amore iustitiae, quae veluti anima est vitae moralis.

In hodierno concilio et magistratu non deerat scientia divinarum legum, non experientia et usus rerum, unde prudentia, non diligentia, haec enim coegit concilium, haec in causa conquisitionis fuit: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Videtur in eis non dormitantia, sed vigilantia magna; sed quia defuit bona conscientia, quia affectibus agebantur, omnia cernimus obscurata et vitiata. Auctoritas est quae legitime acquisita principem facit, sicut illegitime habita tyrannum constituit. Sed ut princeps sit bonus, sit coram Deo et hominibus laude et honore dignus, requiruntur haec quattuor, adeo ut, si unum desit, omnia pessum eant.

Pontifices et Pharisaei in hodierno Evangelio propter malam conscientiam ostendunt se hodie homines politicos, qui nulla religionis cura tanguntur: non quaerunt quid secundum legem Dei faciendum est, cum hic homo ad probandum se missum esse a Deo faciat multa signa, multa miracula; sed quasi homines essent exleges et athaei, sine lege et sine Deo,[1] nullam prorsus divinae legis aut Dei mentionem faciunt, sed ambitione et avaritia excaecati tantum propria stabilire quaerunt ac si non esset Deus: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* Pravus animi affectus reddidit in eis inutilem scientiam, excaecavit prudentiam et perniciosam reddidit diligentiam. In hodierno Evangelio humana sapientia lignum est scientiae boni et mali, quod fuit in causa perditionis humanae, at vero sapientia divina lignum vitae.

Ex hoc Evangelio sumunt argumentum haeretici quod concilia sacra, etiam praesidente Summo Pontifice, possint errare, non intelligentes,[2] miseri, factum fuisse hoc concilium ab his *qui se dicunt Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanae.* Imo hinc lucet[3] quanti nobis facienda sit sacrorum conciliorum auctoritas, nam quia hodiernum concilium imago et umbra quaedam fuit sacrorum conciliorum, licet quod spectat ad personas horrenda esset et execranda iniquitate et impietate, astitit tamen Spiritus Sanctus et per os summi pontificis locutus, auctor fuit determinationis et conclusionis huius concilii.

Quid censendum de sacris conciliis Ecclesiae Sanctae Dei in Christi nomine et in Spiritu Sancto legitime congregatis?

1) Ms.: *Dei.* 2) Ms.: *Intelligente.* 3) Ms.: *Licet.*

DOMINICA PALMARUM

Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam, etc. Agitur in hodierno Evangelio de glorioso triumpho Christi, qui sane magnus et mirabilis extitit et quoad historiam et quoad mysterium; sed de ipso agendum nobis est quoad historiam potius quam quoad mysterium. Ostenduntur autem duo, nempe quid credendum de Christo et quid agendum nobis sit in obsequium Christi, ut cum ipso triumphante mereamur ingredi in coelestem Ierusalem.

Id quod credendum est, plane est quod ipse sit verus Messias, rex et Salvator: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator,* rex triumphator mortis; sed rex non mundanus, non terrenus, rex coelestis, divinus.

Sicut autem coelum multas habet qualitates quae sunt qualitatibus terrae contrariae, ita sane rex triumphator noster terrenis et mundanis principibus valde dissimilis est. In his enim raro non regnat tyrannis, superbia, avaritia et voluptas, ita ut sint *voluptatum amatores magis quam Dei ;* Christus autem rex benignissimus, humanissimus, humilissimus est et totus pius, religiosus, ut hodie ostendit triumphus ipsius, [qui] triumphis regum mundi dissimillimus ac per diametrum oppositus est. Reges mundi, quia infirmi et impotentes sunt, subiecti infirmitati et morti, multis egent ministris, exercitibus, thesauris; rex autem noster est sicut sol rex astrorum, nullius eget et triumphator mortis est; rex potentissimus, qui vere optimus maximus dici potest, quia vere Filius Dei est; rex mirabilis, qui habet subditorum corda in manu, ita ut possit corda hominum vertere prout libet, ipse enim movit corda populorum hodie ad ipsum tanto cum honore suscipiendum; rex potentissimus, quia mortis triumphator; rex sapientissimus, qui omnia novit, cui omnia praesentia sunt: novit ubi erant animalia et quid dicturi aut facturi essent animalium domini; rex optimus, beneficentissimus, quia *iustus et salvator ;* rex humillimus et humanissimus: *Ipse pauper ;* humilis: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ;* rex pientissimus: pergit in templum; rex divini honoris zelantissimus: purgavit enim templum motus zelo divini honoris: *Zelus domus tuae comedit me ;* nec tamen exercuit tantum opera severitatis, sed etiam clementiae et benignitatis, nam: *Accesserunt ad eum caeci et claudi . . . et curavit eos.*

Hoc est quod de Christo nobis credendum est: quod sit rex et talis rex, coelestis, divinus, aequalis Deo, verus auctor naturae, fons gratiae et thesaurus gloriae. Quid autem agendum sit ostenditur exemplo populorum Christum tanquam regem comitantium. Cum enim in Christum corde crederent, ore confitebantur, laudabant, glorificabant et pro viribus honorabant, inserviebant pedibus, manibus, lingua, ipsis etiam vestimentis corporum suorum; confitebantur autem Christum verbis et operibus, publice, manifeste, coram capitalibus Christi inimicis, multis, magnis et potentibus.

FERIA IV PALMARUM

Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, etc. Saepe vir sanctus David loquitur de beatitudine, ita tamen ut ostendat media ad eam consequendam; coelum ostendit apertum cum scala ad ascendendum. Ostendit autem duplicem viam: innocentiam et poenitentiam. In hoc *Psalmo* de secunda hac via loquitur, per quam multi salvati sunt et cum primis ipse David.

FERIA V IN COENA DOMINI

Ante diem festum paschae, sciens Iesus quia venit hora eius, etc. Sicut de Deo duo specialiter praedicantur in Divinis Scripturis: infinita potentia et bonitas sine fine, quod sit Optimus Maximus, ita de Christo Ioannes hodie: *Pater dedit ei omnia in manus,* sicut: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* et: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Nec solum divinam in Christo potentiam, verum etiam bonitatem caritatemque demonstrat: *Cum dilexisset suos... in finem dilexit eos:* semper, inquit, maiora signa maioresque demonstrationes dedit fecitque maioris erga suos amoris. Magnum signum amoris Dei erga nos in praedestinatione, magnum in creatione et conservatione, magnum in iustificatione, magnum in glorificatione, magnum in incarnatione Verbi, magnum in passione; sed longe magnum ac ter maximum in divinissimi sacramenti Eucharistiae institutione, qua Christus sic dilexit suos, ut semetipsum daret.

FERIA VI IN PARASCEVE

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Mysterium celebramus hodie omnium maxime lacrimis dignum, sicut Zacharias ait: *Erit planctus magnus in Ierusalem et dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti,* nam: *Videbunt in quem transfixerunt.* Dolor enim oritur ex amore, sicut calor ab igne, splendor a luce, rivus a fonte; a maiori amore oritur maior dolor. Christus autem, qui moritur hodie, maxime omnium amabilis est, propterea qui eum hodie ex animo diligebant non potuerunt non maxime dolere *sicut... in morte primogeniti.*

Considerari autem potest Christi passio vel ut sacrificium ad placandum Deum, vel ut beneficium ad salvandum hominem, vel ut bellum Christi contra diabolum, infernum et mortem, vel tandem ut martyrium quod a Iudaeis passus est propter iustitiam. Sic Christi passionem considerabimus tanquam martyrium, et in hoc essent quinque consideranda: primum, quis est qui martyrium patitur, sicut Paulus ait: *Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non deficiatis animis vestris.* Primum proponit ut consideremus eum qui patitur; secundum, quodnam genus martyrii patitur, sunt enim multa mar-

tyriorum genera quae in Sacris Litteris legimus: ignis, ut trium puerorum, lapidum, ut Zachariae pontificis et Stephani protomartyris aliaque innumera; tertium, a quibus patitur martyrium Christus, multos enim a multis passos legimus; quartum, quomodo patitur et quale est martyrium quod patitur, nam hi quidem passi sunt martyrium, sed secreto, alii publice, hi breve, alii longum, hi honesto mortis genere, alii turpi et infami, hi levius, illi gravius; quintum, ad quid patitur, cuius rei gratia, non quidem quam ob causam, sed ob quem finem. Sed omnia haec considerare atque tractare pro dignitate quis poterit? Quis verbis digne assequi talem tantamque mysteriorum molem?

Duo tantum, Dei ope freti, pro nostris exiguis viribus tractaturi sumus, nempe martyrium Christi internum, hoc est dolores et cruciatus animi, nam: *Coepit pavere et taedere, contristari et moestus esse*, aitque: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* deinde vero martyrium externum, idest dolores, poenas et cruciatus corporis. Haec enim duo martyriorum genera in Sacris Litteris reperiuntur: martyrium solum corporale, quale fuit Innocentium, quale Apostolorum, qui *ibant a concilio gaudentes, quoniam digni habiti sunt*, etc.; aliud tantum spirituale, ut martyrium Virginis Beatissimae: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Christus [1] autem martyrium utrunque complexus fuit.

IN DIE SANCTO PASCHAE

Maria Magdalene et Iacobi et Salome emerunt aromata ut venientes, etc. Sicut nativitas Christi, qua natus est in mundo passibilis et mortalis, per Angelum nunciata fuit, ita et resurrectio, quae veluti altera Christi nativitas fuit, sed qua natus est ad aeternam vitam immortalis et impassibilis, nunciata per Angelum fuit; sic enim Angelus dixit mulieribus: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.*

Mirum autem videri potest quod, cum Angelus nunciat pastoribus Christi nativitatem, annunciat [2] gaudium magnum: *Ecce,* inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David;* Angelus autem qui nunciat nativitatem Christi in resurrectione ad vitam immortalem et impassibilem, nihil prorsus dicit de gaudio, tantum ne timeant. Hoc quidem et ille ait: *Angelus,* inquit, *Domini stetit iuxta illos et claritas Dei circumfulsit illos et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere.* Sicut autem ad aspectum Angeli timuerunt pastores, quare audire debuerunt: *Nolite timere,* ita et mulieres: *Viderunt,* inquit, *iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida et obstupuerunt,* hoc est, sicut Lucas habet, timuerunt, unde Angelus: *Nolite expavescere;* de gaudio autem nihil prorsus, cum tamen amictu magis laeto apparuerit Angelus hic annuncians Christi resurrectionem

1) Ms.: *Christi.* 2) Ms.: *Annuncians.*

quam Angelus annuncians Christi nativitatem; hic enim apparuit amictus *stola candida* et, ut Matthaeus ait, *erat... aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix;* nec unus tantum fuit, sed etiam socium habuit, hinc Lucas, sicut et in ascensione Christi, duos fuisse dicit in veste fulgenti; sed tamen de gaudio ne verbum quidem, cum revera dies haec illa sit de qua dicitur: *Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

Sed sicut Scriptura praecipit filiis ut honorent, hoc est ut honore et amore prosequantur parentes, non autem parentibus ut diligant filios, profecto quia ad hoc natura ipsa satis superque sufficit, quare non opus fuit praecepto, ita sane cum hae sanctae mulieres ex corde diligerent Christum, sufficiebat tantum resurrectionem indicare, non ita autem pastoribus qui Christum prorsus [non cognoscebant]. Hinc Matthaeus ait quod, audita ab Angelo Christi resurrectione, sanctae mulieres *exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno currentes [nunciare] discipulis eius.* Sicut enim patriarcha Iacob, audito quod Ioseph, quem mortuum putabat, viveret, cum vix crederet, ingenti tamen gaudio affectus fuit, ita hae sanctae mulieres. Sicut enim magnus in Christum amor causa fuit in eis ingentis doloris ob passionem Christi, ita idem amor causa fuit indicibilis laetitiae et consolationis propter resurrectionem ipsius. Qui ex corde amat, sicut ex animo dolet de amici et dilecti malo, ita ex corde laetatur de amici bono, et quo maius est bonum, eo est maior laetitia; Christus autem in resurrectione affectus est summo bono sicut in passione summo malo, hinc Angelus *Dominum* ipsum appellat: *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus,* ait enim ipse a mortuis excitatus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* pro merito passionis suae, de quo Paulus ait: *Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen:* nomen dicit dignitatem, unde sequitur: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur... et omnis lingua confiteatur quia... in gloria est Dei Patris,* hoc est, sicut alibi ait: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit;* et iterum: Videmus Christum propter passionem carnis paulo minus ab Angelis minoratum, gloria et honore exaltatum, alludens ad illud: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti... super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius. Nihil reliquit non subiectum ei,* ita subiecit ei Angelos et propterea hodie Angelus, qui in passione Christum confortaverat, hodie *Dominum* dicit.

Hodie ostenditur quid sibi Dominus passione sua meruerit, cras et perendie quid nobis. In *Apocalypsi*, capite 5, ostenditur quod Christus potuit aperire librum Dei, quem nulla ne coelestis quidem creatura aperire potuerat; quare dicunt ei omnes Angeli et Sancti: *Dignus es, Domine,* aperire librum, *quia occisus es et redemisti nos Deo... et fecisti nos Deo regnum et sacerdotes et regnabimus super terram.* Accepit potestatem faciendi reges, quod imperatoris est, et sacerdotes, idest Episcopos, quod est Summi Pontificis; summa haec potestas est. Ibidem dicitur: *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem,* idest potestatem, auctoritatem, *et divinitatem,* graece *divitias,* sed utique Dei, *et sapientiam et fortitudinem,* qualis fuit Samsonis, *et honorem et gloriam et benedictionem.* Haec omnia meruit Christus ut ado-

retur sicut verus Deus, de quo dicitur: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem.*

FERIA II PASCHAE

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, etc. Ostenditur hodie, sed ex parte, quid Christus passione et morte sua meruerit cum sibi, sicut et heri [vidimus], tum etiam nobis: sibi quidem cum ait: *Nonne oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam?* nobis vero cum primis conversionem animarum. Hodie enim convertit duas animas, uterque enim horum discipulorum poterant dicere cum David: *Erravi sicut ovis quae periit; quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Erant quidem sicut oves errantes, sed conversi sunt ad pastorem et episcopum animarum suarum ab ipsomet Christo, nam tandem reducuntur ad ovile Ecclesiae Sanctae, venerunt enim et *invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant, dicentes... Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* En multitudo ovium Christi credentium et confitentium, nam *corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* credunt et confitentur: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.*

Ostenditur autem in hodierno Evangelio quid Dominus fecerit ad convertendas duas has animas et quid eis contulerit. Duos discipulos convertit in historia, sed multos significant in mysterio. Sunt enim sicut duo filii Isaac in utero Rebeccae, de quibus divinum oraculum: *Duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex te dividentur;* sunt sicut duo filii Ioseph, quos a Deo accepit in terra Aegypti, qui fuerunt capita et patriarchae duarum tribuum. Et bene Christus hodie Ioseph se ostendit in terra Aegypti oblitum omnium aflictionum, unde ait hodie: *Quae?* Ex his autem duobus discipulis unus quidem proprium habet nomen: *Respondens unus, cui nomen Cleophas,* alterius nomen reticetur. Electorum enim duo sunt ordines, quidam sunt sancti in mundo nominati, fama illustres, notissimi, alii vero, et quidem innumeri, minime: quot millia Martyrum, Confessorum, Virginum in coelo sunt, quos de nomine ignoramus! Omnes tamen a Christo redempti, conversi et salvati sunt.

Sed quid egit Christus ad salvandas has animas? Primo quidem peregrini speciem accepit et sub peregrini habitu eis apparuit et ea quidem specie gloriam suae maiestatis abscondit, sicut Moyses velo tegebat claritatem vultus. Fecit hoc quidem Christus in incarnatione, cum formam servi accepit, qua posset cum hominibus conversari, non in sua maiestate, sed in nostra humilitate; sed post suam resurrectionem, ut melius posset animas suo sanguine redemptas ad se convertere, texit gloriam divinam in quam resurrexerat et peregrino habitu indutus fuit, ad indicandum mysterium quod ipse sub aliena forma praedicaturus erat Evangelium in salutem animarum. *An experimentum quaeritis,* inquit Paulus, *eius qui in me loquitur, Christus?* Ita Christus sub alieno et peregrino habitu adhuc praedicat, adhuc conversatur nobiscum.

Praedicavit Christus, sed praedicationem suam hodie a gravi et severa correctione exorsus fuit: *O stulti et tardi corde ad credendum!* Deinde Scripturas adhibuit, imo non Scripturas, sed interpretationem Scripturarum: *Interpretabatur,* inquit, *illis in omnibus Scripturis.* Bonum, quia discipuli hi non fuerunt lutherani et calvinistae, qui non interpretationem, sed solas Scripturas volunt, nec nisi in Scripturis Christum cognoscere volunt; et tamen in tam clara et lucida interpretatione Scripturarum discipuli hi hodie Christum non cognoverunt, propterea tandem Christus adhibuit eucharisticam communionem et tunc *cognoverunt eum in fractione panis.* Sic in salutem ad conversionem animarum usus est Christus non tantum Scripturis, verum etiam Sacramentis, sed sua opera utrunque adhibuit. Ipse enim est qui praedicat, ipse qui Sacramenta administrat, *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* unde legimus: *Ipse est qui baptizat.*

Bona autem quae contulit hodie Christus, prout nobis sua passione promeruit, sunt vera fides, expositio, interpretatio et intelligentia Scripturarum, participatio divinorum Sacramentorum, maxime autem divinissimae Eucharistiae, cognitio Dei et ardor divinae caritatis in corde: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* ac tandem communio sanctorum in Ecclesia Sancta Dei: *Invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant; Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!* Haec omnia bona gratiae, per quae vitam aeternam consequi possumus, Christus nobis promeruit.

FERIA III PASCHAE

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum et dixit eis: Pax vobis. Etiam in hodierno Evangelio ostenditur fructus passionis Christi in resurrectione, quid sibi Christus meruerit, quid etiam nobis. Sibi quidem, quia *sic oportebat pati Christum et resurgere a mortuis tertia die:* sibi meruit gloriam resurrectionis, nobis autem remissionem peccatorum: *Praedicari in nomine eius poenitentiam et resurrectionem peccatorum in omnes gentes;* et tandem pacem: *Dixit eis: Pax vobis,* et, ut Ioannes habet: *Iterum dixit eis: Pax vobis.* Significat autem pax, apud Hebraeos *salom,* felicitatem copiamque omnium bonorum, hinc paradisus in Sacris Litteris appellatur *Ierusalem,* visio pacis, experimentum pacis. Sicut autem Adam peccando amisit sibi et nobis gratiam Dei et paradisi perpertuam immortalemque felicitatem, ita Christus, secundus Adam, qui in mundum hunc venit ad resarcienda damna quae primus Adam intulit mundo, nobis quidem duo haec meruit: gratiam Dei per remissionem peccatorum et felicitatem aeternam in coelis.

Quid autem sit haec pax quam nobis Christus acquisivit, mystice ostenditur in hodierno Evangelio. Docet sacra theologia quod beatitudo coelestis in clara Dei visione consistit: *Haec,* inquit Christus, *est vita aeterna: ut cognoscant te... Deum verum,* etc., haec enim facit homines Deo similes, sicut Ioannes ait: *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit, tunc similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est,* sicut luna

plena videns solem similis est soli. Hodie autem Christus se videndum exhibet totum: *Ostendit eis manus et pedes,* addit Ioannes etiam *latus,* et ut eum indubitate certoque cognoscerent, iubet ut palpent et videant, hoc est experiantur, conversatur familiariter cum eis, benignissime eos affatur, comedit ipse favum mellis et vult ut ipsi etiam secum comedant sintque participes eiusdem dulcedinis et suavitatis cum ipso; docet eos mysteria mirabilia de lege Dei, secundum illud: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum!* et tandem *aperuit eis sensum, ton num* graece, *mentem, ut intelligerent Scripturas.*

Haec autem in coelo perfectam felicitatem constituunt: Christum verum Deum manifeste videre, cum ipso familiariter conversari, ipsum loquentem audire, una cum ipso eadem suavitate frui, sicut ait: *Ut* sedeatis et *edatis super mensam meam in regno meo,* ab ipso doctrinam cognitionemque divinorum mysteriorum accipere mentemque omnia intelligentem; tandem Christo per omnia similem esse in gloria resurrectionis, bonorum Christi participem et consortem, fratrem et coheredem.

Sed ad haec consequenda necessaria sunt media quae Christus praedicari iubet: *Praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.*

DOMINICA IN ALBIS

Cum sero esset die illo una sabbatorum, etc. Evangelium habemus hodie quod est veluti thesaurus bonorum fere omnium infinitus; splendet hic magna Christi benignitas et humanitas: pacifice salutat suos eisque copiam sui benignissime facit: *Ostendit eis manus et latus,* magna gratia et bonitas, qua eis Spiritum Sanctum largiens vicarios legatosque suos constituit: *Sicut misi me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* eos veluti ex hominibus deos facit, *quis* enim *potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Praeter haec autem habemus in hodierno Evangelio magnam copiam pacis et fidei. Pacis quidem, nam semel, iterum et tertio Dominus ait: *Pax vobis,* quam ante promiserat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodo mundus dat ego do vobis,* pacem enim dat *quae exuperat omnem sensum ;* hanc mundus dare non potest. Habemus etiam abundantiam fidei: *Noli esse incredulus, sed fidelis... Quia vidisti me... credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt ; Haec scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis, in nomine eius.* Praedicatur nobis pax et praedicatur fides ad vitam aeternam consequendam; non sola fides, verum etiam pax cum remissione peccatorum, qua reconciliamur Deo et amici Dei constituimur accipientes Spiritum Sanctum.

Non solum autem habemus copiam divinarum gratiarum, verum etiam humanarum miseriarum. Erant enim discipuli, clausis foribus, congregati ac veluti in carcerem erant a seipsis coniecti manebantque absconditi *propter metum Iudaeorum:* magna miseria!

Habemus etiam incredulitatis ex humana infirmitate miseriam: *Nisi videro... non credam.* Sed cum his habemus etiam humanam prudentiam et providentiam,

unionem, concordiam animorum: erant congregati in unum, concordiam in fide et confessione fidei: *Vidimus Dominum;* unus tantum discordabat Thomas: *Nisi videro... non credam.* In hodierno Evangelio pax offertur; increpata autem incredulitate, fides requiritur et commendatur: *Noli esse incredulus, sed fidelis... Beati qui non viderunt,* etc.

Quattuor sunt quae Christus hodie discipulis suis apparens facit: offert pacem, ostendit manus et latus, vult certo certius cognosci, largitur Spiritum Sanctum et increpans incredulitatem requirit fidem, per quam cum remissione peccatorum per Spiritum Sanctum beati facti, vitam habeamus in nomine ipsius.

DOMINICA II POST PASCHA

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Humili secundum faciem titulo, sed revera illustrissimo insignitus est nobis Dominus in hodierno Evangelio: *Ego sum pastor bonus,* graece: *Ille pastor, ille bonus,* ille tantopere in Sacris Litteris promissus et praedicatus pastor unicus: *Erit unum ovile et unus pastor,* nam: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et pater omnium;* pastor bonus et pastor unus, quia *nemo bonus nisi Deus unus.*

Agitur autem in hodierno Evangelio non solum de Christo, verum etiam de Ecclesia Christi, de christianis, de principibus christianorum bonis et malis et de christianorum persecutoribus. Christus pastor bonus et unus, Ecclesia unum ovile, christiani oves Christi: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meae... et animam meam pono pro ovibus meis;* principes praelatique boni: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* mali: *Mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae,* mercenarius *fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus;* persecutor christianorum: *Videt lupum venientem... et lupus rapit et dispergit oves.*

DOMINICA III POST PASCHA

Modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me, quia vado, etc. Visa sunt verba Salvatoris Apostolis hodie indissolubile aenigma, quale fuit aenigma Samsonis ad Philisthaeos: *De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo,* quod nonnisi ipso Samsone interprete intelligi potuit et dissolvi; ita sane hoc *modicum,* de quo Dominus ait. At vero Samson suum aenigma aperte declaravit, quod erat favus mellis repertus in ore leonis mortui; at vero Dominus non ita, nam cum Apostoli non intelligentes quae Dominus dixerat, [quaererent]: *Quid est hoc quod dicit* nobis: *Modicum?* respondit, nec tamen aperte dixit quid esset hoc *modicum,* sed: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium.* Loquitur de sua passione et posteriori resurrectione; illa futura erat Apostolis causa magni

doloris, haec autem magni gaudii. Et tamen etiam solvens aenigma obscure loquitur, ut sciamus non tam faciles esse Divinas Scripturas quam haeretici faciunt.

In responsione autem praedicit suis Christus futuras tribulationes simul et consolationes, sed post tribulationes, quas Petrus dixit *posteriores glorias;* sed tribulationes quidem breves, consolationes autem diuturnas: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis, tristitia vestra convertetur in gaudium.* Paulus ait quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae, quod in praesenti est, supra modum aeternum gloriae pondus operatur*, etc.

Ostendit autem haec Dominus exemplo mulieris, quae dolores magnos patitur dum parit, sed breves, sed post partum gaudet estque gaudium diuturnum; ita tempus passionis Christi breve fuit, sed resurrectionis et gloriae tempus nunquam habiturum est finem.

Docet Dominus varias rerum vices in mundo et in Ecclesia electorum suorum, sicut cernimus in duobus mundi hemisphaeriis circa noctem et diem; habemus haec in historia Lazari et epulonis, et quasi in figura in historia Adoniae et Salomonis; in historia etiam Saulis et Davidis mutantur rerum vices, sicut in Aman et Mardochaeo, sicut in Hebraeis et Aegyptiis. Haec nobis mature consideranda sunt.

DOMINICA IV POST PASCHA

Vado ad eum qui misit me et nemo ex vobis interrogat me : quo, etc. Agit hodie Christus patrem amantissimum, qui filiorum causa in longinquam regionem iturus, videns filios moestos tristesque propter futuram ipsius absentiam, consolatur eos ostendens magnam utilitatem suae profectionis et quam e re ipsorum futura sit absentia, ita Christus hodie: *Quia*, inquit, *haec locutus sum vobis*, nempe quia *vado ad eum qui misit me, tristitia implevit cor vestrum*, quod remansuri sitis tanquam orphani; *sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, hoc est: non replebimini Spiritu Sancto, sicut Eliseus repletus fuit duplici spiritu Eliae, sed tamen nonnisi post discessum Eliae ex hoc mundo. Ostenditur hinc Spiritus Sancti divinitas, alioquin non expedivisset Apostolis ut discederet creator et veniret creatura, quod utique fuisset si Spiritus Sanctus non esset Deus. Accepto autem Spiritu Sancto, tales eritis ut possitis arguere, hoc est argumentis convincere per praedicationem et miracula, *de peccato et de iustitia et de iudicio*, hoc est de veritate Evangelii et fidei, quae docet Christum esse auctorem salutis, ita ut qui in ipsum non credit, vivat in peccato et in statu perditionis: *Nisi credideritis... moriemini in peccato vestro ;* quod ipse sit iustus et sanctus ac propterea a Deo in coelum exaltatus, et tandem quod sit iudex mundi et satanae debellator et victor. Ad hoc alludens Ioannes ait: *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra.*

Quare promittit Dominus quod Spiritus Sanctus Apostolos facturus erat mundo superiores ac ipsos veluti deificaturus, daemonibus etiam superiores redditurus. Magna item ostenditur Christi gloria, cuius gratia venturus erat Spiritus Sanctus,

verus Deus, ad eam mundo manifestandam: *Ille testimonium perhibebit de me; Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annunciabit vobis.*

Promittitur itaque Spiritus Sanctus ad Christi gloriam et ad Ecclesiae utilitatem. Sunt autem haec duo cardines circa quos vertitur universa machina operationum Dei. Omnia enim Deus facit ad gloriam Christi et hominum utilitatem.

DOMINICA V POST PASCHA

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Promissa magnorum principum solent implere hominum pectora magnis spebus, maxime cum serio fidem suam obstringunt et magna promittunt. In hodierno autem Evangelio Christus ostenditur magnus princeps: *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* et Apostolorum confessione: *Nunc scimus quia scis omnia... in hoc credimus quia a Deo existi.* Magnus autem princeps Christus, et tam magnus quam Deus vivus et verus est, magna promittit.

In hac autem promissione videndum est quis promittit, quibus promittit, quomodo promittit et quid promittit.

Est autem qui promittit Filius Dei, princeps summus: *Exivi a Patre, Scis omnia, A Deo existi;* Filius Dei dilectissimus, cuius gratia Deus diligit alia omnia: *Pater amat vos, quia vos me amastis.* Promittit autem non infidelibus sed fidelibus, maxime vero fide viva et caritate praeditis, Dei dilectis: *Ipse Pater amat vos quia vos me amastis et credidistis;* qui etiam Christum confitentur: *Scimus quia scis omnia... credimus quia a Deo existi.* Promittit autem maxima cum asseveratione et veluti iuramento: *Amen, amen dico vobis: Ut per duas res immobiles,* ait Paulus, *quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium* spei *habeamus.* Quod autem promittit maximum est: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo;* quod alibi ait: *Omne quodcunque vultis, credite quia accipietis et fiet vobis.*

Promissa autem, licet magnorum principum et magna, non implent hominem spe nisi credantur.

Praesupponit autem oratio, ad quam nos Dominus hodie excitat et hortatur, primo quidem fidem omnipotentiae Dei, quod Deus omnia facere potest unico verbo, imo voluntatis nutu; secundo fidem divinae bonitatis et caritatis infinitaeque clementiae et pietatis; tertio fidem meritorum Christi, qui pro nobis bona omnia meruit, ita ut sicut filius potest a principe petere stipendia quae pater ipsius meruit, ita christianus bona quae Christus meruit, non sibi sed nobis; quarto fidem promissionum divinarum, quia Deus revera promisit rite petentibus daturum se quaecunque petierint bona.

Ut autem rite fiat oratio, videndum est quid et quomodo quid a Deo petatur: quid, ne dicatur nobis: *Nescitis quid petatis?* quomodo, ne dicatur: *Petitis et non accipitis eo quod male petatis.* Petenda sunt a Deo bonorum omnium auctore bona, sed bene, fideliter, humiliter et perseveranter.[1]

1) Viginti novem foliis albis relictis et non numeratis, transitur ad diem Natalis Domini.

IN DIE NATALIS DOMINI

Impleti sunt dies Mariae ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum. Celebramus hodie natalem Filii Mariae, pauperrimae mulieris, adeo ut natum infantem reclinaverit *in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio;* et tamen Angelus de coelo monet ut gaudeamus: *Evangelizo vobis gaudium magnum... Quia natus est vobis hodie Salvator;* et Zacharias propheta ait: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper;* ideo laetandum, quia natus est nobis rex noster. Sed qualis rex? *Factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius... princeps pacis,* sive felicitatis, *et pacis non erit finis;* rex non solum hominum, verum et Angelorum, hinc Angelus ait: *Natus est vobis... Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*

Sed videndum cuius matris et cuius patris sit filius. In Evangelio tantum dicitur ab Angelo quod sit *natus,* ab Isaia similiter: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis;* nihil dicitur de patre aut matre. Evangelista dicit quod sit Filius Mariae primogenitus; tantum dicit de matre, nihil autem de patre. Sed de patre praedixerat Angelus ad matrem: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.*

Sed si Filius tanti Patris, quomodo tam humili loco natus? *Propter nimiam caritatem qua dilexit nos Deus, Filium suum* misit *in similitudinem carnis peccati; Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum* [*daret*]. Ab Angelo dicitur *Salvator,* hoc est vitae et felicitatis aeternae, quam ob peccatum primi parentis in paradiso amisimus, restitutor. Sed non potest acquiri vita aeterna sine gratia et amicitia Dei, nec gratia Dei haberi sine remissione culpae, nec culpa remitti atque deleri absque poenitentia. Venit igitur Filius Dei in mundum propter salutem nostram, ad patiendum et poenitentiam faciendam ad delendum peccatum, ad acquirendam nobis gratiam Dei et vitam aeternam. Peccatum ortum habuit a superbia: en in Filio Dei summa humilitas cum summa paupertate.

Christus hodie natus proponitur nobis considerandus et tanquam magnum Dei miraculum et tanquam magnum beneficium; miraculum: *Vocabitur nomen eius admirabilis,* ita proponitur ab Isaia cum ceteris quae sequuntur; beneficium: *Natus est vobis hodie Salvator,* ita proponitur ab Angelo; a Ioanne simul dum ait: *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis, et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia quia gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

IN DIE SANCTI STEPHANI

Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis, etc. Celebratur hodie festum gloriosissimi Martyris Stephani, quo nominis sui coronam divinitus accepit, perpetua et nunquam interitura gloria in coelo coronatus, de qua

Petrus: *Percipietis immarcescibilis gloriae coronam*, et Iacobus apostolus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Paulus autem ait quod *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* In die martyrii sui Stephanus certavit legitime, vicit et reportavit coronam gloriae, ut de eo dici possit: *Gloria et honore coronasti eum*, et: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*

Est autem inter lectionem Evangelii hodierni et Epistolae magna consonantia. Primum in Evangelio agitur de variis donis Spiritus Sancti: *Mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas*, hoc est Sacrarum Scripturarum doctores, qui dicuntur legis periti et legis doctores, omnia autem haec sunt dona Dei; similiter in Epistola agitur de donis Spiritus Sancti in Stephano, quod plenus fuerit Spiritu Sancto, fide, fortitudine, gratia. In Evangelio agitur de martyrio: praedicitur a Christo martyrium servorum Dei, in Epistola agitur de martyrio Stephani; in Evangelio agitur de poena eorum qui persequuntur martyres, in Epistola de praemio quod consequuntur martyres, dum Stephanus in ipso martyrio vidit coelos apertos et gloriam Dei; in Evangelio laudantur martyres: Abel iustus et Zacharias pontifex occisus inter templum et altare, in Epistola laudatur plurimum Stephanus protomartyr; in Evangelio ostenditur dignitas martyrum, quod sunt veluti legati summi principis a Christo in mundum missi pro salute hominum, ad congregandos homines sub alis Christi: *Quoties volu- congregare filios tuos*, etc., in Epistola habemus concionem Stephani ad concilium Iudaeorum. *Quomodo... praedicabunt nisi mittantur?* Missus fuit plenus Spiritu Sancto, divinis armis optime instructus ad pugnandum contra capitales Christi inimicos.

Habemus in hoc Evangelio missionem divinam ex caritate: *Quoties volui congregare filios tuos*, etc.; habemus et persecutionem humanam ex malitia: *Et noluisti; hinc ait: Perditio tua, Israel; Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

IN DIE SANCTI IOANNIS APOSTOLI

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, etc. Legitur hoc Evangelium hodie in laudem Ioannis, cuius festum diem celebramus, et de eo nihil aliud dicitur nisi quod fuerit dilectus Christi discipulus: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus;* quod fuerit Evangelista Christi veridicus: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius;* quod fuerit desiderio martyr, iussit enim Dominus Petro ut ipsum ad martyrium sequeretur, Ioannes non iussus, sua sponte sequebatur; et tandem quod ab Apostolis existimatus est immortalitatis privilegio donatus: *Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur.* Quoad primum dicitur Ioannes discipulus Christi singulariter dilectus, sicut Beniamin; hoc autem de seipso ait non vanitate animi elati, sed veritate animi non ingrati, semper enim contemplabatur et ante oculos habebat divinum Christi amorem Ioannes ut ipsum redamaret. Diligebatur a Christo plurimum, sed ait: *Ego diligentes me diligo; In viis iustitiae ambulo... ut ditem diligentes me*, pro-

pterea Ioannem super omnes alios Apostolos legimus a Christo ditatum coelestibus divitiis donorum Spiritus Sancti.

Plura singularis amoris Ioannis erga Christum et Christi erga Ioannem indicia reperimus in Evangelio. Ioannes enim vocatus a Christo, ac si Christus magnes esset ipse vero ferrum, statim tractus ad Christum fuit et propter Christum reliquit omnia quae habebat, ipsos etiam parentes et uxorem intactam, Christoque consecravit iuventutis suae florem, Christum perpetuo secutus fuit, etiam in passione, astitit enim Christo in cruce morienti magna animi constantia ex amore; post ascensionem Christi una cum Petro magna constantia dixit principibus Iudaeorum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus;* propter Christi amorem gravissimas sustinuit persecutiones et multos exantlavit labores, iuxta praedictionem Christi: *Calicem quidem meum bibetis.*

Multa etiam habemus argumenta singularis amoris Christi erga Ioannem. Sed duo sunt longe praeclarissima: alterum est quia Matrem suam ei dono dedit, quo specialem ipsum fratrem suum constituit; alterum summa familiaritas quae inter Ioannem et Christum intercedebat, nam recubuit in coena supra pectus Domini et a Domino petiit quod Petrus postulare ausus non fuit.

IN DIE SANCTORUM INNOCENTIUM

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, accipe puerum, etc. Celebramus hodie festum Sanctorum Innocentium, qui a Sanctis Patribus flores Martyrum dicti sunt, propter Christum necati ab impio Herode. In hodierno autem Evangelio duo habemus: primum est, quod a Deo innocentia protegitur et coronatur, in Christo nanque innocentia protecta est, in Sanctis autem Innocentibus perpetuo in coelis coronata; alterum est, quod a mundo, cuius diabolus princeps est et *totus in maligno positus est,* innocentia gravissimam persecutionem patitur, dum mundus praefert mundanam, quae sibi videtur, utilitatem divinae pietati; hac enim de causa impius Herodes Sanctos Innocentes occidit. Persecutionem autem vel maxime omnium patitur a principibus, qui catholici dicuntur dicique et haberi volunt, sed politici sunt praeferuntque propriam utilitatem divinae pietati, terram coelo, mundum Deo, nec alium supra se Deum revera agnoscunt, cum de illis sint de quibus Apostolus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Talis fuit Herodes, quem multi longe optime imitantur: colebat Deum, templum magnificentissime renovaverat, credebat Scripturis de Christo loquentibus.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

Erant Ioseph et Maria mater Iesu mirantes super his quae dicebantur, etc. Cum, sicut Isaias ait, Christus vocandus esset *mirabilis,* sive, ut hebraice est, *miraculum,* non possunt non mirabilia dicta esse de ipso; Prophetae omnes pleni sunt dictis de Christo mirabilibus. Sed hoc mirum quod Ioseph et Maria *mirabantur.* Non pote-

rant autem mirari de mysterio incarnationis, de vera Christi cum humanitate tum deitate, qua Patri aequalis, verus Deus, idem unus est Deus: *Ego et Pater unum sumus*, atque ut verus vereque adorandus Deus adoratus fuerat a pastoribus, ab Angelis, postea a Magis. Qua igitur de re mirabantur? De mirabilibus quae operaturus et facturus erat in mundo. Nec tantum de mirabilibus actionibus, verum etiam de passionibus magnisque et mirabilibus poenis quas pro salute mundi passurus erat. Non est [mirabile] Deum [1] agere, sed supra modum mirabile est pati: *Positus est... in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Mirabilia autem de Christo, Deo homine, quoad passionem dicta sunt insigniter ab Isaia, capite 53: *Quis credet auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est ?... Ascendet sicut virgultum coram eo,* etc.

Non minus autem mirabile est quod ab Evangelista dicitur, quod *puer crescebat et confortabatur* spiritu *et sapientia et gratia Dei erat in illo.*

IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI

Postquam impleti sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen, etc. Sicut dilectissimus filius sanctissimi patriarchae Abrahami uno eodemque die octavo a nativitate circumcisus et vocatus fuit Isaac, quod nomen per Angelum prius quam conciperetur fuerat divinitus impositum, ita hodie Christus, unigenitus Filius Dei, qui summus est Pater, *ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur*, et circumciditur et vocatur Iesus, nomine prius a Deo imposito et per Angelum pronunciato.

Fuit autem Christi circumcisio veluti imago quaedam futurae passionis et gloriosa nominis impositio praesagium gloriosae Christi resurrectionis, quando gloriose devictis et triumphatis peccato, morte, diabolo et inferno, seipsum ostendit verum mundi Salvatorem.

Duo haec mysteria a Paulo *ad Philippenses* egregie pertractantur: primum quidem declarans quisnam sit puer iste qui circumciditur: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem ;* deinde quoad impositionem nominis: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.*

IN DIE EPIPHANIAE DOMINI

Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis, ecce Magi, etc. Novam habemus hodie Salvatoris nostri Filii Dei, in mundo ex Virgine nati, manifestationem. In die Natalis manifestatus fuit ab Angelo pastoribus, hodie a Deo ipso per

1) Ms.: *Deo.*

stellam prius et per Scripturas postea manifestatur Magis. Una autem cum divina Christi manifestatione per stellam perque Scripturas habemus in hodierno Evangelio aperta documenta de vera christianae pietatis religione. Habemus autem documenta religionis verae in Magis et religionis fictae in Herode: *Ut et ego,* inquit, *veniens adorem eum.*

Quoad veram religionem ponuntur duae columnae et bases ipsius: Divina Scriptura et miracula, quibus confirmata est vera fides veraque religio a Deo; sic E v a n g e l i s t a e confirmant veritatem fidei christianae testimoniis divinorum P r o p h e t a r u m et operationibus miraculorum Christi. Ita in hodierno Evangelio habemus miraculum in stella et testimonium M i c h a e a e de loco nativitatis Christi. Sine his duobus non potest esse vera religio.

Nec tantum Scriptura habetur in hodierno Evangelio, sed etiam expositio Scripturae; adducunt enim Scripturam, sed declaratam in generali concilio: *Congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi.* Sic fuerunt Magi Ierosolymis rite catechizati et per Divinas Scripturas rite expositas instructi de mysteriis Christi, prius a Deo per stellam a tenebris in admirabile lumen vocati; non enim potest quis sine divina vocatione assequi veram religionem veramque fidem ab infidelitate, sine munere divinae vocationis, fides enim est donum Dei.

Nec tantum habemus fidem, sed etiam fidei augmentum per Scripturas; certa enim fide moti instituerunt peregrinationem longinquam certissimi quod Christus iam natus erat; [1] etiam habemus fidei apertam confessionem: *Ubi est,* inquiunt in Ierusalem, *qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare.* Quoniam vero potest augeri fides, sicut Apostoli dixerunt: Domine, *adauge nobis fidem,* augeri mysteriorum Christi cognitio, Ierosolymis adaucta fuit Magorum fides; ita tandem Scripturis instructi et stella ducti Christum invenerunt, infinitum thesaurum omnium thesaurorum Dei; sic ex fide Christum adorant et munerant coniungentes cum fide opera: offerunt aurum, thus et myrrham.

Fuerunt autem primitiae christianorum, maxime vero piorum principum, qui futuri erant in Ecclesia Christi.

Sciendum autem quod maior fuit vocatio pastorum quam Magorum, sed tamen multo maior devotio et religio Magorum quam pastorum. Non enim legitur de pastoribus quod de Magis legitur, quod procidentes adoraverint, etc.; maior fuit vocatio Iudaeorum quam Gentilium; illa per Christum magni consilii Angelum, haec autem per servos Christi; tamen multo maior fuit pietas Gentilium erga Christum quam pietas Iudaeorum.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, etc. Hucusque Christus Dominus noster manifestatus est pastoribus ab Angelo, [2] Magis

1) Ms.: *Quoniam* adiicitur. 2) Ms.: *A Magis.*

a stella et vaticinio Prophetarum, multis Iudaeorum in templo a sancto Simeone et Anna prophetissa, hodie primum ipse seipsum manifestare coepit, quod esset, sicut I o a n n e s ait, *Verbum caro factum... plenum gratiae et veritatis*, quae sunt duo de quibus L u c a s in hodierno Evangelio: *Puer proficiebat sapientia... et gratia apud Deum et homines*. Ab E v a n g e l i s t a hodie Christus dicitur *factus*, nec dicitur a quo, quoniam a seipso factus, ipse enim Verbum, Deus, seipsum carnem, hominem fecit; unde P a u l u s ait quod formam servi accepit, sicut homo accipit vestimentum quo seipsum vestit. Cum autem potuisset Christus seipsum ditissimum et gloriosissimum honore et gloria huius saeculi facere, humillimum et pauperrimum fecit coram mundo et hominibus, sed supra modum spiritualibus divitiis gratiae et sapientiae ditissimum coram Deo et Angelis eius.

Signa dat hodie sapientiae et gratiae, hoc est pietatis et sanctitatis suae, quas, contemptis omnibus temporalibus bonis, elegit: sapientiae, qua *stupebant... omnes... in prudentia et responsis eius*, gratiae et sanctitatis, qua ait repertus in templo: *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse ?* Consistit autem in caritate vera sanctitas, caritas autem est qua Deus divinusque cultus rebus cuiuscunque, licet carissimis et longe antiquissimis mundi huius, praefertur; sic hodie Christus propter Deum reliquit patrem et matrem, longe carissimam et dilectissimam, sicut amantissimam. Quare habemus in hodierno Evangelio Christi sapientiam, quam admiremur, et religionem pietatemque adorandi Patrem in spiritu et veritate, quam imitemur. Habemus etiam exempla Virginis Beatissimae, quae imitanda nobis sunt, pietatis ex animo, erga Deum amoris, erga Christum, patientiae in adversis, diligentiae, qua Christum amissum quaesivit.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi, etc. Habemus in hodierno Evangelio primum miraculum, quo Dominus noster manifestavit mundo gloriam divinitatis suae. Est autem simul miraculum et beneficium et cum his mysterium: magnum miraculum, magnum beneficium, magnum mysterium, dicam etiam magnum gratiae et caritatis argumentum in Christo, qui humanitate et gratia vinci non patitur; cum humanitatis, gratiae et caritatis ergo invitatus fuerit ad nuptias, gratiam voluit multo maiori gratia recompensare. Ille enim est qui ait: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* Tam magno, tam generoso corde Christus est, ut non possit non reddere pro uno mille, cum sui ipsius causa aliquid fit ex animo, ex corde, ex vero amore. O quam beatus revera est qui ex animo Christum diligit eique inservit! Nihil enim omnino irremuneratum relinquit.

Magnum cum primis est primum hoc miraculum Christi, quoniam ad intercessionem Beatissimae Virginis Deiparae factum est. Ipsa enim e stirpe regia nata et animo revera regio praedita, humanitate, gratia et caritate superari et vinci minime patitur; fuerat ipsa ex caritate invitata ad nuptias, reddidit multo maiorem gratiam.

Magnum nuptiarum Sacramentum, de quo P a u l u s ait: *Sacramentum hoc*

magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Voluit Christus hodie tanquam divinitus institutum honorare praesentia Apostolorum, discipulorum suorum, praesentia Matris suae, propria praesentia sua et miraculo omnium miraculorum suorum primo: *Hoc initium signorum* suorum *fecit Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum*, etc.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM

Cum descendisset Iesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum dicens, etc. Duas historias habemus in hodierno Evangelio et duo miracula quae simul sunt beneficia, duas etiam personas quibus beneficia conferuntur et ad quarum instantiam miracula fiunt propter meritum fidei; utrunque magnum miraculum, sed posterius priore maius; magna fides utriusque personae, sed multo maior fides posterioris, quam Dominus divino sane encomio commendavit dicens: *Non inveni tantam fidem in Israel;* nec tantum commendavit, verum etiam miratus fuit: *Audiens... miratus est.*

Ostenditur in hodierno Evangelio quod fides non in omnibus aequalis est: in aliquibus quidem magna sicut in leproso, in aliis autem multo maior, ita ut sit admiratione digna, sicut in centurione. Laudatur a Domino utriusque fides: leprosi quidem facto, dum statim orationem ipsius exaudit: *Domine, si vis, potes me mundare*, quasi echo respondit illico: *Volo, mundare*, mundus esto, fiat tibi sicut petisti; centurionis autem commendavit fidem et facto et verbis illustrique encomio cum admiratione.

Non solam laudavit fidem Christus, nam fides leprosi fuit cum religione coniuncta: accessit et *adorabat eum* utique genu flexo, cum oratione qua fidem suam confessus et publice protestatus fuit: *Domine, si vis, potes me mundare;* confessus enim fuit Christum illum esse, de quo dicitur: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit;* et praeterea quaesivit ab eo Christus opera, ut iret ad sacerdotem et offerret munus quod paecepit Moyses. Centurionis autem fides multis cum virtutibus coniuncta in ipso Evangelio cernitur.

Ostenditur in utroque exemplo quam sit vera vivaque fides grata Deo et utilis nobis. Promittitur hodie fidei felicitas aeterna cum sanctis Patriarchis in coelo, unde P e t r u s ait: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum, et praeterea facit ut orationes nostrae facile et quam citissime exaudiantur a Christo, sicut in utroque exemplo videre est; Christum enim proponit omnipotentem: *Si vis, potes*, ita ut uno tantum verbo possit omnia quaecunque voluerit: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus ;* et quod divina bonitas, benignitas et clementia aequalis sit divinae potentiae, sicut omnia bona potest, ita omnia vult in salutem et beneficium fidelium suorum: *Volo*, inquit, promptissimum seipsum exhibuit utrique supplicanti, gratiam concessit quam citissime et summa animi promptitudine.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM

Ascendente Iesu in naviculam, transfretavit et venit in civitatem suam. Habemus in hodierno Evangelio miraculum, quo ostenditur divina Christi potentia, quod ipse sit ille cui dicitur: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Est autem simul miraculum et beneficium factum in salutem suorum, quale fuit opus factum in mari Rubro in salutem Hebraeorum.

Arguitur in hodierno Evangelio Apostolorum modica fides: *Quid timidi estis, modicae fidei ?* et simul ostenditur modica in hominibus Dei cognitio; nam post miraculum dixerunt: *Qualis est hic quia venti et mare obediunt ei ?* Ostenditur enim hodie Christus *Deus absconditus* sub infirmitate humana, qua ascendit naviculam, transfretat mare et dormit. Latens autem deitas ostenditur dum surgens imperat mari et ventis fitque tranquillitas magna, quoniam *venti et mare obediunt ei.* Dicitur autem in graeco increpasse ventos et mare, quoniam opera daemonum fiunt huiusmodi tempestates in elementis, sicut in libro Iob legimus.

Recte coniunguntur duo ista in hodierno Evangelio: modica fides et modica Dei cognitio in hominibus, quoniam in hoc mundo, licet ex cognitione rerum mundi huius Deus possit cognosci, ut Paulus ait: *Invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea*, etc., et David : *Coeli enarrant gloriam Dei*, etc., hoc tamen paucorum est. Nonnisi ex fide cognoscimus Deum, fides autem lucerna appellatur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis.* Parva lucerna nonnisi parum luminis dare potest, sic modica fides nonnisi modicum lumen divinae cognitionis.

Ostenditur in hoc Evangelio quam efficax sit oratio fidelium apud Christum in tempore tribulationis, licet cum modica fide facta sit oratio. Recurrunt discipuli ad Christum in magna ista tribulatione: *Domine, salva nos perimus ; Exurge, quare obdormis, Domine ? exurge et ne repellas in finem.* Et tamen licet Christus arguat modicam fidem, exaudit tamen et a periculo liberat postulataque concedit.

Quid timidi estis, modicae fidei ? Habebant una cum timore fidem, ergo fides non est fiducia, ut Lutherus mentitur, nam qui timet non habet fiduciam; quare timentes amisissent fidem, et tamen per fidem recurrunt ad Christum. *Quid timidi estis, modicae fidei ?* Ostenditur non esse verum quod Calvinus docet in omnibus aequalem esse fidem, cum Christus multos laudaverit de magnitudine fidei, alios arguerit ob modicam fidem. Ergo in his quidem magna fides, in aliis parva invenitur.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

Simile est regnum coelorum homini... qui exiit primo mane conducere operarios in vineam, etc. Ostenditur cum primis in hodierni Evangelii parabola quis sit Deus erga nos et quid faciat pro nobis et quid requirat a nobis. Homo dicitur et pater, non quidem titulo, sicut qui Romae dicebatur titulo pater patriae, sed paterfamilias. Mysterium continet divinae erga nos caritatis: *Apparuit benignitas et humanitas*

Salvatoris nostri Dei; mysterium divinae erga nos providentiae: *Exiit primo mane:* est perpetua providentia, nam exiit etiam hora sexta post tertiam, et hora nona, hora etiam undecima: magna cura vineae, magna diligentia, studium, sollicitudo, magnum desiderium ut bene et a multis colatur, propterea multos conducit operarios iustam mercedem operae omnibus singulisque promittens.

Requirit autem a nobis primum, ne simus otiosi: *Quid hic statis tota die otiosi ?* Vocat nos ad laborem; sed ut laboremus in vinea ipsius, ut ipsi, non carni, non mundo, non satanae serviamus, ut in vinea Domini operarii simus ac tandem ut simus nostra sorte contenti, nec aliis benignitatem Dei invideamus.

Videndum est quis sit in parabola ista paterfamilias, quid significet vinea, quid operarii isti ad excolendam vineam vocati, et quid tandem denarius diurnus qui pro mercede aequaliter omnibus operariis in sero datur. Paterfamilias procul dubio Deus ipse est, Christus Deus et homo; vinea Ecclesiam significare potest, nam: *Vinea Domini exercituum domus Israel est,* quae expectatur ut faciat uvas, hoc est iudicium et iustitiam; et sic operarii essent Episcopi, pastores, curatores animarum. At vero, potest vinea haec significare cultum et servitium Dei in Ecclesia, vel etiam in Religione, in statu perfectionis, et tunc omnes per fidem et Baptismum vocati sumus ad culturam vineae, hoc est ad serviendum Deo.

DOMINICA IN SEXAGESIMA

Exiit qui seminat seminare semen suum; et, dum seminat, aliud cecidit, etc. Habemus in hodierno Evangelio parabolam, in qua Dominus prophetice loquitur praedicitque futurum tunc successum praedicationis Evangelii. Semen nanque est *verbum Dei,* cuius seipsum facit seminatorem, hoc est praedicatorem, quia ipse per Apostolos et in Apostolis suis praedicavit Evangelium in universo mundo; ipse enim in Apostolis vivebat: *Vivo* ego, *iam non ego, vivit vero in me Christus; An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus ?*

Docet autem Dominus quod Evangelium erat copiose in multis mundi partibus praedicandum; docet quod non omnes, qui audituri erant Evangelium, credituri erant; prima enim pars terrae seminatur quidem, sed non recipit semen, hoc est non credit: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum ne credentes,* etc.; hinc, audito Evangelio, remanserunt in sua infidelitate, sicut maior pars Iudaeorum. Docet quod alii audituri quidem erant Evangelium et credituri, sed postea amissuri fidem, facti haeretici: haec est altera pars seminata quae semen recepit et natum fuit, sed non crevit: *Cum gaudio,* inquit, *suscipiunt verbum,* sed *radices non habent, temporales sunt, ad tempus credunt et in tempore,* etc.: hi sunt haeretici qui in vera Christi fide et Ecclesia minime perseverantes exciderunt a fide. Docet quod multi recepturi erant Evangelium et perseveraturi in fide et religione catholica, sed tamen non bene victuri, sed futuri *voluptatum* divitiarumque *amatores magis quam Dei: A divitiis et voluptatibus saeculi euntes, suffocantur,* hoc est *non referunt fructum.* Tandem quod multi audituri et recepturi Evangelium, victuri secundum Evangelium erant: *Qui*

in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia, hoc est perseverantia. *Retinent*, inquit, *verbum* auditum, quod non fecerunt primi; retinent autem *in patientia*, in qua defecerunt secundi; fructum afferunt, quod non fecerunt tertii; sed hi quidem copiosiorem abundantioremque fructum quam illi; non enim aequaliter omnes ieiunant, orant, eleemosynas faciunt, sed hi magis, illi minus.

Quid sit autem fructus ostendit Dominus cum ait: *Venit diabolus et tollit verbum de corde... ne credentes salvi fiant.* Evangelium enim *virtus Dei est in salutem omni credenti ; In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras ; Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum. Ad hoc praedicatur Evangelium, ad salvandas animas. *Semen est verbum Dei*, christiana doctrina per quam propagatur in mundo et in Ecclesia vera fides catholica et religio christiana, sicut in natura per semina propagantur naturae generabilium rerum sub coelo.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

Ecce ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia quae scripta sunt, etc. Tria habemus in hodierno Evangelio: peregrinationem Christi, vaticinium de sacratissima passione ipsius et miraculum illuminationis caeci, quod non tantum miraculum, verum etiam beneficium magnum fuit. Habemus quod imitemur in Christo peregrino, quod discamus a Christo propheta et quod miremur in operatione miraculi:[1] *Dominus illuminat caecos.* Sed etiam in caeco habemus quod discamus et imitemur cum ante tum etiam post beneficium a Christo acceptum. Ante beneficium est opus orationis, quae optime facta, a Domino meruit exaudiri; post beneficium opus gratiarum actionis: *Sequebatur illum magnificans Deum.* Oratio caeci facta fuit magno cum ardore desiderii et magna cum fide et perseverantia, qua *multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.*

IN DIE CINERUM

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae, tristes, exterminant enim facies suas. En post bacchanalia sacrosancta quadragesima, post tempus carnis tempus spiritus, post tempus mundanae vanitatis tempus christianae pietatis, post Aegyptum, ubi filii Israel abundabant carnibus, sacrum desertum, in [quo] coelesti manna pasti fuere, post tempus magnae abundantiae in Aegypto, tempus magnae caritatis annonae. Tempus carnisprivii designat tempus hominum qui secundum carnem vivunt; finem habet in quadragesima, quod tempus est afflictionis et abstinentiae: *Extrema gaudii luctus occupat;* tempus quadragesimae finem habet in Pascha, quod tempus est gaudii et laetitiae; ita tempus vitae hominum spiritualium, de quibus P a u l u s ait:

1) Ms.: *Miraculas.*

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, etc. Exemplum utriusque habemus in divite epulone et in Lazaro mendico.

Dat nobis Dominus hodie regulas christiani ieiunii, quod diversum debet esse a pharisaico; Pharisaeos enim hic Dominus appellat *hypocritas,* quoniam internam sanctitatem in oculis Dei nihil curabant. Requirit autem ut ieiunium nostrum sit purum a vitiis, maxime vero a vana gloria et avaritia, ne ieiunemus ut appareamus hominibus ieiunantes, ne thesaurizemus in terra; ut sit factum cum puritate conscientiae, et praeterea sit coniunctum cum bonis operibus, dum ait: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo,* ac tandem cum caritate rerumque coelestium meditatione et desiderio, ut cor habeamus in coelo; propterea enim vult ut thesaurum nostrum repositum sit in coelo: *Ubi enim,* inquit, *thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit.*

FERIA VI CINERUM

Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum, etc. Agit hodie Dominus divinum legislatorem traditque tanquam legislator praeceptum evangelicae et christianae caritatis. Requirit cum primis a nobis obedientiam, dum praecipit: *Ego autem dico vobis;* requirit caritatem, opera et orationem; requirit ut simus homines meliores ethnicis et publicanis, hoc est infidelibus et malis quibuscunque hominibus; ut simus filii Dei, similes Angelis; ut simus Deo similes: *Estote... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Requirit in primis ut simus imitatores Dei, sicut P a u l u s ait: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Si Deum imitari debemus, necesse est ut in dilectione ambulemus, quoniam *Deus caritas est.* Et homo quidem ad hoc conditus est, ut Deum imitaretur: *Creavit Deus hominem ad imaginem* et similitudinem *suam,* hoc est ut esset Deo similis cum natura tum etiam gratia, sanctitate, virtute. Est autem Deus perpetuus summusque et universalis benefactor: *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,* hoc est omnibus benefacit, et amicis et inimicis suis.

DOMINICA I QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset, etc. Israeliticus populus, qui filius Dei dictus est: *Filius meus primogenitus Israel,* statim atque baptizatus in mari Rubro fuit: *Omnes sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari,* Deo duce in columna nubis et ignis, ingressus in desertum fuit ibique mansit quadraginta annis; ab inimicis impugnatus fuit, Amalecitis, Amorrhaeis, Basanitis, quos, Deo dante, vicit et ibi Angelis ministrantibus sustentatus fuit: *Panem coeli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* Haec autem omnia habemus hodie in Christo, cuius ille populus typus et figura fuit. Statim a baptismo, in quo Dei Filius declaratus fuit plenusque Spiritu Sancto, qui descendit in ipsum in specie colum-

bae, ductus fuit in desertum a Spiritu, ab illo utique Spiritu qui super ipsum descenderat et de quo dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Impugnatur ab adversario tribus tentationibus; vicit omnes tentationes: *Et superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei.*

Est hodie Christus in deserto tanquam navis agitata contrariis ventis. Spiritus enim Dei et spiritus satanae magis contrarii sunt quam auster et aquilo. Christus autem videtur hodie positus inter[1] hos duos spiritus, a quibus sane in contraria impellitur: a spiritu Dei impellitur a mundo in desertum, ubi carnem maceret et spiritui divinisque rebus operam daret, Deum adoraret et soli Deo serviret; a spiritu autem satanae impellitur a deserto in mundum, ducitur in civitatem, statuitur supra pinnaculum templi ut inde praecipitaretur; avertitur mente a consideratione et contemplatione spiritualium rerum, quae sunt cibus animae et spiritus nostri, ad considerationem rerum corporalium cibi et sustentationis corpori necessariae, ad desiderium rerum mundanarum: *Ostendit ei omnia regna*, etc.; impellitur persuasione, etiam cum auctoritate Divinae Scripturae ad praecipitium: *Mitte te deorsum.*

Cernuntur operationes admodum contrariae spiritus Dei et spiritus satanae circa Christum; sed praevaluit spiritus Dei spiritui satanae. Omnis homo navis est post Baptismum in Ecclesia Dei duobus hisce ventis agitata, imo omnis[2] homo navis est quae alterutro spiritu navigat. Beata navis est quae potentius impellitur spiritu Dei, adeo ut vincat potentiam spiritus satanae! nam, *superata omni tentatione, accesserunt Angeli*, etc. Videat quisque nostrum quo spiritu ducatur, bono an malo, Dei an satanae, si accepit spiritum huius mundi an spiritum qui ex Deo est. Spiritus Dei ducit ad desertum, in quo caro mortificatur et vivificatur spiritus, mundoque contempto, soli Deo vacatur.

FERIA IV DOMINICAE PRIMAE

Magister, volumus a te signum videre... Generatio mala et adultera signum, etc. Videtur in hoc Evangelio Christus habere quattuor facies, sicut coeleste illud animal apud Ezechielem: faciem hominis erga discipulos suos: *Extendens manum in discipulos suos ait*: *Ecce mater mea et fratres mei ; quicunque... fecerit voluntatem*, etc.; faciem leonis in rege Salomone: *Ecce plus quam Salomon hic;* faciem aquilae in propheta Iona: *Ecce plus quam Ionas hic.* Prophetae sunt aquilae qui Divinum solem contemplantur et vident a longe quae ventura sunt; Christus autem hodie vaticinans multa praedicit: passionem et mortem suam, reprobationem Iudaeorum, vocationem et conversionem Gentium et futurum iudicium. Tandem faciem vituli in mysterio passionis et mortis suae, quam apertis verbis praedicit.

Sed duas tantum facies contemplabimus: faciem hominis et faciem leonis, quas maxime in die iudicii, de quo semel et iterum in hodierno Evangelio mentionem

1) Ms.: *In loco*: *Inter*. 2) Ms.: *Omni*.

facit, ostendet: hominis quidem in electos qui a dextris ipsius erunt, faciem autem leonis supra modum terribilem et formidabilem reprobis qui a sinistris erunt.

Et Deus quidem ab initio duas has facies semper ostendit mundo: humanam Angelis bonis, leoninam angelis malis; humanam Abelo, leoninam Caino; humanam Noe et filiis, leoninam reliquo mundo; humanam Loth in Pentapoli, leoninam quinque civitatibus; humanam Moysi et Hebraeis in Aegypto, leoninam Pharaoni et Aegyptiis; humanam Iosue et Israelitis in terra promissionis, leoninam Chananaeis. In Novo Testamento humanam Ecclesiae Gentium, leoninam synagogae Iudaeorum; semper humanam bonis, iustis, peccatoribus etiam poenitentibus, leoninam impoenitentibus, qui duro et impoenitente corde thesaurizant sibi iram in die irae.

Causa autem cur hos quidem Christus humanis oculis vultuque aspiciat est, quia faciunt voluntatem Dei, hoc est quia praeferunt voluntatem Dei voluntati suae propriae. E contra vero, istud *volumus* in hodierno Evangelio, velle ut Deus faciat hominum voluntatem, praeferre voluntatem propriam voluntati Dei, in causa est omnium malorum et ut Christus leonino nos vultu excipiat. Si qui sumus salutis nostrae amantes, hoc perpetuo considerare et meditari debemus quam voluntatem faciamus: voluntatem Dei an voluntatem carnis, quam Paulus *ad Ephesios* ait: *Conversati sumus in desideriis carnis nostrae facientes voluntatem carnis.* Divina autem Scriptura semper praedicat ut voluntatem Dei faciamus, quae *bona* est, *beneplacens et perfecta.*

FERIA VI DOMINICAE PRIMAE

Erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina. Magna cum diligentia describit Ioannes in hodierno Evangelio historiam miraculi huius. Describit nanque tempus: *Erat dies festus Iudaeorum;* describit locum: *Est autem Ierosolymis probatica;* tempus sacrum, locus mirabilis, quod erat veluti theatrum quoddam operum iustitiae et misericordiae Dei punientis et condonantis peccata; describit personam: *Erat autem ibi homo triginta et octo annos habens in infirmitate sua;* describit et modum, quia vidit Dominus hominem et cognovit quod *multum tempus haberet* in infirmitate sua, accessit ad eum et dixit: *Vis sanus fieri ?* ac tandem praecepit: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus* surrexit, *tulit grabatum suum et ambulavit.* Describit autem tam diligenter miraculi huius historiam, quoniam ex operatione huius miraculi magnum quid consecutum fuit, nempe scandalum Iudaeorum ex eo quod miraculum hoc fecisset in sabbato et ita sabbatum solvisset: *Propterea,* inquit, *persequebantur* eum *Iudaei... quia haec faciebat in sabbato,* et quia occasio fuit Christo praedicandae divitatis suae: *Pater meus usque modo operatur et ego operor,* quibus verbis Filium Dei se dixit, aequalem Deo, unde subiunxit Ioannes: *Propterea ergo magis* eum persequebantur, *quia non solum sabbatum solvebat, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Et alludens Christus ad hoc miraculum dixit: *Unum opus feci et omnes miramini;* itemque: *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.* Hoc autem totum concernit bistoriam.

Verum habet et mysterium, pulcherrima imago est mysterii iustificationis hominis peccatoris. Sed quod spectat ad historiam loci, in quo miraculum factum fuit, advertendum est quod ad comprobandam veram apud Iudaeos religionem Deus in loco illo Ierosolymis, iuxta templum, solebat [1] secundum tempus operari per Angelum magna miracula, quae veram fidem tanquam divina testimonia comprobant; et illa est vera Ecclesia in qua facta olim sunt et fiunt aliquando miracula, maxime vero in nonnullis locis, sicut erat tunc piscina. Licet in Scripturis piscinae huius neque originem neque praeceptum neque promissionem, quae haeretici cum primis requirunt, habeamus, et tamen fiebant ibi maxima miracula.

DOMINICA II QUADRAGESIMAE

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit eos in montem, etc. Hodierni Evangelii historia visionem mirabilem continet divinamque revelationem. Explicatur fides nostra de Christo, quam Petrus fuerat confessus dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, dum Deus inducitur dicens de Christo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et mirum in modum confessio Petri declaratur et illustratur ostenditurque quam magna de Christo mysteria contineret illa confessio, quae Petro divinitus revelata fuerat: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.* Hinc hodierni Evangelii historia sequitur historiam confessionis illius et revelatio haec manifeste pluribus facta illustrat revelationem illam occultam, factam soli Petro, propterea est veluti figura quaedam gloriae, cum qua Christus resurrexit et venturus est ad iudicandum; hinc paulo ante legimus: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua.*

Est et manifestatio gloriae quae in Christo sub humanitatis humilitate latebat, cum esset *Deus absconditus;* hinc ait: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo ;* et statim sequitur : *Post dies sex assumpsit Iesus Petrum*, etc. Petrus autem ait quod sit mysterium glorificationis Christi: *Accipiens*, inquit, *a Deo Patre honorem et gloriam, voce ad eum huiuscemodi* a nube lucida *delapsa : Hic est Filius meus dilectus*, etc. Glorificat Pater hodie Filium suum et constituit eum legislatorem, iudicem, regem et Salvatorem nostrum, sicut apud Isaiam legimus: *Dominus legifer noster, Dominus Iudex noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Constituit Deus Moysen legislatorem Hebraeorum, Iosue ducem, David regem, Christum autem omnia dum ait: *Ipsum audite ;* non amplius Moysen aut Eliam, sed *ipsum audite.* Ipse unicus est totius mundi legislator, iudex, rex et Salvator, sicut sol unica lux mundi.

Ut autem omnia complectamur in unum, hodie Christus declaratur verus unicusque Filius Dei ac per consequens unicus Dei heres, unde et princeps unicus sicut

1) Ms.: *Solere.*

sol, perpetuus et universalis super universum, quod est regnum Dei; princeps autem optimus, maximus, potentissimus, nobilissimus, serenissimus, ditissimus et liberalissimus, qui tam liberalis quam dives perpetuo est, sicut sol; iustitiae etiam et aequitatis amantissimus, sol enim semper media iustissima graditur via, per eclipticam lineam incedit, nunquam vel minimum quid declinans sive ad dexteram sive ad sinistram.

FERIA IV DOMINICAE SECUNDAE

Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo, etc. Solus Deus est sine peccato et Christus, qui verus est Filius naturalis Dei ac proinde verus Deus, cetera: *Omnis homo mendax;* nemo mundus a sorde; *In quo omnes peccaverunt et egent gloria Dei.* Hinc in hodierno Evangelio habemus imperfectiones Apostolorum, nedum peccata hominum. Peccatum Iudae: *Filius hominis tradetur;* peccatum Iudaeorum et principum ipsorum: *Tradent eum gentibus ad illudendum;* peccatum gentium: *Ad illudendum et flagellandum et crucifigendum,* alius Evangelista habet: *Illudent eum et conspuent, flagellabunt, et postquam flagellaverint, occident eum;* peccata principum gentium: *Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos,* tyrannidem cum superbia et crudelitate; et tandem peccata et imperfectiones Apostolorum: duo petunt primos honores in regno Christi: *Ut sedeant... unus ad dexteram... et alius ad sinistram;* alii moleste ferunt: *Audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Ita videmus in hodierno Evangelio illud Isaiae: *Omne caput languidum et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Sed contra communem morbum habemus etiam universale remedium. Communis morbus est vitium atque peccatum ex culpa primi hominis, quae totum genus humanum infecit; remedium est Christi passio, de qua agitur: *Tradetur Filius hominis,* etc.; *dare animam suam redemptionem pro multis.* Hoc quidem remedium est contra peccatum, aspectus in serpentem aeneum contra venenum ignitorum serpentium; sed ablato peccato non[1] aufertur vitium, quod est veluti radix peccati, unde per Baptismum aufertur quidem peccatum, sed remanet concupiscentiae vitium. Contra hoc autem est exemplum vitae Christi ad omne genus virtutum: *Qui maior est vestrum,* etc.; *sicut Filius hominis non venit ministrari;* et hinc Christus hodie assumit discipulos, ut ipsum sequantur tanquam milites ducem suum.

Est autem duorum Apostolorum petitio revera impertinens. Cum enim homines essent idiotae, simplices, nulla scientia praediti, nullum rerum usum habentes, nulla animi fortitudine, requirunt, petunt tamen primos gradus supremasque regni administrationes et gubernacula, cum in supremis ministris requirantur, praeter bonam conscientiam ad iustitiam administrandam et principi ac reipublicae fideliter[2] in-

1) Ms.: *Quod* loco: *Non.*

2) Ms.: *Videlicet* loco: *Fideliter.*

serviendum; requiratur etiam multiplex scientia moralis philosophiae legumque et historiarum magna prudentia et usus rerum et tandem magna animi constantia, ut valeant virtute irrumpere iniquitatem, ne extimescant faciem potentis.

Mirabile est quod cum ars regendi et gubernandi homines sit longe difficillima, ars artium, tamen nemo tam ineptus est qui non existimet se posse regna etiam, gubernia etiam quamtumvis magna gubernare. Sic videmus hodie in duobus his Apostolis. Sed Christus optime: *Nescitis,* inquit, *quid petatis.* Respondit sicut olim Iacob Racheli petenti filios, sicut Salomon Bethsabee matri petenti pro Adonia Abisag reginam.

FERIA VI DOMINICAE SECUNDAE

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei, etc. Duas parabolas habemus in hodierno Evangelio: unam principalem de vinea, alteram vero incidentem de aedificio: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Nec raro in Sacris Litteris Ecclesia nunc per vineam, nunc per aedificium designatur. Misit Deus Ieremiam ad praedicandam veram fidem et religionem, et ait: *Ut aedifices et plantes;* et Paulus ait: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis;* et de seipso: *Ut sapiens architectus fundamentum posui,* itemque: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* De Noe patriarcha duo legimus: quod aedificaverit arcam et quod plantaverit vineam; de ipso Deo, quod plantavit paradisum et aedificavit costam Adae in mulierem.

Parabola vineae quam simillima est parabolae quam legimus apud Isaiam, nisi quod ibi concluditur contra vineam, hic autem contra vinitores. Declaratur ibi quid sit vinea, ait enim: *Vinea... Domini exercituum domus Israel est;* et hic etiam dum dicitur: *Auferetur a vobis regnum Dei.* Hoc autem non est nisi Ecclesia, quae tunc a populo aufertur cum Dei iudicio per haeresim et infidelitatem fides et religio vera amittitur. Sic enim ablatum est regnum Dei a Iudaeis, ita ut non sint nisi *synagoga satanae;* una eademque vinea ablata a malis agricolis, datur aliis *qui reddant... fructum temporibus suis;* una eademque Dei Ecclesia est sub utroque Testamento, eadem fides, idem Dei cultus, eadem religio per fidem, spem et caritatem. Ita Ecclesia a Iudaeis ablata, data est Gentibus.

Nec tantum quid sit vinea declaratur, verum etiam qui sint vinitores: *Cognoverunt* principes et Pharisaei *quod ad ipsos diceret.*

Ex declaratione sensus, quod vinea regnum Dei sit, intelligimus quid sit plantatio, quid sepes, quid torcular, quid turris in medio. Cum agricolae sint principes rempublicam administrantes, plantatio vineae praedicatio fidei est. *Fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* hinc Paulus ait: *Ego plantavi.* Sine fide vera non potest esse vera Ecclesia, haec enim est forma Ecclesiae ac veluti anima, sine qua nonnisi cadaver remanet. Ita Deus ab Hebraeis per Moysen cum primis fidem requisivit, deinde leges dedit, sed cum armorum potentia, ut populus legibus in officio contineretur et armorum potentia ab adversariis defenderetur.

Haec est maceria cum sepe quam vineae huic Dominus circumdedit; postea tabernaculum construi iussit, locus orationis et publici exercitii divinae religionis, cui postea templum successit, quo totius regni pietas divini cultus cernebatur; tandem dedit ei sedem regni, civitatem totius regni metropolim, ubi essent tribunalia, ut principes et magistratus residerent, Ierusalem, ubi fuit sedes sacerdotalis et regia. Haec autem omnia una cum vinea Deus a Iudaeorum synagoga in Ecclesiam Gentium transtulit divinisque beneficiis gentilem populum cumulavit.

DOMINICA III QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiiciens daemonium et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, etc. Sicut sanctus David fuit exorcista qui sono citharae eiecit daemonem a persona regis Saul, fuit propheta qui divina Christi mysteria praenunciavit, fuit rex qui in regno Dei inter homines regnavit, et fuit fortunatissimus miles qui, prostrato Golia, audivit a mulieribus triumphale carmen: *Percussit Saul mille et David decem millia,* percussit Philisthaeum et abstulit opprobrium ex Israel, ita Christus hodie ostenditur exorcista: *Erat eiiciens daemonium... Et cum eiecisset daemonium ;* propheta qui de futura iudaici populi obsessione a septem nequioribus spiritibus prophetavit; rex contra principem huius mundi, et tamen victor malignantium, qui miracula calumniabantur et daemoni tribuebant; eos enim quattuor rationibus vivisque argumentis confutavit et vicit, unde *extollens vocem quaedam mulier de turba dixit... Beatus venter qui te portavit.*

Mirabilis exorcista Christus, daemonem enim expellit cum a corporibus tum etiam ab animabus. Obsessus erat in corpore homo iste daemoniacus, cuius liberationem tam subitam, tam facilem *admiratae sunt turbae ;* obsessi in spiritu scribae et Pharisaei inimici Christi, qui daemoni tribuebant divina Christi miracula: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Ad eos liberandos Christus rationibusque convincendos diligentiam adhibuit hodie.

Obsessus in corpore imago veluti quaedam est obsessorum in spiritu; daemon enim in spiritu operatur ea quae operatus fuit in corpore miseri istius obsessi. Ostendit Dominus quod liberatus a daemone potest iterum obsideri, et quidem multo peius; hoc ipsum autem accidit in spiritibus per recidivum peccati morbum: *Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Omnis autem homo vel spiritu Dei agitur, de quo dicitur: *Si in spiritu Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei ;* vel spiritu satanae, qui spiritus *immundus* appellatur. Sunt autem effectus admodum contrarii.

FERIA IV DOMINICAE TERTIAE

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?... Quare et vos, etc. Duas disputationes habemus in hodierno Evangelio: alteram cum Pharisaeis de tra-

ditionibus humanis et legibus divinis, alteram cum Apostolis de interna et externa puritate; de eo quod revera maculat animum, cor, conscientiam hominis, quod non sit externum quid, sed internum, ex ipso corde procedens.

Rixantur hodie scribae et Pharisaei cum Christo, sicut olim Laban multis domesticis et familiaribus comitatus cum patriarcha Iacob et sicut cum Iob tres amici ipsius, qui ad eum venerant, sicut regina Saba disputavit cum Salomone. Saepe ausi fuerunt scribae et Pharisaei disputare cum Christo, de primo mandato legis, de tributo Caesaris, de libello repudii, Sadducaei de resurrectione mortuorum; sed omnium nobilissima est hodierna disputatio.

FERIA VI DOMINICAE TERTIAE

Venit Iesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium, etc. Exactissima diligentia, optimo historico digna, narrat Ioannes in hodierno Evangelio historiam particularis conversionis mulieris samaritidis per Christum a falsa religione ad veram et a mala vita ad bonam; post hanc vero conversionem totius fere civitatis ad fidem Christi, unde omnes unanimes Christum confitentur dicentes: *Nos audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*

Disputatur autem in conversione mulieris huius de vera et falsa religione, qua de re magna erat inter Iudaeos et Samaritas controversia, quae transierat in inimicitiam, unde ait: *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis quae sum mulier samaritana? Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis.* Sed cum mulier a revelatione secretorum conscientiae suae cognovisset Christum prophetam esse: *Domine, ut video, propheta es tu,* hinc orditur disputationem de religione dicens: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Ierosolymis est locus in quo adorare oportet.* Christus autem multa disserit de vera religione dicens: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, et nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt eum in spiritu et veritate... Spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare, nam Pater tales quaerit qui adorent eum.*

Quam multa dicit Christus de cultu et adoratione Dei! Docet autem cum primis futurum erga Deum cultum christianorum longe alium a cultu cum Samaritanorum tum etiam Iudaeorum; tunc praefert religionem Iudaeorum religioni Samaritanorum dicens: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est.* Falsam religionem dicit coniunctam cum ignorantia, veram autem cum cognitione veritatis, cui praeter cognitionem veritatis per fidem, adiungit spiritum caritatis et internae pietatis, ut adoretur Deus *in spiritu et veritate,* ut offerrantur Deo, ut Petrus ait, spirituales hostiae, et Paulus vitulos labiorum nostrorum, et David *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum,* etc.

DOMINICA IV QUADRAGESIMAE

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo, etc. Ostendit se hodie Dominus principem munificentissimum summumque erga suos benefactorem et patrem. In prima Dominica Quadragesimae habuimus Christum principem nobilissimum et religiosissimum; in secunda principem illustrissimum, gloriosissimum, ditissimum sicut solem; in tertia principem potentissimum et maxime victoriosum, dum inimicos daemones exagitat fugatque; hodie Christum habemus principem beneficentissimum, summum maximumque benefactorem.

Tria autem consideranda sunt: benefactor, beneficium et beneficiati. Benefactor mirabilis dux est: *Sequebantur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur,* sicut Moyses fuit dux mirabilis et propheta: *Hic est ille propheta qui venturus est in mundum.* Beneficium magnum est, nec tantum beneficium, verum etiam miraculum et mysterium: beneficium, quia opus divinae bonitatis atque clementiae paternaeque providentiae, qua sicut pater filiis providit suis hodie necessarium ad vitam alimentum; miraculum, quia opus divinae omnipotentiae, qua substantiam elementorum in ictu oculi invisibiliter et incomprehensibiliter transmutavit in substantiam panis, opus mirabilis transubstantiationis. Et miraculum quidem hoc credunt haeretici, miraculum autem transubstantiationis panis in Corpus Christi non credunt. Tales sunt, credunt quae volunt; hinc Paulus dixit quod haereticus est proprio iudicio condemnatus, non enim nisi proprium iudicium suum facit fidei regulam; sicut Hebraei in deserto divinam potentiam circumscribunt: *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae... nunquid et panem poterit dare aut parare mensam populo suo?* Credebant quod illud quidem praestare potuit, non autem istud; ita Capharnaitae crediderunt miraculum hodiernae transubstantiationis, non autem miraculum conversionis panis in Corpus Christi; et praeterea discesserunt a Christo.

Praeterea mysterium est, quoniam opus divinae sapientiae, figura Corporis Christi et Communionis sub altera tantum specie, dedit enim Christus eis manducare, non autem bibere.

Beneficiati multi sunt et aequaliter omnibus cuiuscunque conditionis, sexus, aetatis benefacit; sicut olim Hebraeis in deserto omnibus aequaliter pluit manna. Multis ibi Deus benefecit, ita et hic: *Cum sublevasset oculos... et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.*

Est autem magna animorum consensio benefactoris ad beneficiatos et beneficiatorum ad benefactorem, inde magnae gratiae; hinc magnae gratiarum actiones sequuntur ex affectu; tracti vinculis caritatis laudant post beneficium: *Hic est propheta qui,* etc., et volunt rapere et facere eum regem.

FERIA IV DOMINICAE QUARTAE

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate, et interrogaverunt eum, etc. Magna cum diligentia describit hodie Ioannes historiam miraculi illuminationis caeci nati; et quoniam opus Christi est, ad ostendendam demonstrandamque veritatem divinitatis suae, quae infinita potentia est, summa bonitas et immensa sapientia, hodiernum opus miraculum est, quia opus divinae potentiae; beneficium est, quia opus bonitatis divinae, factum ex mera benignitate, neque enim rogatus fuit Christus ad praestandum beneficium hoc tam magnum; et tandem mysterium, quia opus divinae sapientiae, in quo describitur homo christianus ante Baptismum, in Baptismo, post Baptismum, et tandem eiectus a synagoga, Christi aperta et clara visione abunde consolatus, quod est praemium vitae christianae bene actae.

Primum, inquam, quid sit christianus ante Baptismum: *Vidit hominem caecum a nativitate.* Homo quidem est *ad imaginem et similitudinem Dei* conditus, sed luce gratiae Dei, lumine oculorum mentis, lumine etiam fidei privatus, naturam humanam habet, non gratiam, in qua primus homo conditus fuit. Parentes hominis huius non dicuntur caeci, quoniam Adam et Eva parentes nostri, licet peccaverint, lumen tamen fidei non amiserunt; sed homo natus ex ipsis, natus caecus est, sine lumine fidei.

Est autem hodiernum Evangelium plenum disputationibus. Primum enim disputatur de causa caecitatis hominis istius inter Apostolos et Christum; deinde disputatur de persona hominis illuminati: *Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant: quia hic est, alii autem: non, sed similis eius est;* tertio disputatur de causa illuminationis: *Quomodo aperti sunt tibi oculi? Et schisma erat inter Pharisaeos;* quarto disputatur de auctore illuminationis[1] inter caecum et Pharisaeos, et tandem disputatur de fide inter Christum et ipsum illuminatum.

FERIA VI POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum, etc. Sicut miraculum caeci illuminati, cuius in hodierno Evangelio fit mentio: *Non poterat hic qui aperuit oculos ca ci nati?* magna cum diligentia descriptum a Ioanne fuit, ita et hodiernum, et multo etiam maiori, cum fuerit miraculum hoc illo multo illustrius et divinius, et sicut illud fuit non tantum miraculum, verum etiam beneficium et mysterium, ita et hodiernum; et sicut in miraculo illo historice quidem, sed quodam etiam modo philosophice Ioannes descripsit quattuor causas: agentem Christum, materialem caecum, formalem modum quo Christus hominem illuminavit, et finalem: *Ut manifestentur opera Dei in illo,* ita et in hodierno Christum, Lazarum, modum suscitationis et finem describit, et finalem quidem non simplicem: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam; Gaudeo propter vos ut credatis ; ut* ipsi *credant quia tu me misisti ;*

1) Ms.: *Illuminatoris.*

modum etiam perquam diligenter, multis caeremoniis usus. Sed specialiter agitur de causa quae Christum induxit ad opus istud: *Diligebat... Lazarum; Ecce quem amas infirmatur ; Lazarus amicus noster ; Ecce quomodo amabat eum.*

Ostenditur quam felix et beatus sit qui Christi amicus est et Christum amicum habet, nam habet amicum non modo nobilissimum: *Ut glorificetur Filius Dei*, amicum potentissimum, Deum omnipotentem, amicum prudentissimum qui meliora semper et optima quaeque cupit amico, et tandem amicum optimum, qui paratus est pro amico animam ponere nullumque periculum fugere aut formidare: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ;* amicum qui potest, scit et vult nos ab omni malo liberare et omnia bona sua amico communia facere.

O Lazarum beatum, qui talem tantumque amicum habuit! imo qui talis ac tanti principis amicus fuit et verus amicus! Cum enim quindecim stadiis prope Ierosolymam habitaret sciretque principes Iudaeorum Ierosolymis cum toto pene populo esse infensissimos Christi inimicos, ipse tamen eos nihil veritus, profitebatur publice se Christi amicum esse, domi suae ipsum excipiebat et pro virili tractabat et una cum sororibus inserviebat.

DOMINICA PASSIONIS

Quis ex vobis arguit me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Habemus in hodierno Evangelio disputationem de fide inter Christum et Iudaeos, qualis haberi aliquando solet inter catholicos et haereticos. Fidem exigit Christus probatque sibi credendum tum propter vitae sanctitatem: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* tum propter doctrinae veritatem: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Haec enim duo requirebantur in Prophetis, ut crederentur veri Prophetae a Deo missi et tanquam legati Dei susciperentur. Christus autem tanquam propheta divinissimus, qui in hunc mundum venit ad plantandam fidem, plenissimus fuit spiritu Dei, instructissimus vitae sanctitate et veritate doctrinae, in utraque re superior non modo Prophetis, sicut in hodierno Evangelio indicat se maiorem Abrahamo et Prophetis, verum etiam maior Angelis, aequalis Deo. Hinc in fine hodierni Evangelii asserit divinitatem suam: *Antequam Abraham fieret ego sum.*

Tanta instructus sanctitate et scientia, plenus gratia et veritate venit Christus in hunc mundum, quoniam venit ad plantandam in humanis cordibus fidem, quae sicut est ad salutem summopere necessaria: *Sine fide... impossibile est placere Deo; Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum,* ita est etiam captu difficillima, ut patet ex his quae in hodierno Evangelio continentur, quae a Iudaeis minime credita sunt, sed visa impossibilia, falsa et blasphema. Impossibilia, ut quod ait: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit,* tunc Iudaei dicunt: *Nunc cognovimus quia daemonium habes,* hoc est quod tanquam daemoniacus insane loqueris: *Abraham mortuus est et Prophetae,* etc.; *nunquid tu maior es Abraham, qui mortuus est?* etc. Item quod ait: *Abraham pater vester exultavit ut videret,* etc., videtur falsissimum, hinc Iudaei: *Quinquaginta annos nondum habes*

et Abraham vidisti? Et quod ait: *Antequam Abraham fieret ego sum,* visum fuit horrenda blasphemia, unde *tulerunt... lapides ut iacerent in eum.*

His de causis Christus ad plantandam christianam fidem maximas passus fuit difficultates, similiter Apostoli post Christum et ante Christum Prophetae.

Sed et aliam ob causam fides christiana maximas difficultates passa fuit: quoniam praeter quam quod res longe difficillimas creditu praedicavit, etiam vitia hominum magna cum acrimonia et severitate reprehendit, sicut Christus hodie Iudaeos mendaces dixit et ex Deo non esse, hoc est filios diaboli appellavit, et observantiam divinae legis, hoc est opera bona actionesque virtutum longe difficiles ab hominibus requisivit.

Est itaque fides et religio christiana res difficillima et maxima cum difficultate in hominum cordibus plantata. Non ita haeresis et falsa religio: arianismus, mahumetismus, lutheranismus, calvinismus; errores et mores secundum carnem plantantur facillime. Sunt autem haeretici similes Iudaeis contra Christum, adversus religionem catholicam; videbantur illi habere zelum Dei, sed contra Christum non egerunt nisi malis cogitationibus, odio, mandaciis, conviciis et tandem violentia: a duris verbis venerunt ad lapides.

FERIA IV DOMINICAE PASSIONIS

Facta sunt encaenia in Ierosolymis et hiems erat. Et ambulabat Iesus in porticu. Loquitur hodiernum Evangelium de Christo, de veris Christi electis et una simul de reprobis. Quoad Christum inquiritur an ipse sit Christus, hoc est verus Messias, et hac de re in porticu Salomonis disputatur. Arguunt quod non, quia non modo, non manifeste venit sicut Messias, qui venturus dicitur ut sol: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae;* sed neque manifeste, dixi, hinc aiunt: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Sed Christus: *Loquor,* inquit, *et non creditis,* nec tantum verbis, sed etiam operibus manifestissimis. Et quoniam Messias in Sacris Litteris praedicatur Deus et homo, propterea in hodierno Evangelio agitur cum de humanitate tum etiam de divinitate Christi et factis et dictis.

De christianis dicitur: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet,* etc. In quibus verbis bonorum christianorum assignatur cum meritum virtutum tum praemium; in electis enim Dei in Sacris Litteris haec duo iugiter praedicantur.

De reprobis etiam loquitur Evangelium: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,* ostendunturque reproborum hominum et demerita vitiorum malorumque operum et poenae quae illos manent, nempe quod non habebunt vitam aeternam, sed peribunt in aeternum.

FERIA VI DOMINICAE PASSIONIS

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium adversus Iesum et dicebant. Habemus in hodierno Evangelio concilium hominum politicorum, qui fortunarum amatores sunt magis quam Dei et homines sunt *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes,* consiliarii sunt de quibus Dominus per I s a i a m ait 30: *Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum; qui ambulatis ut descendatis in Aegyptum et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis et habentes fiduciam in umbra Aegypti !* hoc est: qui humanis tantum rationibus ad instar infidelium Aegyptiorum vultis administrare rempublicam ac si non esset Deus, et nulla religionis et pietatis habenda ratio esset: *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam.* Plane in Aegyptum descenderunt hodie consiliarii Iudaeorum, ut imitarentur prudentiam Pharaonis et consiliariorum eius de extinguendis Hebraeorum infantibus, ne forte ab Hebraeis tantopere multiplicatis iacturam aliquam pati in futurum possent

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM

Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam et venisset Bethphage ad montem Oliveti. Celebrat hodie Sancta Ecclesia catholica solemnitatem Palmarum, hoc est diem in quo in hoc quidem mundo [Christo] exhibitus fuit a fidelibus populis summus honor, dum tanquam rex Messias acclamatus, susceptus cum triumpho in Ierusalem fuit.

Videtur autem hodiernus triumphus ex una quidem parte humillimus ac fere ridiculus, et altera vero gloriosissimus ac plane divinus tum quoad historiam tum quoad mysterium. Humilitas manifesta est tum quoad personam triumphantem: pauper galilaeus erat, tum quoad personas quae triumphum faciunt: tantum populi sunt turbaeque humiles et pueri Iudaeorum. Sed revera quoad utrunque divinus est, quoniam acclamatur Christus tanquam rex Messias, hoc est rex divinus, et populi nonnisi Spiritus Sancti opera moti in ipsum credunt, confitentur, celebrant, honorant et modis omnibus colunt. Describitur nobis in hodierno Evangelio Christus et in fidelibus populis depicti sunt nobis veri christiani, cultores et adoratores Christi in spiritu et veritate, qui corde credunt in Christum et ore palam Christum confitentur, invitis inimicis Christi, et in honorem Christi ipsum comitantur tanquam regem suum gestantque ramos olivarum et palmarum in manibus et vestimenta prosternunt in terra ovantesque et laetabundi Christum celebrant faustissimis acclamationibus: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Alludunt ad illud *Psalmi: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. O Domine, salvum [me] fac, o Domine, bene prosperare ; benedictus qui venit in nomine Domini.*

FERIA VI IN PARASCEVE

Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Divus Paulus, crucis Christi insignis praedicator, totum passionis Christi mysterium in quattuor capita distinxit, ut consideremus quisnam passus sit hodie: *Recogitate eum;* quid passus sit: *Qui talem sustinuit... contradictionem;* a quibus passus sit: *A peccatoribus,* et tandem ad quid passus sit: *Ut non deficiatis animis vestris.*

Quis passus sit. Persona patiens declaratur in horto, coram Caipha, coram Pilato et tandem in cruce singulariter: quod sit homo innocens apud Deum et homines, homo sanctissimus, nobilissimus, divinissimus: *Vere Filius Dei erat iste.* Signa nanque divinitatis ostendit hodie in horto et in cruce. Patitur non coactus, sed sua sponte; hinc nec factis nec verbis coram iudicibus voluit seipsum defendere, nec innocentiam suam demonstrare, quoniam pro salute humani generis libenti animo pati crucem et mortem voluit.

Quoniam persona patiens hodie ineffabilis est, propterea Paulus ait: *Recogitate eum.* Quis est quem recogitare debemus? *Eum,* inquit. Vult ut simus sicut cherubim in sancto sanctorum, qui iugiter admirantes divinum propitiatorium aspersum sanguine intuebantur et invicem sese respiciebant. In omnibus mysteriis redemptionis nostrae ostendit se Christus Deum et hominem, sed cum primis in mysterio passionis et mortis suae. Paulus ait quod Dominum gloriae crucifixerunt, et Petrus quod auctorem vitae interfecerunt.

PARS SECUNDA

Talem contradictionem sustinuit, nec tamen dicit qualem, quoniam revera quanta Christus passus est dicere non est humanae linguae possibile. Multi multa passi sunt, sed Christus fere omnia malorum genera. Poenae omnes, quas in hoc quidem mundo pati potest homo, ad duas reducuntur: ad poenas sensus, quae affligunt et cruciant corpus, et ad poenas damni, quae affligunt et cruciant animum. Damna autem patitur homo, vel fortunarum, dum privatur bonis, honoribus, dignitatibus, patria, amicis, liberis carisque omnibus, dum patitur iniurias, persecutiones, odia ab inimicis, iniustitiam a magistratu, ingratitudinem ab iis quos beneficiis affecerit, dum vita privandus est, in morte et amissione carorum.

Omnia autem haec malorum genera passus visus est Beatissimus Iob: corporales quidem poenas doloresque et cruciatus acerbissimos in corpore, nam a diabolo flagellatus crudelissime fuit, ita ut *a planta pedis usque ad verticem* non remanserit *in eo sanitas;* dolores autem animi, quoniam uno die privatus fuit omnibus fortunis, omnibus bonis, omnibus carissimis filiis. Non tamen omnia passus fuit, non enim laesus fuit in honore, non infamia turpi aspersus, non ad infamem mortem summa cum iniuria a publico magistratu damnatus aut propter falsas inimicorum accusationes cum ignominia raptus et in carcerem cum scelerosis hominibus coniectus.

Solus Christus omnia fere malorum genera passus est. Incepit autem Christi passio a doloribus animi, sicut et Iob prius in animo cruciatus fuit, postea vero in carne. Nulla est autem vel minima pars passionis Christi, in qua non multa passus sit cum in corpore tum etiam in animo, in horto, in domo Annae, in domo Caiphae, in domo Herodis, in domo Pilati, in itinere dum crucem ferret, et tandem in calvario.

PARS TERTIA

Sustinuit talem a peccatoribus contradictionem. Ostendit Paulus a quibus passus sit Christus dicitque *a peccatoribus;* non dicit a Iuda, a Iudaeis, ab Anna, a Caipha, ab Herode, a Pilato, ab universo populo, sed *a peccatoribus;* nec tamen dicit quod a peccatoribus tantum. Sciendum est quod quattuor genera personarum inveniuntur in mundo, hoc est in tota rerum universitate: Personae Divinae, personae angelicae, personae humanae et personae satanicae, diabolicae. Personae Divinae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus in Deo, angelicae in coelo, humanae in terra et satanicae in inferno. Et personae quidem humanae in quattuor etiam partes distinguuntur; nam sunt personae ecclesiasticae et personae saeculares, personae publicae et personae privatae. Christus ab omnibus passus est. Abel passus tantum a Caino fuit, Isaac ab Ismaele, Iacob ab Esau, Ioseph a fratribus, Iob a satana, Christus ab omnibus. Sed Paulus singulariter dicit *a peccatoribus.*

Quattuor autem genera peccatorum cum primis reperiuntur in passione Christi: peccatum avaritiae in Iuda, peccatum cupiditatis, quae *radix* est *omnium malorum;* peccatum inimicitiae et crudelitatis in pontificibus et principibus Iudaeorum; peccatum ignorantiae in populo Iudaeorum: *Si enim cognovissent,* ut Paulus ait, *nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* peccatum iniustitiae in omnibus magistratibus.

Sunt veluti quattuor radices peccatorum: concupiscentia, ignorantia, fragilitas et malitia. Concupiscentia et malitia reperitur in Iuda et Iudaeorum principibus; fragilitas in Petro, in Pilato; ignorantia in universo populo, in quo praeterea reperitur summa ingratitudo.

O quam grave est pati mala pro bonis, ab ingratis pro beneficiis maleficia!

PARS QUARTA

Ut non deficiatis animis vestris. Docet Paulus cuius rei gratia meditanda nobis iugiter sit Christi passio, ut exemplo Christi roborati patientes simus in tribulationibus et adversitatibus. Sic et Petrus ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit,* etc.

Sed non ad hunc tantum finem passus est Christus. Alibi Paulus ait quod passus est propter peccata nostra. Et de fine quidem passionis Christi multa legimus in Scripturis Sanctis: *Sicut Moyses exaltavit serpentem... ita exaltari oportet Filium hominis,* etc.; *Dare animam suam in redemptionem pro multis; Effundetur* sanguis meus *in remissionem peccatorum.*

IN DIE SANCTO PASCHAE

Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, etc. Celebramus hodie ter quaterque solemnissimum et beatissimum diem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, de qua nonnihil dicendum, Domino adiuvante, nobis est.

Sicut in passione vidimus quis passus, quid, a quibus et ad quid passus fuit, ita hodie de resurrectione videndum quis resurrexit, cum qua gloria resurrexit, a quo suscitatus fuit et ad quid resurrexit. Haec enim quattuor de Christi resurrectione cum primis in Sacra Scriptura docentur.

Ostendit Angelus hodie et annunciat sanctis mulieribus quisnam resurrexit dum ait: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.*

Cum qua gloria ostendit factis, non verbis, nam de hoc Angelo Matthaeus ait quod *erat... aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix.* Alludit ad gloriam transfigurationis Domini, cum ea enim gloria resurrexit, comitantibus Sanctis Patriarchis et Prophetis, sicut ibi visi fuerunt in maiestate Moyses et Elias. Hodie autem resurrexit Christus comitantibus omnibus Patriarchis, Prophetis et iustis.

A quo suscitatus sit Scriptura in hodierno Evangelio non dicit, sed tamen resurrexit quasi cum homo surgit a somno. Alibi autem Christus dicitur suscitatus a Deo, alibi a seipso; omnia autem vera sunt: suscitatus fuit a Deo, a tota Trinitate; suscitatus a seipso, quia a divinitate Verbi, quae mansit unita et animae Christi et corpori in morte.

Ad quid autem suscitatus sit, Paulus ait quod *mortuus est propter delicta nostra*, hoc est ut satisfaceret Deo pro delictis nostris, *et resurrexit propter iustificationem nostram*, ut praedicaret fidem suae resurrectionis, sine qua fide nemo iustificari potest, ut suscitatus iustificaret et sanctificaret per Spiritum Sanctum Apostolos fidelesque suos.

FERIA II PASCHAE

Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod est in spatio, etc. Probatur in hodierno Evangelio veritas resurrectionis Christi ex apparitione mirabili facta duobus discipulis in itinere. Est pulcra hodierni Evangelii historia, in qua Christus convertit duos discipulos ab incredulitate ad fidem.

In his autem discipulis errantibus ostenditur nobis haereticorum 'imago. Discesserant a collegio Apostolorum et a communione discipulorum Christi et tamen discipuli dicebantur; cum fidem Christi veram non haberent, loquebantur tamen de Christo, laudabant Christum: *Qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone ;* quaedam credebant de Christo, quaedam autem non credebant; libenter Scripturas audiebant, sed Christum ex Scripturis non cognoscebant; habebant Christum praesentem, nec agnoscebant, quia *oculi... eorum tenebantur ne eum agnoscerent* ac si

caeci essent et oculos clausos haberent. Christus eos stultos appellat et tardos corde ad credendum. Haec autem omnia notae sunt et stigmata haereticorum deceptorum, qui non quidem pertinaci perfidia nec perfida pertinacia errorem tuentur, sed tamen in errorem prolapsi sunt et propterea aliquando illuminantur a Christo et ad lumen verae fidei redeunt ad veramque Ecclesiam revertuntur, sicut hi duo discipuli hodie.

FERIA III PASCHAE

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum et dixit eis: Pax vobis, ego sum, etc. Hodie Dominus discipulis suis annunciat pacem et praedicat fidem multisque argumentis probat veritatem resurrectionis suae, quod non esset spiritus, non phantasma aliquod aut spectrum, sed verus homo, verum corpus haberet carne et ossibus constans.

Videmus hodie id quod idem Lucas in *Actis* ait, quod Christus Apostolis *post passionem suam praebuit seipsum vivum in multis argumentis.* Sed cum primis hodie multis argumentis ostendit seipsum illis vivum, qui in cruce fuerat mortuus, etiam quoniam Christus resurrexit verus Deus et verus homo. Habemus in hodierno Evangelio actiones et humanitatis et divinitatis Christi: humanitatis quidem, qua *stetit in medio eorum,* qua pacifice et amice eos salutavit: *Pax vobis,* qua ostendit eis manus et pedes et ait: *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet,* qua comedit et sumens reliquias dedit eis dicens: *Haec sunt verba quae locutus sum vobis cum adhuc essem vobiscum;* divinitatis autem, qua *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas,* qua, ut Ioannes ait, dedit eis Spiritum Sanctum et potestatem dimittendi peccata deditque mandatum praedicandi *poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.*

DOMINICA IN ALBIS

Cum esset sero die illa una sabbatorum et fores essent clausae, ubi erant, etc. Habemus in hodierno Evangelio duas demonstrationes verae resurrectionis Christi per duas apparitiones ipsius, quibus collegio Apostolorum apparuit ad plantandam confirmandamque hanc fidem: prima ad plantandam fidem hanc firmissime in cordibus omnium Apostolorum; secunda ad confirmandam validius fidem in illis qui credebant et plantandam in corde Thomae qui non credebat et dicebat quod credere nolebat.

Ex occasione autem fidei particularis mysterii resurrectionis Christi Ioannes loquitur de fide etiam n generali, quod fides sit Scripturarum scopus, sive finis: *Haec... scripta sunt ut credatis;* quod sit via salutis: *Ut credentes vitam habeatis; Beati qui.*

APPENDIX SECUNDA

FOLIA AVULSA

FERIA V IN COENA DOMINI[1]

Ante diem festum paschae. Hodie Christus ostendit se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech et Aaronis simul. Instituit sacrificium et sacerdotium, nam haec duo simul reperta sunt tum in lege naturae tum in lege Moysi. Sic in Evangelio praemitit Ioannes tria fundamenta ante institutionem sacrificii Missae: divinam Christi omnipotentiam, quia omnia dedit Pater ei, nam: *Data est mihi omnis potestas ;* divinam sapientiam: *Sciens... quia venit hora ; Sciens quia omnia dedit ei Pater ;* et divinam caritatem: *Cum dilexisset suos,* quoniam divinum hoc Sacramentum effectus est suae causae adaequatus. Adaequat totam divinam potentiam, sapientiam et bonitatem, quia nihil maius aut mirabilius potest Deus; magnum aedificium magna requirit fundamenta. Non potest Deus maius quid homini dare, licet daret totum mundum sicut Adamo, totam Ecclesiam sicut Petro, paradisum ut latroni.

Cecinit hodie Christus novam Missam et instituit novum sacrificium et novum sacerdotium. Magnum mysterium ab auctore infinitae potentiae et bonitatis; ab exemplari figurarum in sacerdotio veteri, utroque a ministris sacerdotibus, Apostolis, quos hodie Christus sacerdotes consecravit; a misericordia, quia hic verus Christus; a forma mirabili, a scopo: In mei memoriam; a fine, quia ad ostendendam infinitam caritatem Dei, et ab effectu, quia dat homini vitam aeternam.

Assignatur etiam locus itemque tempus institutionis. Tres etiam partes principales Missae: consecratio, oblatio, communio et praeterea necessaria praeparatio ablutionis pedum, sicut Abraham voluit Angelos lavare pedes, Ioseph item iussit fratres lavare pedes, Deus item ut Aaron et filii pedes lavarent antequam ad altare ascenderent. Voluit ipse Christus lavare pedes, quia solus Deus potest pacificare animum hominis.

1) Fragmentum hoc, absque dubio autographum S. Laurentii, invenitur in folio avulso, agglutinato in fine cuiusdam codicis continentis Quadragesimale S. Laurentio tributum, italice scriptum. At ex stilo certe non est chirographum S. Auctoris. Codex servatur in bibliotheca PP. Capuccinorum Conventus Mediolani, Provinciae Longobardiensis. Cf. infra, pag. 714, not. 1-2.

Fecerunt autem ei coenam ibi. Coena est Sanctissimum Sacramentum, quam fideles faciunt Christo, sicut Iacob patri suo Isaac et Abraham Deo, qui Angelis comitatus ad eum venit. Coena etiam quam Deus facit nobis, sicut dedit homini lignum vitae in paradiso, populo manna in deserto. In hac sacratissima mensa nos damus in cibum Christo corda nostra: *Fili mi, praebe mihi cor ;* Christus autem dat nobis Corpus et Sanguinem suum. Coena est, non prandium, ad lumen lucernae fidei, non ad lumen solis, ad lumen clarum naturalis rationis.

Ad hanc coenam reperitur cum Magdalena et Martha Lazarus suscitatus, vivus, sanus, reperitur etiam Iudas proditor, sed *post bucellam introivit in eum satanas.* « Mors est malis vita bonis », recepit Sacramentum, sed non rem Sacramenti quoad effectum salutis et gratiae, imo totum oppositum.

Accedat ad hoc Sacramentum Lazarus, sed suscitatus, nec solus, sed Martha et Magdalena comitatus, munitus eleemosyna et oratione, sic enim percipiet fructum ex divinissimo hoc Sacramento.

De Deo legimus quod *fecit coenam magnam.* Vere magna coena est divinissimum hoc Sacramentum, coena ter maxima. Ad veritatem divinissimi huius Sacramenti figendi nobis sunt oculi in divinam omnipotentiam, immensam sapientiam et infinitam caritatem. Attulit Iacob patri cibos ex haedinis carnibus, Christus autem parat nobis coenam ex agno. Christus sua innocentia, nos autem Christo poenitentia coenam paramus.

FERIA II PASCHAE [1]

In margine :

Saepe accidit quod sol seipsum induit nube seque in nube abscondit ut non videatur, postmodum vero velo illo ablato seipsum manifestat, ita facit hodie Christus.

Sicut sanctus ille iuvenis Ioseph, dilectissimus filius patriarchae Iacob, ob merita sanctitatis, iustitiae, pietatis et patientiae suae princeps constitutus a Deo super omnem Aegyptum et mundi salvator factus, non cognoscebatur a suis fratribus, a quibus venditus fuerat, et ipse eos non cognoscere fingens, dure cum eis locutus est, ita hodie Christus Dominus noster, unigenitus Filius Dei, ob merita passionis suae gloriosissimus universi princeps constitutus: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* a discipulis suis hodie veluti peregrinus non agnoscitur, et ipse etiam fingens eos se minime cognoscere, dure cum eis loquitur dicens: *O stulti et tardi corde ad credendum !* Demum sicut Ioseph in convivio se fratribus suis manifestavit, ita hodie Christus hisce discipulis in fractione panis.

Sunt vero in sacrosancto hoc Evangelio recondita altissima mysteria et sacramenta divina. Det nobis gratiam suam Deus ut pro honore et gloria maiestatis suae et animarum nostrarum salute aliquam eorum partem intelligere possimus. Vos Deum pro me exorate et ego in eius nomine nunc incipio.

1) Fragmentum hoc invenitur in folio avulso.

PRIMA PARS

In margine :

Christum videre mihi videor Moysi faciem hodie revelantem; quae velata erat velo figurarum.

Cum non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter claritatem vultus eius veluti sol splendentis, operuit sacer ille Vates et Vatum omnium princeps faciem suam velo sicque velata facie legem dedit Hebraeis. Deus item in sancto sanctorum velo tectus manebat ne a filiis Israel videretur. Divus autem vates Isaias haec declarans mysteria, loquens de Christo ait: *Vere tu es Deus absconditus, veruntamen in te est Deus.* Christus ergo Deus est velo absconditus sub figuris et velaminibus Sacrarum Scripturarum, veluti alter Moyses, non enim potuissent in Christi faciem aspicere, hoc est altissima Christi mysteria intelligere rudes Hebraei, quomodo Christus futurus erat Filius Dei et filius hominis, verus Deus et verus homo, creator et creatura, aeternus et temporalis, coaequalis Deo et minor Angelis, consubstantialis Patri, a quo natus ab aeterno est, et natus in tempore ex muliere, factus consubstantialis et Matri; quomodo homo futurus erat simul viator et comprehensor, beatificabilis et beatus; quomodo Deus nasciturus erat ex Virgine, passurus in cruce, moriturus inter latrones, descensurus in infernum, resurrecturus a mortuis, ascensurus in coelum. Sunt haec incomprehensibilia mysteria. Etenim si cum in persona haec praedicasset Christus et ad haec comprobanda infinita miracula fecisset, non crediderunt Iudaei, quomodo haec de Christo credidissent antequam Christus venisset? Imo si discipuli, qui in Christum crediderunt et omnia eius miracula viderunt, videntes eum in cruce mortuum defecerunt in fide divinitatis eius? Si lex aperte haec de Christo dixisset, quis unquam hominum credidisset? Hinc Deus figurarum sacris velis Christum in Scripturis operuit: *Vere tu es Deus absconditus.* Hinc hodie Christus discipulis hisce suis peregrina specie velatus apparuit, nec se illis manifeste cognoscendum praebet, nisi revelatis Sacrarum Scripturarum mysteriis, nam: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.*

Videre hic mihi videor Iacob patriarcham lapidem e puteo aquarum viventium amoventem, Ioseph frumenti et panis thesauros aperientem, Sacra enim Scriptura aqua est *sapientiae salutaris* et panis *vitae et intellectus;* imo Moysen videre virga petram percutientem et flumina aquarum inde educentem, nam in lapideis tabulis lex data fuit; imo summum sacerdotem sancta sanctorum ingredientem [1] et divina arcana aperientem: *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant;* sic Moyses faciem suam revelat; videre item mihi videor Ezechiam regem ostendentem Chaldaeis omnes thesauros domus suae.

O Deus, quam altos conceptus, quam admiranda mysteria et divina sacramenta audivere hodie felices hi discipuli a divino Christi ore! *Et incipiens a Moyse et omnibus*

1) Ms.: *Aperientem* loco: *Ingredientem.*

Prophetis, interpretabatur illis in omnibus... quae de ipso erant. Nulla plane potest unquam altior aut nobilior scientia reperiri sacra theologia et scientia Sacrarum Scripturarum. Si enim cuiusvis alterius scientiae auctorem requires, nonnisi hominem reperies; huius vero non homo, sed Deus est auctor. Non meministis quod Deus ipse e coelo dedit Moysi tabulas legis divino digito scriptas? O summa excellentia!

Finis item huius scientiae divinae altissimus est, quia vita aeterna: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Hinc Angelus ad Danielem ait: *Qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellae in perpetuas aeternitates.* Hinc item Christus ait: *Haec est... vita aeterna: ut cognoscant te... Deum verum et quem misisti Iesum Christum.*

Formalis item ratio et procedendi modus non est humanae rationis investigatio, quae ad veritatem cognoscendam nihilo fortior est quam oculus nycticoracis ad lumen solis; at sacra theologia procedit semper lumine intellectus divini, qui infinitae sapientiae et intelligentiae est, nec errare potest omnino, uti nec sol obscurari cum suapte natura sit lucidus. Subiectum item considerationis Sacrae Scripturae non est nisi ipsemet Deus et propterea distincta est Scriptura Sacra in theologiam et theurgiam: illa agit de natura divina in se, haec de operibus Dei, uti sunt mundi creatio, humani generis redemptio, praedestinatorum glorificatio.

Princeps peripateticorum Aristoteles metaphysicam dixit reginam et deam scientiarum. Quod si naturalis theologia humani intellectus investigatione acquisita dea est omnium scientiarum, quanto magis ea quae tradita a Deo est? Illam Aristoteles vocavit sapientiam, hanc Moyses sapientiam et intellectum: *Haec est,* inquit, *sapientia vestra et intellectus coram populis.* Per metaphysicam cognovere philosophi Deum, sed, uti Paulus ait, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum;* haec autem et Deum cognoscere nos facit et colere, sicut omnes Prophetae et Sancti fecerunt, ideo inquit: *Haec est... sapientia et intellectus;* hinc Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus sapientiae et intellectus.* Cum ergo felices hi discipuli Christum audierint hodie Scripturarum auctorem, quia ipse est Deus omnia eorum mysteria cognoscentem, quia ipse est fons sapientiae, bone Deus, quam magna secreta audierint! Quis hominum melius potest principis cuiusquam secreta scire quam ipsemet princeps? Et quis melius potest Dei arcana cognoscere quam ipsemet Deus? Ita Paulus inquit: *Quis* enim *hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in eo est? Ita et quae sunt Dei nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Sed ipse Christus est verus Deus.

Sacrae Scripturae sunt secreta Dei; ergo nemo melius Christo potest Scripturarum mysteria scire; hinc ait: *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.* Christus ergo subiectum est Sacrarum Scripturarum. De Christo semper Scripturae loquuntur sicut Novi Testamenti ita et Veteris; sed in illo Christus est Moyses velatus, in isto vero revelatus. Sicut autem Novum Testamentum demonstrat Christi incarnationem, miracula, passionem, resurrectionem et ascensionem in coelum, ita in mysterio et Vetus. Sunt enim haec duo Testamenta *rota in medio rotae,* ut vidit Ezechiel; hinc primum Sacrarum Scripturarum verbum de Christo

est: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Quid est: *In principio? Verbo Domini coeli firmati sunt.* Christus est Verbum per quod facta sunt omnia, ergo Christus principium illud; hinc ipse ait: *Ego principium, qui et loquor vobis.*

Picus Mirandulanus, vir plane doctissimus, hoc verbum in hebraica lingua interpretatus iuxta secretioris theologiae rationes, duodecim nomina inde formavit: *Ab bebar rescith scabath bara rosc esc sceth is rab berith tob.* Quod est: Pater in Filio principio et fine creavit caput, ignem, fundamentum magni hominis foedere bono.[1] Hoc est quod Ioannes unice dixit: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Ego vero idem nomen iuxta easdem rationes interpretatus, altissimo mysterio in eo inclusam video Christi personam cum utriusque naturae sacris idiomatibus. Siquidem triginta tria nomina iuxta annos vitae Christi ex eo nomine eruuntur, quorum primum est *bar* filius; secundum *ascith* ponam; tertium *rescith*, principium; quartum *beriath*, creatio; quintum *rab*, magnum; sextum *isc*, homo; septimum *bore*, creator; octavum *tha*, thalamum; nonum חאב, desiderium; decimum *sceth*, fundamentum; undecimum *berith*, pactum sive lex; duodecimum *iirath*, timor; decimum tertium *rabbi*, magister; decimum quartum *boscer*, evangelizans; decimum quintum *scir*, canticum; decimum sextum *ba*, venturum; decimum septimum *iabo*, veniet; duodevigesimum *rasc*, pauper; undevigesimum *toar*, forma; vigesimum *bascar*, caro; vigesimum primum *bor*, purus; vigesimum secundum *oieb*, inimicus; vigesimum tertium *beusc*, fetor sive iniquitas; vigesimum quartum *iithbare*, creabitur; vigesimum quintum *scar*, princeps; vigesimum sextum *abil*, fortis; vigesimum septimum *iascar*, rectus; vigesimum octavum *rosc*, caput; vigesimum nonum *beth*, domus; trigesimum *ascre*, beatitudo; trigesimum primum *ascer scabat*, qui quies sive sabbatum; trigesimum secundum *beab*, in sive cum Patre; trigesimum tertium *as abbar*, ignis Patris Filii. Tota autem oratio haec est: Filium ponam principium creationis magni hominis, creatorem thalami desiderii, fundamentum legis timoris, magistrum evangelizantem canticum venturum. Veniet pauper forma, carne purus, inimicus fetoris; creabitur princeps fortis et rectus caput domus beatae[2] quietis cum Patre et igne Patris et Filii.[3]

1) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 114-115.

2) Hactenus folium avulsum. Sequentia, in Appendice praecedentis voluminis *Adventus*, pag. 552-556, iam edita, in foliis codicis insertis, cuius titulus « Silva Isagogica », sub n. 17-19 recensitis inveniuntur. Incuriosus collector folium hoc avulsum praetermittens, reliqua inconsiderate post Dominicam Primam Adventus dicti codicis inseruit. Quod autem unicam homiliam constituant certissime apparet non tantum ex orationis contextu, sed etiam ex ultimis vocibus in calce folii avulsi, iuxta morem S. Auctoris, positis: « quietis cum Patre » quibus incipit folium sequens in « Silva » sub n. 17 recensitum. Rursus haec folia simul publicamus ad integre exhibendam hanc homiliam.

3) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Tertium*, part. 1, pag. 504-506.

In margine:

Verum cum diligentius nominis huius mysteria exquisissem, inveni et alia nomina veluti *taisc scibur*, aries confractus; *tebath sceber*, arca spei sive alimenti; *ies rib*, est iudex; *iores baith*, heres domus; *aresceth esh*, declaratio, Α et Ω. Ita quod ascendunt nomina ad numerum quadraginta duorum mansionum et totidem generationum Christi, quas Matthaeus in tribus tessaradecadibus enumerat.

Haec omnia in unica illa Sacrarum Scripturarum prima dictione quam Christus de seipso fuit interpretatus: *Ego principium. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* In Scripturis Sacris plane verum in hoc principio est dictum illud sapientum, quod principia sunt minima quantitate et maxima virtute; continet nanque principium istud omnem Sacrarum Scripturarum virtutem. Haec enim sunt quae Scripturae omnes de Christo testificantur. Primo nanque hic videmus duas Christi naturas, divinam et humanam, in una persona Filii Dei, cum ait Filium Dei in carne venturum. Hoc est quod Scripturae demonstrant in omnibus visionibus sanctorum Patriarcharum et Prophetarum; non enim apparebat illis Deus in propria essentia, quia sic *Deum nemo vidit unquam*, sed in forma humana, sicut Ezechiel ait: *chemareh adam*, *sicut visio hominis.* Quaecunque autem Scripturae dicunt de natura divina, virtutibus et operationibus, omnia dicunt de Christo, quia verus Deus; omnia item quae de iustis et sanctis hominibus, Patriarchis, Prophetis et regibus, de illorum iustitia, sanctitate, sapientia et fortitudine, omnia da Christo Filio Dei, qui futurus erat homo sanctissimus super omnes homines, vere Sanctus Sanctorum.

Quicquid Scripturae dicunt de mundi creatione, omnia dicunt de Christo, quia ipse est principium creationis magni hominis quantum ad divinam naturam, in genere causae exemplaris, efficientis et finalis: *Quod factum est, in ipso vita erat... omnia per ipsum facta sunt; Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula;* quoad humanam vero, quia *ipse est primogenitus omnis creaturae*, et in eo omnis creata perfectio continetur in omni statu naturae, gratiae et gloriae. Ita Paulus ait: *Anachephaleosaste ta panta en to Christo, ta en tis uranis che ta epi tis ghis panta en auto: Instaurare*, sive et melius ac significantius, uti in graeco, *compendio colligere omnia in ipso sive quae in coelis sive quae in terris.*

Quicquid item Scripturae de Ecclesia Dei, sive militanti in terris sive triumphanti in coelis, omnia de Christo, quia ipse est creator thalami desiderii, creator et sponsus utriusque Ecclesiae, utriusque paradisi.[1] Hoc aperit Sacrarum Scripturarum mysteria paradisi[2] terrestris, tabernaculi Moysi, templi Salomonis, templi et civitatis Ezechielis et Ioannis in *Apocalypsi.*

Item, sicut Christus *finis* est *legis ad iustitiam omni credenti*, ita et fundamentum est, quia universa lex divinae innititur auctoritati, quia Deus legis dator fuit. Dabat autem Deus legem Moysi facie ad faciem cum eo loquens; ergo in humana figura Moysi

1) Ms.: *Paradisus.* 2) Ms.: *Paradisus.*

apparebat, ergo Christus legem dabat. Item, quia si Christus non futurus fuisset, Deus non creasset mundum, hinc Sapiens ait: *zadik iesod holam: Iustus fundamentum mundi*, ita nec legem dedisset; ideo semini Abrahae dedit legem, quia ex illo nasciturus erat Christus. Ipse item Christus magister et auctor divinissimae legis evangelicae fuit.

Haec autem Christo secundum divinam naturam praecipue conveniunt: esse Filium Dei unigenitum, creatorem mundi, aedificatorem utriusque Ecclesiae, fundamentum legis et auctorem Evangelii; secundum humanitatem vero cetera Christo conveniunt: pauper forma, hoc est quod Apostolus ait: *Cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* carne purus, quia de Spiritu Sancto conceptus; inimicus fetoris sive peccati, quia *Agnus Dei qui tollit peccata mundi,* uti sol tenebras, ideo *Sol iustitiae;* princeps fortis et rectus, hoc est quod Isaias de eo ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis:* caput domus beatitudinis, hoc est quod Paulus: *Quem constituit caput super omnem Ecclesiam et super omnem principatum et potestatem,* hinc dictus est in Scripturis *Rex gloriae.*

Fuit tamen semper Christus etiam in mundo hoc una cum Patre et Spiritu Sancto, qui procedit a Patre et Filio, quia indivisus est Deus. Sic Christus hodie *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant,* quod *oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Haec luce clarius continentur in principii nostri mysteriis: *Oportuit Christum pati et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Christus significat personam divinam in duabus naturis existentem; et ecce filium ponam in carne : Filium Dei, Verbum Dei filium ponam in carne: *Verbum caro factum est:* ecce persona Christi. Hunc Christum quia oportuit pati, ideo venit pauper forma, nam si regem gloriae cognovissent, inquit Paulus, *nunquam crucifixissent,* hoc est si Christus in forma gloriae venisset, sicut nunc regnat in coelo et veniet ad iudicandum. Sed quare *oportuit pati ?* Quia mundus carne et inimicus peccati. Duae sunt hae rationes passionis Christi. Altera quia Deus voluit Christum inimicum peccati pati ad destruendum peccatum, *sine sanguinis* autem *effusione non fit remissio;* sed Deus non immunda animalia, sed munda volebat sibi offerri sacrificia pro peccato; solus autem Christus mundus carne, de Spiritu Sancto conceptus, hinc Abrahae praecepit ut innocentem Isaac in holocaustum offerret. Altera ratio est ob quam impii Iudaei voluerunt Christum occidere, quia inimicus peccati; inter inimicos vero semper est bellum et certationis conflictus; diabolus autem, mundus et caro, servi peccati, pugnant pro peccato, hinc omnes iusti amici Dei et inimici peccati multas passi sunt persecutiones, passiones et mortem. Quia vero Christus inimicus peccati pugnabat contra diabolum et mundum ad destruendum peccatum, hinc Christus a diabolo, veluti Iob, et a mundanis Iudaeis, veluti Abel a Cain et Ioseph a fratribus, persecutiones mortales passus fuit semper. Sic *oportuit pati Christum,* quia mundus carne et inimicus peccati, *et ita intrare in gloriam suam.* Sic Christus in resurrectione creatus est princeps fortis et caput beatitudinis, hoc est Rex gloriae.

Divinus Moyses cum tabulis legis refactis veniens ad populum velo operuit faciem suam, quae tanquam luna plena resplendebat, sicque operta [1] facie divinam legem populo Dei declaravit, siquidem *Deuteronomium* legis paraphrastica quaedam declaratio est. Sic Christus hodie post.resurrectionem suam rediens ad nos cum carne sua, cui descriptum fuit divinum Verbum digito Dei, sicut lex divina in tabulis illis, per redivivam resurrectionem reintegrata, cooperuit faciem suam quae sicut sol splendebat, velo peregrini aspectus, sicque in forma peregrini apparens duobus istis discipulis divinam legem illis declaravit: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.*

Ubi videre mihi videor cum divino vati Ezechieli divinitus *aperti sunt coeli et vidit visiones Dei.* Hic enim Christus Deus est, Divinae Scripturae sunt coeli, de quibus Regius Vates ait: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum;* postmodum enim parabolam suam declarans ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis... praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Discipuli hi sancti sunt sicut Ezechiel, mysteria quae his Christus ostendit visiones sunt Dei. Vidit ibi Ezechiel supra coelum Deum in humana forma, in specie quasi ignis, et infra firmamentum animal quadriforme cum quattuor rotis, unumquodque enim animal iuxta se rotam habebat; quod quidem significat quod Christus futurus erat Deus et homo, et homo perfectus in omnibus quattuor statibus naturae humanae: innocentiae, gratiae, poenitentiae et gloriae. Haec omnia mysteria declarabat hodie his discipulis Dominus: quod Christus non tantum futurus erat homo innocens ut Adam, leo fortis ut David rex Israel, aquila volans ut Elias qui in coelum evolavit raptus in igneo curru, sed etiam vitulus Deo in sacrificium immolatus ut Isaac.

In margine.

Quattuor capita significant quattuor principalia Christi mysteria: nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem in coelum, sicut et Salomon ait: *Tria mihi difficilia sunt,* etc.

Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam. Ascendit Christus in coelum tanquam aquila, sed faciem aquilae praecedebat facies leonis et vituli, leonis in resurrectione et vituli in passione. Hinc facies leonis erat a dextris, facies autem vituli a sinistris; dextera autem et sinistra gloriam et poenam significant: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Sic gens hebraea, populus electus prius multa passus est in deserto, postea ingressus est in terram promissionis; sic summus sacerdos prius offerebat sacrificium, postea ingrediebatur in sancta sanctorum; sic David prius multas persecutiones passus est, deinde coronatus fuit rex Israel; prius cum gigante in certamen descendit et post victoriam cum gloria et triumpho susceptus in Ierusalem fuit; Ioseph prius a fratribus venditus et multa passus, deinde in gloriam regni assumptus

1) Ms.: *Opera* loco: *Operta.*

fuit; prius Moyses et Aaron mortui sunt, deinde Iosue in terram promissionis ingressus est; Moyses prius tabulas confregit, deinde gloria vultus donatus est.

Videre etiam mihi videor agnum illum tanquam occisum, quem Divus Ioannes in throno Dei in medio vigintiquattuor seniorum et quattuor animalium vidit habentem oculos septem et cornua septem, qui de dextera sedentis super thronum accepit librum signatum septem sigillis, quem nulla creatura potuit aperire, solutisque sigillis facillime aperuit. Sunt autem septem de quibus praecipue loquuntur Divinae Scripturae, difficillima intellectu: essentia divina, persona Christi, dignitas naturae humanae, culpa peccati, poena inferni, gratia Spiritus Sancti et gloria paradisi. Siquidem Divina Scriptura est liber iste signatus, ait enim Isaias: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum, et respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras dicetur-que ei: Lege, et respondebit: Nescio litteras.* Liber signatus est Divina Scriptura, sic enim Angelus Danieli ait: *Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum.* Liber signatus ob mysteriorum difficultatem; eunuchus enim Candacis reginae Aethiopum legebat *Isaiam* prophetam, sed non intelligebat. Est enim Divina Scriptura ad instar scripturae illius divinitus factae in aula regis Babylonis, quam nullus sapiens Chaldaeorum potuit interpretari, nisi Daniel Spiritu Sancto plenus.

Loquitur autem de his septem Divina Scriptura semper sub variis hieroglyphicis obscurisque mysteriis: de primo in figura trium Angelorum qui Abrahae apparuerunt, in figura trium Patriarcharum, in figura Dei in medio duorum seraphim; de secundo in figura Dei multoties visi in humana forma, in figura Isaac, in figura Salomonis, in figura arcae et summi sacerdotis; de tertio in figura imaginis et similitudinis divinae; de quarto, quam Deo peccatum displiceat, in figura diluvii; de quinto in figura incendii Pentapolis; de sexto, quam Deo placeat virtus, in figura Noe et electione sanctorum Patriarcharum; de septimo in figura terrae promissionis. Sed intelligere in Scripturis Divinis qualis quantaque sit Dei caritas, scientia et iustitia, personae Christi potentia, sapientia et bonitas, naturae humanae dignitas, quam Deo displiceant vitia et peccata, quam placeant virtutes et gratia, quibus poenis peccata puniat, quibus praemiis virtutes remuneret, nisi quis aspiciat in Christum crucifixum et resuscitatum, intelligere nunquam valebit. Hinc ait: *Oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Revelat hodie Christus sanctum sanctorum, quod semper velatum manebat. Christus est utique Sanctus Sanctorum sub velamine figurarum legis et Prophetarum absconditus, ipse est Moyses velatus, qui hodie velamen a facie sua aufert vultumque suum ostendit sole splendidiorem.

Aliud fragmentum.

Sicut apparuere Abrahae tres Angeli in specie trium virorum, Gedeoni Angelus in humana specie, Manue item Angelus in hominis forma, et sicut Deus ipse saepe visus est sanctis Patriarchis atque Prophetis humana forma specieque indutus, ita hodie Christus duobus hisce discipulis sub specie hominis peregrini apparet.

Aliud fragmentum.

Sanctus Ioseph a carcere eductus factusque gloriosus princeps totius Aegypti, statim oblitus est omnium laborum anteactae vitae, hinc primogenito filio nomen posuit Manasses dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei.* Sic et Christus hodie oblitus videtur omnium passionum suarum post resurrectionem suam, hinc adiungens se hodie his discipulis et dicens: *Qui sunt hi sermones ?* etc., illique dixissent: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti quae facta sunt in ea his diebus?* ipsa vero quasi omnium oblitus ait: *Quae ? De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens*, etc.; oblitus videtur Dominus passionis, crucifixionis et mortis, ac si haec somnia quaedam fuissent, quorum non recordatur homo a somno evigilans, sicut non recordabatur Nabuchodonosor somnii statuae quam viderat, et homo esuriens post splendidas epulas non recordatur amplius perpessae famis et sitiens optimo inebriatus vino non recordatur sitis. Ita profecto beatus quisque ingressus in gloriam Dei non recordatur amplius passionum et laborum praesentis vitae.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI [1]

Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei. Exivi a Patre et veni in mundum ; iterum relinquo mundum ; A summo coelo egressio eius. Sol per decem lineas descendit, per totidem ascendit. *Qui descendit ipse est et qui ascendit ; ascendit* autem *super omnes coelos, ut impleret omnia.* Ascendit nubecula Eliae in coelum ut pluviam demitteret in terram. Arca Dei magna cum laetitia in civitatem Ierusalem et montem Sion a rege David translata fuit a domo Obededom, maximo cum comitatu. Ascendit Christus sicut descendet in die iudici: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Ascendit quia descendit: *Qui se humiliat exaltabitur ; Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum.*

Locus solis coelum est; Christus est Sol iustitiae; ipse Benoni, filius doloris; ipse Beniamin, filius dexterae. David ter unctus rex in domo patris, secreto in Hebron et tandem in Ierusalem; sic Christus in utero Virginis, in resurrectione et hodie in coelo. Arca Dei collocata fuit in ipso sancto sanctorum in medio cherubim; sanctum autem sanctorum empyreum designabat.

Moyses, educto populo de Aegypto, ascendit in montem. Si filius prodigus cum gaudio exceptus fuit a patre, quanto magis Christus hodie a Deo? Salomon constitutus rex super universum regnum David patris sui, Ioseph post multas tribulationes factus princeps Aegypti. [2]

1) Fragmentum hoc invenitur in folio avulso, agglutinato in principio codicis, qui in bibliotheca Conventus Capuccinorum Mediolani asservatur, de quo cf. supra, pag. 705, not. 1.

2) Sequitur haec nota: « Ego infrascriptus fidem facio hoc scriptum esse autographum Beati Laurentii a Brundusio Ordinis Nostri Capuccinorum, olim huius Venetae Provinciae Ministri Provincialis et postea totius Ordinis Ministri Generalis, excerptum ex voluminibus ab ipso exaratis quaeque in Archivio Provinciali huius Conventus Venetiarum asservantur.

Die 25 Ianuarii 1871 Fr. Andreas Maria, Minister Provincialis

FERIA II PENTECOSTES

Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum umigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, etc. O mundum ter quaterque beatum, imo centies milliesque felicissimum, si divinam hodierni Evangelii veritatem vere agnosceret et firmissime crederet quod Deus diligat et magnopere, ineffabiliter diligat mundum! Mirabile dictu est non quod Deus diligat, nam *Deus caritas est*, totus amor est, sed quod diligat mundum, qui *totus in maligno positus est;* cum obiectum amoris sit bonum et pulcrum, quod summus rex amore capiatur mulieris pauperis et deformis ac undequaque ignobilis; videtur penitus incredibile quod Deus diligat mundum, cum nulla in eo reperiatur amoris ratio. Mirabile et incredibile est quod ignis ardeat in aqua, non in lignis aridis. Deus ignis est, mundus aqua, nam aquae multae populi multi. Verum est tamen, imo verissimum quod Christus, summa veritas, docet: *Sic... Deus dilexit mundum.* Quod etiam probat Christus mathematica demonstratione ab effectu, nam ab effectibus cognoscuntur causae, etc.

Multis potuisset Christus divinam hanc veritatem comprobare. Primo quidem testimoniis Divinae Scripturae, nam Deus ipse ait: *Caritate perpetua dilexi te*, etc.; *Iacob dilexi; Dilexi vos, dicit Dominus.* Hinc appellatur in Divinis Litteris *Deus zelotes, Deus Abraham, Isaac et Iacob, Deus Israel;* appellatur pastor, pater, sponsus; appellatur ignis, sol, aquila pullorum amantissima, quae nimium laborat ad cibum quaerendum pro pullis ciboque oris sui pullos nutrit et cum libentissime versetur in coelis, amore tamen cogente descendit ad cibum pro pullis quaerendum in terris, sic amoris est ardentissimi.

Secundo idipsum demonstrare potuisset multis mysteriis Divinarum Scripturarum. Summus pontifex gestabat in pectore supra cor nomina filiorum Israel sculpta in lapidibus pretiosis, et laminam auream divino nomine insignitam supra caput. Repraesentabat autem Deum et lamina animam, quam Deus maximi facit super omnia quae in mundo sunt.

Deus in flamma ignis transeuntis per medium divisorum animalium [apparuit]; Moysi in flamma ignis ardentis inter spinas; universo populo super montem Sinai in flamma ignis, sed in medio nubis tenebrosae et caliginosae; Ezechieli tanquam homo igneus supra currum igneum, qui quattuor igneis animalibus trahebatur, sed in medio turbinis et nubis obscurae venientis ab aquilone. Quid habet Deus cum obscuritate, cum caligine, cum spinis, cum carnibus mortuorum animalium? Mysteria haec erant, quod, urgente caritate, Deus descensurus erat ad patiendum et moriendum propter nos: *Maiorem* autem *caritatem nemo habet, ut animam suam*, etc. Sic dici solet ad ostendendam amoris magnitudinem: adeo diligit amicum, quod propter illum intraret in ignem vitamque poneret et sanguinem pro amico. Hanc amoris magnitudinem mysteria ista ostendunt, sicut etiam quod habitare voluit cum hominibus in medio populi sui, in tabernaculo Moysi operto pellibus mortuorum animalium, qui locus esset tanquam asylum, locus misericordiae et gratiae, non punitionis et vindictae.

Tertio divinam hanc veritatem ab operibus comprobare potuisset Christus: ab aeterna praedestinatione, a temporali mundi creatione, a regimine et providentia, a generali et particulari conservatione, omnia enim propter nos operatus est et operatur. Haec enim ostendunt quod sicut igneus currus divinitatis trahebatur quattuor animalibus: homine, leone, bove et aquila, sic amor iste divinus rationalis est, sapiens, prudens et providus. Sicut homo paterfamilias fortis ad defendendum nos ab inimicis sicut leo, mansuetus ad ferendas iniurias et constans ad sufferendos labores sicut bos, altus et super omnes amores excellentissimus sicut aquila. Altus: quis supernaturalia nobis quam maxime desiderat: *Ut omnis qui credit... habeat vitam aeternam;* excellentissimus super omnes amores, quod Deus ipse per Isaiam 49 ostendit: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit*, etc. Quis amor reperiri potest verior aut intensior materno amore erga unicam prolem? Omnes alios hic unus superare videtur amores; sed, inquit, multo maiori ac veriori amore vos prosequor: *Ecce in manibus descripsi vos.*

Sed missis his omnibus, Christus ab unico tantum effectu, uno tantum argumento, sed omnium efficacissimo probare vult et demonstrare divinam hanc veritatem: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Multis operibus Abraham animi sui caritatem erga Deum ostenderat; at Deus ipse in uno tantum se cognovisse Abrahami pietatem ait: *Nunc cognovi quod timeas Dominum, eo quod non pepercisti unigenito filio tuo propter me:* eo quod prompto animo imperanti Deo paruit: *Tolle filium tuum unigenitum... Isaac et offer illum mihi in holocaustum.* Sic Christus unico hoc argumento divinam erga nos caritatem demonstrat: *Sic... dilexit ... ut Filium suum unigenitum daret*, de quo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, tum in baptismo, tum in gloriosa transfiguratione, ubi ostensa est magnitudo huius Filii divinique huius doni maiestas. Paulus autem ait quod cum eo omnia nobis donavit, dicens: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ad mortem pro salute mundi. Omnia verba gravia sunt, magno pondere digna. *Ut Filium suum unigenitum daret.* Quis unquam vidit patrem exponere unicum dilectissimum filium mortis periculo pro salute servi, ut quodammodo plus diligat servum quam unicum filium? Amor patris optimi erga unicum filium ineffabilis est, maxime vero si filius pulcher sit, virtute praeditus et patri quam similis, si sit optimus filius; hoc est: *Ut filium suum*, emphasim habet, *suum*, idest carissimum, dilectissimum; *unigenitum*, non habet alios filios sicut habuit Iacob, cui tamen carissimus fuit Ioseph et post eum Beniamin; *daret*, donaret, non mitteret ait, sed *daret* simpliciter: *Si scires donum Dei!* daret etiam in cibum et potum. O Deus, *quid est hoc? quid est hoc?*

Fragmentum [1]

Reperitur in Deo omnis perfectio, quae in creaturis cernitur; amor autem et caritas perfectio est. Reperitur in Deo omnis perfectio creaturarum, sicut in rege om-

1) Hoc fragmentum invenitur in folio avulso, quod in Bibliotheca Archiepiscopali Brundusii servatur.

nis dignitas omnesque tituli honoris principum regni sui, omnis iurisdictio et potestas ministrorum suorum, sicut in Summo Pontifice, etc.; sicut in sole omnis gradus luminis: *Sic... Deus dilexit mundum*, etc. Duo proponuntur hic a Deo dilecta: Christus et mundus. Sicut autem cor, sedes amoris, quamvis in medio pectoris positus sit, declinat tamen ad sinistram partem, quoniam debilior est multoque maiori virtute eget, sic ait quod divinus amor factus est quodammodo ad mundum propensior, nam pro salute mundi datus est Filius ad mortem. Sapiens medicus iubet ut si pars corporis sinistra plagata sit aut morbo aliquo infecta, in dextera fiat cauterium ad divertendum noxium humorem, ut sic pars sinistra iuvetur. Est Deus totus amor, ipsamet caritas; vinci in amore non patitur. Quia Abraham homo unicum ac dilectissimum filium suum dedit ad mortem propter Deum, ipse etiam Deus voluit dare unicum Filium suum propter hominem: *Sic... Deus dilexit mundum*. Donum hoc dicitur a Paulo *inenarrabile*, *2 Corinthiis* 9: *Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius*; a Iacobo *datum optimum... donum perfectum*; Isaias *admirabile*.

FERIA III PENTECOSTES

Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet, siquidem ego veni ut oves meae, quae *vocem meam audiunt et sequuntur me, vitam habeant et abundantius habeant*.

Hisce verbis alludere videtur Christus ad eas quae dixit Iacob patriarcha, cum in somnis vidisset coelestem scalam: *Vere*, inquit, *Dominus est in loco isto et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.* Idem enim est porta coeli et porta salutis: *Per me si quis introierit, salvabitur*, hoc est vitam aeternam consequetur in coelis.

Alibi quoque Dominus allusit ad mysterium coelestis illius scalae, cum ait: *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis*, ubi declaravit quod scala illa ipsum Christum significabat, ad innuendum quod Christus via salutis est, scala coeli et porta paradisi: *Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me.* Sic et Petrus *Actorum* 4 ait: *Non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Et forte idem est quod alibi ait Dominus: *Ego principium, qui et loquor vobis; Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, et quod hic ait: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur.* Christus enim principium est rerum omnium: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est;* principium naturae, nam: *Mundus per ipsum factus est;* principium gratiae, nam: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est;* principium gloriae: *Ego vitam aeternam do eis; Veni ut vitam habeant et abundantius habeant;* principium etiam ante omnem gloriam, gratiam et naturam, nostrae electionis et praedestinationis; nam ut Paulus *ad Ephesios* ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.*

Sed non intendit Christus dicere et docere quod sit ostium, idest principium salutis effectivum, tantum secundum divinitatem, sed etiam meritorium secundum humanitatem; hinc P a u l u s alludens ad mysteria hodierni Evangelii Christum appellavit mediatorem salutis nostrae, quapropter *ad Timotheum* scribens ait: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus ;* et *ad Ephesios : Per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem ;* et *ad Colossenses : In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in coelis sunt.*

Non sine causa Sanctus Patriarcha, antequam diceret quod Christus esset porta coeli, dixit: *Vere Dominus est in loco isto ;* et: *Quam terribilis est... locus iste ! Non est hic aliud nisi domus Dei.* Nam ad hoc, ut Christus sit via salutis, scala coeli et porta paradisi, requiritur infinita virtus totius divinitatis et meritum gratiae sanctissimae humanitatis.

Optime argumentatus est Sanctissimus Patriarcha. Christus est scala coeli et porta paradisi, ergo vere *Dominus*, verus Deus *est in loco isto et ego nesciebam*, nam divinitas non patet sensibus: *Deum nemo vidit unquam, sed nec videre potest.* Solus autem Deus pater est aeternitatis. Sic enim I s a i a s de Christi divinitate loquens ait: *Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis et pacis non erit finis. Quam terribilis*, idest mirabilis *est locus iste*, in quo corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitat! Nisi Spiritus Sanctus ostiarius huius ostii ipsum aperiat, nemo intrare potest, nemo Christum cognoscere et vere in ipsum credere sine Spiritu Sancto: *Nemo potest dicere : Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

Ego sum ostium, ego principium effectivum quia Deus, meritorium quia homo deificatus: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia, quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Non potuit mereri sibi Christus gratiam aut gloriam regni coelestis, sicut unicus regis filius, totius regni legitimus heres, pro rebus in bello fortiter gestis pro honore patris et publica status pace et salute nihil potest mereri apud patrem, cum sua sint omnia, sed meretur pro aliis, ut milites suos paternis thesauris et divitiis possit locupletare.

Ego sum ostium, sed ovium. Per scalam Iacob Angeli ascendebant in coelum; significant autem electos, qui *erunt sicut Angeli Dei.* Oves statuet Christus a dextris in die iudicii, quibus dicet: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*, ante mundi constitutionem.

Ego sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur... et pascua inveniet. Tria nobis videnda sunt et consideranda in verbis hisce: primo quid sit Christum esse ostium; secundo quid sit intrare et quis possit intrare per hoc ostium; et tertio quidnam sit ista salus et ista pascua; vel potius hoc secundo loco considerabimus et tertio loco secundum.

Quoad primum, Christum esse ostium idem est ac ipsum esse unicum medium ad consequendam a Deo salutem per gratiam in praesenti et per gloriam in futuro. In templo Dei erat triplex ostium: unum per quod intrabatur in atrium, alterum per

quod intrabatur in sancta et tertium per quod intrabatur in sancta sanctorum. Est Christus ostium mirabile: *Quam terribilis est... locus iste!* Unde leguntur multa paradoxa de hoc ostio: nunc quod sit magnum, nunc parvum; nunc altum et sublime, nunc imum et humile; nunc latum, nunc angustum; nunc clausum, nunc apertum, semper clausum et semper apertum; magnum secundum divinitatem, parvum secundum humanitatem; altum in patria, humile in via; latum spiritui, angustum carni; apertum fidelibus, clausum perfidis infidelibus; nunc quod unum tantum, nunc quod plura, quia Christus unus et ubique est.

Ego sum ostium arcae Noe, in qua solum salvari potuerunt homines et animalia ab aquis diluvii; ostium templi Salomonis, cuius fores, etsi erant ligneae, auro tamen erant opertae sculptaeque erant in eis figurae cherubim, palmarum florumque variorum, ad ostendendam unionem divinitatis cum humanitate vitamque et sanctitatem Christi vere angelicam, victorias diaboli et mundi, floresque omnium perfectissimarum virtutum et donorum Spiritus Sancti. Ob haec enim Christus est ostium salutis.

Quoad secundum, ipsemet declarat quidnam sit ista salus: *Veni ut vitam habeant et abundantius habeant; Vitam aeternam do eis,* vitam Angelorum in coelis, hinc per hanc scalam Angeli ascendebant in coelum. Salus importat vitam liberam et securam ab omni malo, pascua vero felicitatem et abundantiam omnium bonorum. Haec est perfecta salus, perfecta felicitas, perfecta beatitudo.

Quoad tertium, intrare per hoc ostium est in Christum viva fide credere, iugum Christi tollere, Christum imitari, vitam ovium ducere innocentem et fecundam, bonis operibus plenam, vitam vivere Angelorum in terris, ut, viventes in carne, non secundum carnem vivamus.

DOMINICA X POST TRINITATEM

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus pharisaeus et alter, etc. Scopus hodierni Evangelii est demonstrare quod Dominus exaltat humiles superbos autem humiliat: *Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur:* pharisaeus superbus humiliatus est, publicanus humilis exaltatus. Ostendit etiam quod superba iustitia Deo odibilis est.

Duo homines, sicut Cain et Abel, sicut Ismael et Isaac, sicut Esau et Iacob. Humilia elegit Deus: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit.* Cain interpretatur p o s s e s s i o Abel autem v a n i t a s: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Alludit Dominus ad id quod per E z e c h i e l e m 17 capite ait Deus: *Ego Deus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile, siccavi lignum viride et frondescere feci lignum aridum. Duo homines,* sicut pistor et pincerna Pharaonis, sicut Manasses et Ephraim, minor praepositus fuit maiori, sicut Phares et Zaram. *Duo homines,* nam ad duos ordines omnes homines reducuntur; nam omnes homines vel sunt praedestinati vel praesciti.

Est autem hodiernum Evangelium veluti thesaurus, archivium et anachephalaeosis omnium mysteriorum Divinae Scripturae sacraeque theologiae. Hic de mysterio divinae misericordiae et clementiae erga publicanum et de severitate divinae iusti-

tiae erga pharisaeum; hic de mysterio divinae praedestinationis et praescientiae, nam publicanus praedestinatus fuit et pharisaeus praescitus; hic de mysterio iustificationis, nam: *Descendit hic iustificatus in domum suam*, et quod homo per humilem contritionem iustificatur extra Sacramentum, in virtute tamen Sacramenti in voto; hic de mysterio religionis et cultus divini, nam ascendebant *in templum ut orarent*; hic de efficacia orationis humilis; hic de poenitentia salutari in publicano; hic quod via salutis est virtus, via autem perditionis vitium; hic de gloria et poena: *Exaltabitur... humiliabitur;* hic de tremendis Dei iudiciis: *Sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris*, etc.; multi dicunt: *Non est aequa via Domini;* hic de insufficientia legalis iustitiae ad salvandum et de efficacia fidei, nam accidit his hodie id quod Paulus de duobus populis dixit: *Gentes*, inquiens, *quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est; Israel autem sectando legem iustitiae, ad legem iustitiae non pervenit. Quare ? Quia non ex fide, sed ex operibus;* hic tandem agitur de via salutis et via perditionis: *Qui se exaltat humiliabitur*, etc.; *Deposuit potentes de sede*, etc.; *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam; Quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis.*

Divinam hanc veritatem Christus mirabili artificio demonstrat. Nam ut ostendat quantopere displiceat Deo superbia, eam statuit, non in daemone sed in homine, non infideli sed fideli, nam: ascendebat in templum ut oraret, non saeculari sed religioso, nam erat pharisaeus vir religiosissimus, non religiosus vitae scandalosae sed exemplaris, vitae bonae et sanctae secundum legem Moysi: *Non sum sicut ceteri hominum iniusti, adulteri, raptores; ieiuno bis in sabbato*, etc., declinabat a malo et faciebat bonum; et tamen propter superbiam tantum damnatus est, sicut Lucifer, quia in se confidebat tanquam iustus, damnatus est propter superbiam tantum, et quia caritate praeditus non erat, hinc publicanum spernebat; damnatus est quia vestem nuptialem non habebat, quia in se, non in Deo, non in divina misericordia confidebat.

Ad ostendendum autem quantopere placeat Deo humilitas, eam collocat non in Angelo sed in homine, non religioso sed saeculari, non sancto sed peccatore et publicano, qui tamen humilitatis merito iustificatus fuit. Sic ostendit Dominus quod magis placet Deo et saluti propinquior est peccator humilis quam iustus superbus, sicut docet ex hoc loco Divus Chrysostomus homilia 5 *De Incomprehensibili Dei Natura.*

Qui se humiliat exaltabitur. Excelsus Dominus et humilia respicit et alta a longe cognoscit. Humilia semper elegit Deus: David in regem natu minimum, Ioseph minimo fratrum suorum dedit maiora munera: *Nisi adduxeritis vobiscum fratrem vestrum minimum, non videbitis faciem meam; Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* Cur Iacob dilectus fuit, Esau autem odio habitus? Esau interpretatur factus sive factum, completum opus, Iacob autem calcaneus, infima pars corporis, qui et nascens calcaneum fratris tenuit. Humilia elegit. Pharisaeus perfectum se reputat; hinc in oratione nihil petit quasi nihil ei deesset, publicanus autem nihil se reputat.

Qui se humiliat exaltabitur. Humilitas signum verum electionis est. Hinc apud E z e c h i e l e m legimus electos signatos signo *Thau*, quae ultima littera est hebraici alphabeti. Opus etiam verae humilitatis proprium electorum est. Hoc est quod in *Exodo* legimus, quod magi Pharaonis fecerunt signa quam plurima similia signis factis a Moyse et Aaron, nam converterunt virgas in serpentes, aquas in sanguinem, eduxerunt ranas ex aquis, sed non potuerunt de pulvere educere cinifes sive pediculos, sed dixerunt: *Digitus Dei est hic*, in signum quod reprobi omnium fere aliarum virtutum opera exercere cum electis possunt, praeterquam opera verae humilitatis. *Hic digitus Dei est:* ubi humilitas vera ibi spiritus Dei. Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem.

Humilitas vera tria operatur in homine: primo cognitionem propriae indignitatis, sic publicanus hodie stabat a longe nec audebat oculos in coelum levare, quasi diceret: Domine, non sum dignus ad te accedere nec oculos in coelum levare prae multitudine iniquitatis meae; secundo verum dolorem et cordialem contritionem de peccatis; hinc publicanus *percutiebat pectus suum* occultum castigando peccatum; tertio humilem peccati confessionem et divinae misericordiae implorationem: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Non desperat, sed confidit in divina misericordia vera humilitas. Fecit publicanus hodie sicut Semei ad pedes David prostratus veniam petens de offensis et iniuriis illatis, hoc enim est: *Deus, propitius esto mihi peccatori;* petiit et obtinuit, sicut Semei, nam: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum*, etc.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Sicut I s a i a s mox ut peccatum suum agnovit et confessus fuit: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum!* ministerio seraphico purgatus fuit, sic publicanus *descendit in domum suam iustificatus*, vere sanctificatus, gratia Spiritus Sancti plenus: *Respexit in orationem humilium*, etc.

Ostenditur in hodierno Evangelio quam facilis sit via salutis, quam facile a divina misericordia obtineatur salus. Quid enim egit publicanus ut salutem consequeretur? Quid Deo dedit? Nonnisi peccata sua.

Elucet hic divina misericordia erga publicanum et severitas divinae iustitiae contra pharisaeum. Cur enim damnatus iste est? Malum nullum legimus ab eo patratum; propter cordis superbiam et vanam gloriam. Hic enim per superbiam veluti alter Nabuchodonosor ab homine mutatus in bestiam fuit, hinc ait: *Non sum sicut ceteri hominum.* Qui autem non est sicut alii homines, vel aliquid melius est, ut Deus et Angeli, vel aliquid vilius omni homine, ut bestia: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*, etc.

DOMINICA XVI POST TRINITATEM

Intravit in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem, etc. Dei Optimi Maximi, qui ex nihilo mundum creavit et ex tenebris lucem mundi, *qui dixit*, ut P a u l u s ait, *de tenebris lumen splendescere*, proprium est non solum bona ex bonis, sed etiam ex malis elicere. Ex malitia diaboli et ex hominis peccato

multa bona elicuit ostendens mundo infinitos thesauros tum sapientiae et bonitatis caritatisque suae, tum etiam misericordiae et iustitiae. Sic Christus hodie ex malitia Pharisaeorum multa bona elicit. Intrat in domum principis Pharisaeorum inimicorum Christi in signum caritatis, qua etiam inimicos ex animo vere diligebat. Ingressus domum hanc Christus tria facit: disputat movens quaestionem: *Si licet sabbato curare ? bene facere... animam salvam facere an perdere ?* curat hydropicum divina virtute et tandem praedicavit docuitque viam salutis: *Qui se humiliat exaltabitur.*

Ante divinum propitiatorium arcamque Dei parata erat ab Aaron principe sacerdotum mensa panum propositionis. Christus est divinum propitiatorium arcaque foederis Domini, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Sicut autem in arca erant tabulae legis, vas mannae et virga Dei faciens miracula, ita Christus hodie exercuit opera sapientiae bonitatis et potentiae divinae. Maxime vero Christi hic sapientia elucet, nam transitum facit sua sapientia ab hydropisi corporali ad spiritualem in Pharisaeis, qui seipsos amantes, *primos recubitus* quaerebant *in coenis et primas cathedras in synagogis.* Hydropisis est amor proprius, animus et appatitus inordinatus; hinc oritur *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae.*

Docet Christus quod sicut curatur hydropisis corporis non bibendo, ita hydrops mentis non desiderando quae animus inordinatus appetit, sed spiritualia desiderando. Sicut Christus egit hodie: intravit manducare panem ut necessitati corporis subveniret, sed ex desiderio salutis humanae destitit manducare et coepit praedicare, veluti dicens: *Ego alium cibum habeo manducare... meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius ; Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur ; Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et panem vestrum non in saturitate ? Audite audientes me et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra.*

In hodierno Evangelio miraculum proponitur, in quo tota fere salutis nostrae ratio delineatur. Christus intrat domum principis Pharisaeorum: Deus homo factus venit in hunc mundum et synagogam ingressus est, iudaeus ex Iudaeis. *Et ecce homo hydropicus erat ante illum... ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit.* Hydropicus factus est homo per peccatum, satan enim inexplebilem sitim ingessit mundanae felicitatis: *Nequaquam moriemini, sed eritis tanquam dii scientes bonum et malum;* ingessit desiderium immortalitatis honorisque divini et gloriae ac scientiae et sapientiae divinae, si suavissimo ligno vescerentur. Sic homo desideriis hisce gravatus hydropicus factus est bibendo ex aquis terrenae felicitatis. Haec sunt inexplebilia desideria: *Tria sunt insatiabilia et quartum nunquam dicit : sufficit : os inferni, os vulvae, terra quae non satiatur aqua, ignis vero nunquam dicit : sufficit.* Sed super omnia inexplebilia humanus animus inexplebilis et insatiabilis est: *Avarus non implebitur pecunia ; Non saturatur oculus visu nec auris impletur auditu.*

Sanare autem hydropicum hunc voluit Dominus non absens, sed praesens, non solo verbo et praecepto, sed tactu manus: *Apprehensum curavit eum.* Corporea apprehensione corporeum hydropicum a corporea hydropisi curavit, spirituali autem

apprehensione curat spiritualem hydropicum ab hydropisi spirituali. Spiritus autem et animus humanus rationibus apprehenditur et persuasionibus: rationibus, sicut hodie Christus apprehendit atque convicit Pharisaeos, quod liceret sabbato curare dicens: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet et non continuo extrahet illum die sabbati ?* – A minori ad maius argumentatur et concludit, ita quod *non poterant respondere ei ad haec ;* – persuasionibus vero, sicut idem Christus hodie persuasit humilitate et novissimi loci electione parandam esse gloriam in convivio, quoniam *omnis qui se humiliat exaltabitur.* Sic tali apprehensione spiritus et mentis Dominus multos a spirituali hydropisi sanavit, hinc aiunt: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*, hac tantum ratione et persuasione efficacissime apprehensi: *Secuti sumus te*, exemplo et imitatione Christi, qui mundum et omnia quae in eo sunt bona, divitias, voluptates honoresque ex alto contempsit, quoniam verissimum illud est: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas ; Omnia vanitas et afflictio spiritus.* Quos autem Christi vita et doctrina non movet, non convincit, movere quid poterit, cum vita et doctrina Christi divinam habeant auctoritatem? Quid dicis, homo? Sapienter ne egit Christus et prudenter mundana haec contemnendo, an insipienter et imprudenter? Si prudenter et sapienter, cur non tu quoque cum ipso contemnis? Cur in hisce falsis et fallacibus bonis veram animi quaeris felicitatem? Cur aquis istis sitim explere satagis, cum potius salsedine sua sitim augeant et excitent?

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo. Sicut lux ex ore Dei egressa dispulit tenebras quae erant super faciem abyssi, ita verbum hoc hodie dissipat fraudes et insidias Iudaeorum. Elucet hic Christi divinitas, nam: *Scrutans corda et renes Deus.* Sunt hic horribiles tenebrae malitiae Iudaeorum contra Christum, sed tamen apparent transfigurati in angelos lucis, sicut Paulus ait de ministris satanae, nam, ut Lucas[1] hic habet: *Miserunt insidiatores qui se iustos simularent ;* lupi rapaces sub vestimentis ovium, inimici sub amicorum habitu, *ut traderent eum principatui et potestati praesidis*, tanquam seditiosum et reum laesae maiestatis.

In hac autem sententia Salvatoris: *Reddite*, etc., tria mihi visa sunt consideratione digna: primum quidem mirabilis doctrina, secundum mirabilis compositio, tertium mirabilis philosophia Christi. Primum, inquam, mirabilis hic invenitur doctrina. Opere enim implere voluit Dominus quod Iudaei dixerant: *Scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces.* Sic enim ostendit se doctorem iustitiae, docens iustitiam et obedientiam esse viam salutis, ut detur unicuique quod suum est. Licet autem paradoxum contineri videatur in hac sententia, quod possit homo servire mundo et Deo, cum *nemo* possit *duobus dominis servire*, non tamen ita est. Si quidem potest

1) Ms.: *Marcus* loco: *Lucas.*

homo Deo simul et hominibus obedire et subditus esse, sicut Ioseph Pharaoni, Daniel Nabuchodonosor; *nec tantum bonis et modestis* dominis *verum etiam dyscolis*, ut Petrus dicet, et Christus hic iubet Caesari Romanorum imperatori, qui tunc erat Tiberius impius, dandum tributum; non tamen cum contra Deum aliquid imperant, ut Pharao obstetricibus, Saul ministris ut occiderent sacerdotes Domini, Nabuchodonosor tribus pueris ut adorarent statuam, principes Iudaeorum Apostolis ne Christum praedicarent; tunc enim Deo obediendum est, non hominibus. Hinc ait: *Reddite... quae sunt Caesaris* [*Caesari*], non solum, sed *quae sunt Dei Deo*, ut sint haec duo simul semper coniuncta, nam eatenus potest imperare princeps et habet super vos auctoritatem quatenus minister est Dei, non quatenus inimicus est Dei.

Secundum est mirabilis quaedam compositio duplicis iustitiae et obedientiae, sicut mirabilis est hominis compositio ex anima et corpore, ex Angelo et animali. Mirabiliter componit Dominus virtutes corporales et spirituales; non separat eas ab invicem, sed coniungit. Separabant olim Pharisaei corporalibus tantum contenti; separant hodie haeretici qui spirituales tantum quaerunt. Non sic Christus, sed sicut Deus iussit utranque tabulam in arca reponi simul, ita hic Christus utranque obedientiam coniungit, ut nec solis hominibus nec soli Deo obedire velimus, sed simul Deo propter se et hominibus propter Deum. Coniungit etiam hic Dominus regnum mundi cum regno rei, politicam rationem cum divina religione, non enim pugnant haec, ut mundus existimat, sed simul esse possunt, unum sub altero.

Tertium est mirabilis Christi philosophia. Arguit Christus ab imagine ad Caesarem et a Caesare ad Deum, innuens quod Caesar imago sit Dei. Sicut de primo imperatore Adamo legimus: *Dominetur piscibus*, etc., sic docet Deum esse summum mundi monarcham; praeterea ab imagine arguit dandum tributum Caesari tanquam principi legitimo et hinc docet Deo reddendum quicquid divina vel imagine vel superscriptione insignitum est. Sic et Deus per Malachiam argumentatus fuit: *Filius honorat patrem et servus dominum suum. Si ergo pater ego*, etc. Homo, cum imaginem Dei habeat, totus Deo reddendus est, hinc: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* In qualibet etiam parte corporis nostri videmus manifesta signa divinitatis, indicant enim a Deo esse, quoniam si pereant, nonnisi divinitus instaurari possunt.

Mirabilis doctrina! *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Haec sententia compendium est omnium mandatorum in tabulis, compendium Divinarum Scripturarum, omnium legum totius moralis philosophiae.

Mirabilis compositio, nam scalam nobis componit per quam ad Deum ascendamus eamque componit ex gradibus iustitiae politicae et divinae; nam iustitia politica necessaria est, sed absque divina religione non sufficit. Mirabilis philosophia, qua docet per creaturas devenire ad cognitionem Creatoris, *nam invisibilia Dei... per ea quae facta sunt*, etc. Sic enim *coeli enarrant gloriam Dei*. Hinc in philosophia amor agnitus est primus motor, hinc ait ille: « Entia nolunt male disponi ». Unus ergo princeps, idest Deus.

INDEX
SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO - ANALYTICUS

DOMINICALE PRIMUM

DOMINICA III POST PASCHA

I. Mirantur Apostoli audientes verba Christi, nec intelligunt, continent enim verba illa quattuor mysteria supra modum mirabilia. — II. Loquitur Christus specialiter de tristitia passionis et de gaudio resurrectionis, quae nobis consideranda hodie proponuntur . . . . Pag. 1-3

DOMINICA IV POST PASCHA

I. Christus in coelum ascensurus Apostolos consolatur promittens illis Spiritum Sanctum. — II. Multas utilitates allaturus erat Spiritus Sanctus veniens in mundum. — III. Effectus quos Spiritus Sanctus operatur corde credentium sunt odium peccati, amorem virtutis, timorem supplicii et spem praemii . . . . Pag. 4-8

DOMINICA V POST PASCHA

I. Promittit hodie Christus fidelibus suis plenum gaudium; — II. magna promissio, quam solus Deus potest servare. — III. Potest Deus gratiam concedere etiam absque oratione, statuit tamen sine ea nihil concedere. — IV. Petenda sunt vera bona, idest spiritualia; temporalia autem ea sola quae ad vitam sustentandam requiruntur. — V. Bene petendum est, idest cum humilitate, spe divinae bonitatis et cum fiducia in meritis Christi . . . . Pag. 9-14

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI

I. Coeleste animal ab Ezechiele visum Christum praefigurabat, — II. praecipue in mysteriis passionis, resurrectionis et ascensionis. — III. Multis rationibus Christus meruit gloriosam suam ascensionem in coelum. — IV. Multis modis hoc mysterium praefiguratum fuit in Divinis Scripturis, — V. multis etiam praedicta vaticiniis; — VI. praesertim a Regio Vate. — VII. Divinae huius ascensionis multae assignantur causae in Sacris Litteris. — VIII. Hodie Christus vere Filius Dei agnoscitur et rex paradisi coronatur . . . . Pag. 15-27

II. Alia homilia

I. Summo loco Christus hodie exaltatur, quia seipsum maxime humiliaverat. — II. Circa hoc mysterium consideranda sunt tempus, locus, modus et effectus. — III. Multa mysteria innuit locus, a quo Christus in coelum ascendit . . . . Pag. 27-29

III. Alia homilia

I. Christus in coelum ascendit, sed nobiscum etiam in terra remansit. — II. Ecclesia militans cum triumphanti contendebat ut secum Christus maneret; — III. Deus autem sapientissime litem dirimit — IV. Conveniens fuit ut Christus visibiliter in coelum ascenderet, — V. Ideo magna cum laetitia Ecclesia hoc festum hodie celebrat . . . . Pag. 30-35

IV. Alia homilia

I. In hodierno mysterio maxime elucet Christi divinitas. — II. Haec dies est maximi triumphi Christi — III. *Ascendit in coelum et sedet a dextris Dei:* consideranda sunt singula verba. — IV. Mysterium hoc est supra modum mirabile, venerabile et iucundum. — V. Ascensio Christi exemplar sit ascensionis nostrae . . . . Pag. 35-40

Fragmentum . . . . Pag. 41-42

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

I. Promittit Christus Apostolis Spiritum Sanctum ut magistri mundo fierent veritatis et fidei. — II. Difficile erat mysteria fidei mundo persuadere et humanos mores reformare. — III. Spiritus Sanctus dicitur hodie *Paraclitus* et *Spiritus veritatis*, quia affert omnem consolationem et docet omnem veritatem. — IV. Solus Spiritus Sanctus confert homini perfectam consolationem. — V. Spiritum Sanctum obtinere possumus oratione, mortificatione, operibus caritatis, Sacramentis. — VI. Magnum est quod Christus promittit, nam Spiritus Sanctus verus Deus est. Si quid Deus difficile iniungit, virtutem confert ut illud facile exequi possimus . . Pag. 43-52

II. Alia homilia

I. Multis nominibus Spiritus Sanctus appellatur in S. Scriptura. — II. Hodie dicitur *Paraclitus*, quia fons est totius consolationis; — III. Ideo vera felicitas in Spiritu Sancto consistit. — IV. Deus consolationes spirituales non dat, nisi abiiciantur carnales . . . . . . Pag. 53-57

IN FESTO PENTECOSTES

I. In igne descendit Spiritus Sanctus, quia illuminat mentes et accendit corda. — II. Pluries promissus fuit Spiritus Sanctus, hodie autem datur. — III. Dicitur Spiritus, quia a Patre Filioque spiratur, vehemens, quia infinitae virtutis est ad operandum. — IV. Venit in specie venti et ignis, quia venit ad consolandos fideles, illuminandas mentes et purificanda corda. — V. Spiritus Sanctus extinguit concupiscentiam et accendit divinam caritatem. — VI. Per Spiritum Sanctum mundus purgatus, illuminatus et perfectus est . . . . Pag. 58-65

II. Alia homilia

I. Hodiernum mysterium figuratum fuit in visione Ezechielis. — II. Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit per modum voluntatis et amoris; mittitur a Deo ad discipulos congregatos et orantes, in forma venti et ignis, quia purgat, illuminat et sanctificat Apostolos. — III. Triplici modo possumus Spiritum Sanctum accipere. — IV. Spiritus Sanctus est veluti cor Dei nobis dono datum, ideo maximum Dei beneficium. — V. Multis nominibus appellatur Spiritus Sanctus in S. Scriptura, sed hodie dicitur absolute *Paraclitus*, quia est absolutus et verus consolator . Pag. 65-72

III. Alia homilia

I. Mirabiles effectus operatus est hodie Spiritus Sanctus in Apostolis. — II. Qui descendit est ipsemet Spiritus Dei; — III. descendit in figura venti et ignis, ad denotandam ipsius Personam, virtutem et potestatem; — IV. venit ad Christum glorificandum, mundum arguendum, Apostolos deificandos, Ecclesiam regendam; — V. venit ut nobis esset lux et robur et dux per viam salutis. Pag. 73-78

FERIA SECUNDA POST PENTECOSTEN

I. Christus hodie certissimos nos facit ineffabilis divini erga nos amoris. — II. Deus amor aeternus est; — III. sed mirum non est quod seipsum diligat, valde autem mirabile quod diligat mundum. — IV. Amor Dei erga nos infinitus est et aeternus, ut patet ex infinito dono mundo datum. — V. Salus nostra est vera et viva fides in Christum et caritas in Deum. — VI. Deus dilexit nos usque ad mortem . . . . Pag. 79-87

II. Alia homilia

I. Ostenduntur hodie mysteria divini erga nos amoris. — II. Multis S. Scriptura magnitudinem huius amoris ostendit, Christus tamen hunc amorem manifestat ex dono quo Deus Filium suum mundo dedit. — III. Deus quodammodo mundum magis quam Filium suum dilexisse videtur. — IV. Duo amores hodie nobis proponuntur: Dei et mundi. Divinus amor via salutis est. Pag. 87-93

FERIA II POST PENTECOSTEN

I. Declarat hodie Christus quaenam sint media ut ad finem nostrum perveniamus. — II. Christus unicum est ostium naturae et gratiae, quia unicus auctor et mediator salutis, — III. utpote verus Deus et homo. — IV. Christus ostendit hodie se vere esse ostium salutis et pastorem. — V. Per ostium Christi intratur fide et caritate . . . . Pag. 94-100

IN FESTO SS. TRINITATIS

I. Agitur hodie de primo ineffabili mysterio fidei nostrae. — II, Valde difficile erat mundo persuadere mysteria fidei; — III. Deum existere et unicum esse constantissime docuit lex Moysi, cui suffragatur naturalis philosophia; — IV. Deus enim dicitur ens simpliciter; — V. at de Trinitate Personarum, nec philosophia naturalis nec theologia Moysi aliquid docuerunt. — VI. Hoc mysterium incomprehensibile est, insinuatur tamen multis figuris, multis etiam modis in Veteri Testamento. — VII. In Evangelio tantum docetur aperte . . . . . . Pag. 101-110

II. Alia homilia

I. Sola fides Christi veram cognitionem dat divinae naturae, revelato Trinitatis mysterio. — II. Ratio Trinitatis caritas est. — III. Hanc caritatem Trinitas demonstravit mundum creando et Christum nobis mittendo. — IV. Trinitatis mysterium innuitur in vaticinio Danielis, sed in Evangelio clare revelatum fuit . . . . Pag. 110-115

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

I. Deus ardentissime cupit peccatorum salutem. — II. His parabolis Christus ostendit infinitam caritatem suam erga peccatores . . . . Pag. 116-118

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

I. Hodiernum miraculum praesagium fuit futurae gentium conversionis. — II. Duae naves istae synagogam et Ecclesiam figurabant. Hac occasione Petrus Ecclesiae hierarcha constituitur. — III. Navis Petri figura est animae fide, spe et caritate praeditae. — IV. Vir perfectus humilis esse debet et Deo obedientissimus . . . . Pag. 119-123

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

I, Deus nonnisi quod bonum est facere potest. — II. Dei essentia infinita est, talis ergo etiam eius potentia et operatio. — III. Christus Deus est, ergo divina et optima est eius potentia et operatio. — IV. Deus auctor dicitur malorum quoad mala poenae, non quoad mala culpae, nam causa efficiens peccati sola voluntas hominis est. — V. Multi scandalizantur de divina providentia, sed mysterium declarat Regius Vates. — VI. In die iudicii videbimus quomodo Deus bene omnia fecerit. — VII. Homo conditus fuit non ad naturalem tantum felicitatem, sed etiam ad supernaturalem. — VIII. Deus hominem peccare permisit ad ostendendam potentiam, sapientiam et bonitatem suam. — IX. Deus omnia opera sua bona et bene facit, — X. opera praedestinationis, creationis, divinae providentiae et iustitiae. — XI. Hoc etiam homo satagere debet, ut omnia opera sua bona et bene faciat, — XII. ut beneficiis, non poenis a Deo afficiatur. Pag. 124-138

II. Alia homilia

I. Per hunc surdum et mutum haebraicus populus designatur. — II. Non facile curatur qui voluntate surdus et mutus est . . . . Pag. 138-141

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

I. Haec duo caritatis praecepta potissimum locum tenent in corde nostro. — II. Cor nostrum scrinium esse debet caritatis. — III. Deus voluntatem humanam condidit ut eum et proximum diligeret. — IV. Caritas via salutis est tutissima et unica. — V. Deus perquam sollicite praeceptum hoc nobis edicit, quia cupidissimus est amoris nostri. — VI. In ipsius mandati verbis multae causae insinuantur. — VII. Deus diligendus est quia maximum et unicum bonum, — VIII. quia supremus Dominus et conservator omnium rerum, — IX. quia ipsemet requirit amorem nostrum, — X. quia seipsum nobis dono dedit. — XI. Deum diligere ex toto corde impossibile non est; — XII. significat autem diligere ex animo, vere et ardenter. — XIII. Non requirit a nobis Deus amorem sensilem, sed spiritalem, firmum et constantem. — XIV. Proponitur mandatum et modus diligendi proximum. — XV. Qui proximum non diligit, nec Deum diligere potest. Pag. 142-161

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

I. Hoc miraculo, quo Christus se Deum esse ostendit, proponuntur multa mysteria nobis consideranda. — II. Causa damnationis non est voluntas Dei, sed peccatum. — III. Multa media salutis assignantur in S. Scriptura, sed Christus hodie ad fidem omnia reducit. — IV. Unica via salutis est fides quae per caritatem operatur. — V. Dantur signa huius fidei, ob cuius defectum paucissimi salvantur, — VI. sicut aperte docet omnis Divina Scriptura. — VII. Significatur hodie conversio futura multorum ad fidem, sed salus paucorum ob ingratitudinem erga Deum. — VIII. Nullus est vitae status securus salutis. — IX. Duplex est causa perditionis: peccata manifesta et bonorum operum defectus . . . . Pag. 162-177

II. Alia homilia

I. Lepra in S. Scriptura peccatum significat. — II. Multipliciter peccatum committitur. — III. Lepra spiritualis curatur fide in Christum et Sacramentis . . . . Pag. 178-181

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

I. Docet hodie Christus impossibile esse duobus dominis servire. — II. Per duos dominos intelligit Deum et divitias. — III. Deus est absolutus Dominus, infinitae potentiae, bonitatis et sapientiae et pater providentissimus. — IV. De hac providentia hodie Christus magnificentissime loquitur. — V. Servitus Dei suavissima est, honorabilis et utilis. — VI. Multis rationibus avocat Christus a servitute mundi et divitiarum. — VII. Non prohibet Christus curam terrenorum, sed noxiam sollicitudinem. — VIII. Thesaurizemus ergo in coelo bonis operibus incumbendo in terra, — IX. et regnum Dei quaerendo ante omnem curam terrenorum, sicut hodie Christus docet . . . . Pag. 182-198

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

I. Miraculum hodie a Christo humanae miseriae et divinae misericordiae magnitudinem ostendit. — II. Per hanc mulierem viduam humana natura designatur in statu culpae, — III. duplici miseria afflicta. — IV. Huic abysso miseriarum occurrit Christus abyssus misericordiae. Nihil S. Scriptura magis collaudat quam misericordiam Dei, — V. magnam et aeternam eam appellans, sicut ostenditur in hodierno Evangelio. — VI. Collaudanda nobis est Dei misericordia, sed etiam reverenter timenda. — VII. Adhuc magna ostenditur hodie divina misericordia ex magnitudine subiecti, obiecti et actus. — VIII. Tribus causis movetur Deus ad vivificandum hominem a morte peccati: misericordia sua, poenitentia nostra et fragilitate humana. — IX. Unicuique a Deo certus praefixus est numerus peccatorum, quo completo, nulla relinquitur spes veniae. — X. Necesse non est nunc de mortuorum resurrectione agere, sed de spirituali resurrectione. Pag. 199-218

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN

I. Hydrops, morbus corporis, animi morbum significat. — II. Hodie ostenditur mira sapientia, bonitas et patientia Christi, et e contra, fragilitas, ignorantia et malitia humana. — III. Divus Paulus cupit ut cognoscamus magnitudinem Dei, sed praecipue magnitudinem caritatis Christi. — IV. Hanc divinam Christi caritatem hodie cernimus erga hydropicum, qui genus humanum figurabat. — V. Hydrops designat triplicem concupiscentiam, praecipue tamen ambitionem; — VI. Christus autem hunc morbum factis et exemplis suis in nobis curare satagit ex amore ardentissimo salutis nostrae. — VIII. Docet insuper viam ad exaltationem et beatitudinem humilitatem esse et misericordiam erga egentes. — VIII. Domus haec pharisaei figurat etiam congregationem Religiosorum . . . . Pag. 219-232

II. Alia homilia

I. Habemus in hodierno Evangelio ex factis Christi salutaria documenta, — II. multa etiam ex dictis Christi . . . . Pag. 232-235

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

I. Inter omnes virtutes caritas primatum tenet. — II. Mirabili sapientia Christus malignitati pharisaei respondet. Praeceptum caritatis in Deum primum est omnium praeceptorum. — III. Deus per seipsum diligendus est super omnia, amore aestimationis. — IV. Simili amore aestimationis

proximus etiam diligendus est. — V. Omnia praecepta legis Christus ad unam caritatem reduxit, qua Deum et proximum diligimus. — VI. Ex effectibus cognoscere possumus an vera caritate praediti simus. — VII. Sine fide caritas haberi nequit, ex defectu enim fidei omnia peccata oriuntur. — VIII. Fides et caritas duae alae sunt quibus ad Deum volamus. — IX. Ut ab omni vitio perpetuo abstineamur bona et constanti voluntate opus est et auxilio gratiae . Pag. 236-251

II. Alia homilia

I. Sapienter Christus respondet Pharisaeorum quaesito, — II. non sic autem Pharisaei quaesito Christi. Ex imperfecta fide et cognitione Dei oritur imperfecta dilectio . . . . Pag. 251-253

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

I. Christus ostenditur hodie fons totius bonitatis. — II. Christus duplicem habuit potestatem salvandi tum corpora tum animas. — III. Continet hodiernum Evangelium clarissima humanitatis et divinitatis Christi argumenta et causas cur nobis in Christo fidendum est. — IV. Qui secundum carnem vivit, in sensu carnis omnem quaerit voluptatem . . . . Pag. 254-258

II. Alia homilia

I. Multa sunt mysteria hodierni Evangelii, sed miraculum tantum perpendamus. — II. Septem de causis movetur Dominus ad patrandum hoc miraculum. — III. Christi verbum effectivum est, est enim verbum divinum. — IV. Christus a triplici miseria paralyticum liberat. Deus intercessione Sanctorum multis peccatoribus salutem confert. — V. Peccatum est omnium malorum causa; — VI. solus Deus illud curare potest. — VII. Multa mysteria continet hodiernum Evangelium, quae intellectum illuminant et animum consolantur, — VIII. multa etiam documenta praebet ad vitam optime instituendam . . . . Pag. 258-275

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

I. Ostendit hodiernum Evangelium divinam misericordiam et iustitiam erga Hebraeos et Gentiles, — II. designat enim desponsationem Christi cum Ecclesia et gratiam Spiritus Sancti in Novo Testamento. — III. Sub hac parabola ostenditur misericordia et iustitia divina — IV. praesertim erga Hebraeos. . . . . Pag. 276-284

II. Alia homilia

I. Agit hodiernum Evangelium de septem mysteriis, de quibus universa theologia tractat; — II. sed principaliter ostendit reprobationem Iudaeorum et electionem Gentilium. — III. Circa electionem sex consideranda sunt. — IV. Principium electionis est beneplacitum divinae voluntatis, scopus et finis gloria Christi et beatitudo aeterna, medium vero gratia divina. — V. Deus quos vult eligit. — VI. Causa electionis est bonitas Dei, reprobationis autem peccatum. — VII. Multa dogmata habemus ergo in hodierno Evangelio de electione divina. — VIII. Docet Christus ad salutem solam fidem non sufficere sine operibus. — IX. Causa principalis ergo damnationis est defectus bonorum operum. — X. Paucorum determinata est electio, multorum autem indeterminata; Deus tamen omnibus dat media salutis . . . . Pag. 281-296

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

I. Duplex miraculum hodie Christus operatur. — II. Reguli fides valde imperfecta erat, ideo ad eam perficiendam Christus filium eius sanat. — III. Christus fidem perfectam requirit; ad fidem au-

tem sola praedicatio sufficit; attamen ad eam perficiendam ipse miracula operatur. — IV. Mystice designatur hodie conversio a fide imperfecta legis Moysi ad fidem perfectissimam Evangelii. Incredulitas Deo valde displicet. — V. Regulus iste docet quid nobis agendum sit in tribulationibus nostris . . . . Pag. 297-306

II. Alia homilia

I. Tria proponuntur hodie, quae multa mysteria innuunt: iter Christi a Iudaea in Galilaeam, miraculum et fructus miraculi. — II. Regulus iste erat valde modicae fidei et virtutis, Christus tamen miraculum operatur. — III. Curatio haec mystice iustificationem designat, quam per Sacramenta in Ecclesia Christus operatur. — IV. Haec de Deo credenda sunt: omnipraesentia, omnipotentia, infinita caritas et maiestas. — V. Christus regulum aspere tractat temporalia nimis diligentem. — VI. Nimius affectus temporalium impedimento est virtuti; voluntas autem vitiata facile intellectum pervertit . . . . Pag. 306-316

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

I. Similes Deo virtutibus esse debemus sicut ei similes sumus natura. — II. Christus Deum nobis etiam ostendit sub forma regis et iudicis. — III. Sub hac parabola Dominus nobis praecipit misericordiam in proximos. — IV. Deus iudex est, peccatum vero debitum infinitum quod cum Deo contrahitur . . . . Pag. 317-322

II. Alia homilia

I. Deus natura rex est universi. — II. In prima parte huius parabolae ostenditur magnitudo Dei in seipso, — III. magnitudo etiam illius bonitatis et misericordiae erga hominem; — IV. in secunda ostenditur hominis impietas in hominem; — V. tandem proponitur severitas divinae iustitiae contra immisericordem. — VI. Deus videtur magis vindicare crudelitatem in hominem quam impietatem in seipsum. — VII. Caritatem in proximos Deus nobis summopere expetit atque requirit et huic virtuti promittitur divina misericordia . . . . Pag. 322-333

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

I. Tentantibus Pharisaeis Christus hodie manifestat divinitatem et sapientiam suam. — II. Duas interrogationes habet hodiernum Evangelium: unam Pharisaeorum, alteram Christi. — III. Triplici ratione anima nostra dicitur imago Dei. Ergo homo totus Dei esse debet. — IV. Multae virtutes elucent in responsione Christi Pharisaeorum interrogationi. — V. Imago Dei in homine per peccatum destructa fuit, amissa originali iustitia, sed reformari potest per poenitentiam. — VI. Videmus hodie in Pharisaeis imaginem diaboli, in Christo autem veram imaginem Dei naturalem et consubstantialem, quamvis coopertam similitudine peccati . . Pag. 334-346

II. Alia homilia

I. His duabus sententiis Christus universam legem brevissimo compendio collegit, — II. nam una continet regulas vitae humanae erga Deum, altera erga hominem. — III. Tria consideranda sunt: *a*) intentio Christi, — IV. *b*) substantia verborum, — V. *c*) et ordo verborum . . Pag. 347-352

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

I. Hodie Christus ostenditur et agnoscitur absolutus dominus vitae et mortis totiusque naturae. — II. De Christo credenda est infinita gloria quatenus Deus et infinita sanctitas quatenus homo.

— III. Infinita eius sanctitas nobis meruit omnem salutem. — IV. Mala quae legimus in hodierno Evangelio significant mala humanae naturae a peccato illata, a quibus Christus nos liberavit. — V. Tum archisynagogus tum haemorrhoissa Christum credebant virum sanctissimum, sed non verum Deum. — VI. Magna est inter homines sanctitatis aestimatio. Magna etiam caecitas credere animae immortalitatem et vitam epicuream ducere. — VII. Animae immortalitatem ostendit etiam hodiernum Evangelium, et semper docuit vera philosophia. — VIII. Ad salutem consequendam fide opus est viva atque perfecta, coniuncta cum magna humilitate ac devotione. — IX. Talis fides cernitur hodie in archisynagogo et in haemorrhoissa . Pag. 353-368

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

I. Praedicit hodie Christus excidium Iudaeorum et dat fidelibus monita ut effugiant ab ira ventura. — II. Deus omnium salutem quaerit, sed maxime iustorum. — III. *Cum videritis abominationem:* loquitur Christus de exercitu Romanorum ex vaticinio Danielis. — IV. Consideranda sunt quae praecesserunt hoc excidium, — V. et quae illud subsecuta sunt. — VI. Docet Christus fugienda quam citissime corporis et animae pericula. — VII. Praedicit etiam multos falsos prophetas surrecturos. — VIII. Duplex iudicium vaticinatur: temporale et aeternum. — IX. Elucent in hoc Evangelio Christi sapientia, iustitia et caritas. — X. Ostendit etiam tribulationem Iudaeorum ad finem usque mundi perseveraturam esse. — XI. Tribulatio haec omnes praecedentes Iudaeorum tribulationes duratione et magnitudine superavit. — XII. Abominabile peccatum fuit Christum mortalem occidere, sed magis abominabile ipsum immortalem crucifigere. Caveamus ergo a peccato . . . . Pag. 369-392

II. Alia homilia

I. Duplex magnum iudicium hodie Christus praedicit. — II. Poena respondet culpae, ideo maxima fuit haec Iudaeorum tribulatio quia maximum fuit eorum scelus . . . . . Pag. 392-397

III. Alia homilia

I. Duplex iudicium proponitur et duplex poenarum genus. — II. Quattuor praecipue mala Deus immittit in poenam peccati, sicut habemus in hodierno Evangelio. — III. Dat Christus electis multa monita ut divinam effugiant iram. — IV. Bona Deus praeparavit in praemium virtutis, mala autem in poenam vitiorum. — V. Ad salutem necessariae sunt virtutes, opera bona et fuga saeculi . . . . Pag. 397-405

IV. Alia homilia

I. Proponitur temporale iudicium contra Iudaeos in argumentum extremi iudicii in fine mundi; — II. sicut enim illud factum fuit, sic istud certe eventurum est. — III. Proponitur etiam in exemplum. Haec veritas firmissima certitudine tenenda est ut peccatum fugiamus . Pag. 405-410

DOMINICALE SECUNDUM

DOMINICA IN ALBIS

I. Corpus beatorum in resurrectione erit impassibile, lucidum, agile sicut corpus Christi resuscitati. — II. Ultima perfectio hominis consistit in perfectione gratiae et gloriae, ad quam fide pervenitur. — III. Fides, cui beatitudo promittitur, viva esse debet, vera et pura. — IV. Quattuor praecipue mysteria continentur in hodierno Evangelio. — V. Duabus istis Christi apparitionibus ostenditur Deum velle omnes salvari . . . . Pag. 411-418

DOMINICA III POST PASCHA

I. Mirabilia admodum sunt mysteria incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis Christi, — II. et incomprehensibilia. — III. Comparat Christus militantem Ecclesiam mulieri parturienti. Absque poenitentia homo gloriam aeternam consequi nequit. — IV. Paradisi gloria gaudium aeternum est, quia possessio est omnis boni . . . . Pag. 419-425

DOMINICA IV POST PASCHA

I. Loquitur Christus de sua ascensione simul repromittens Apostolis Spiritum Sanctum, — II. qui venturus erat ad mundum purgandum et arguendum. — III. Homo triplici consideratione potest ab omni peccato sibi cavere . . . . Pag. 426-428

IN DIE ASCENSIONIS

I. Quattuor sunt praecipua vitae Christi mysteria. — II. Circa ascensionem eius multa consideranda proponuntur. — III. Christus ad infima deiectus, hodie supramodum glorificatur . Pag. 429-432

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

I. Spiritus S., quem Christus hodie promittit, futurus erat verus Apostolorum Paracletus. — II. Necesse erat ut tota Trinitas testimonium perhiberet de Christo . . . . Pag. 433-436

II. Alia homilia

I. Quinque de causis Ecclesiae hodie promittitur Spiritus S. — II. Christus ostenditur summus princeps, propheta et legislator. — III. Solus Spiritus S. mundo persuadere poterat mysteria fidei. — IV. Promissionem et prophetiam Christi hodie adimpletas cernimus . . . Pag. 436-441

IN DIE PENTECOSTES

I. Promittit hodie Christus universae Ecclesiae Spiritum S., — II. et declarantur effectus quos operaturus erat. — III. Coniungitur adventus Spiritus Sancti cum vaticinio universalis iudicii, ut sciamus hoc non longe abesse. — IV. Spiritus Sanctus Ecclesiae necessarius est et nobis quoque.
Pag. 442-447

DOMINICA TRINITATIS

I. Mysterium SS. Trinitatis adumbratum fuit in visione Isaiae, — II. cernitur etiam significatum in apparitione trium Angelorum Abrahae. — III. Philosophi valde imperfecte Deum cognoverunt, clarius Prophetae; solus Christus altissimam cognitionem Dei nobis revelavit in Trinitatis mysterio . . . . Pag. 448-453

DOMINICA III POST PENTECOSTEN

I. Loquitur hodie Christus de divina misericordia. — II. Elucet magna misericordia Dei in operibus creationis et quotidianae providentiae mundi, sed maxime erga peccatores. — III. Contra Pharisaeos murmurantes ostendit Dominus peccatores misericorditer suscipiendos esse, tribus parabolis propositis. — IV. Ostendit etiam concupiscentiam et ignorantiam radicem esse peccati. Per Baptismum Christus multos suscipit filios, sed non omnes perseverant . . . Pag. 454-459

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN

I. Mandatorum observantia via est ad coelum. — II. Pro salute hominum Deus dedit legem naturalem et mosaicam, venit postea ipsemet factus homo et misit Apostolos ad Evangelium universo mundo praedicandum. — III. In tribus quae hodie Petrus egit tres status fidelium designantur. Pag. 460-462

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

I. Iustitia christiana superare debet Pharisaeorum iustitiam. — II. Tum lex mosaica tum christiana legalem iustitiam docent, — III. sed lex christiana infinite nobilior est mosaica auctore, natura praeceptorum moralium, — IV. iudicialium et caeremonialium. — V. Merito ergo Christus vult ut iustitia nostra maior sit iustitia Pharisaeorum . . . . Pag. 463-469

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN

I. Agitur hodie de magno divinae providentiae miraculo a Christo operato. — II. Multis hieroglyphicis S. Scriptura divinam providentiam ostendit, — III. praecipue scala Iacob, tabernaculo Moysi, templo Salomonis. — IV. Gentiles etiam philosophi et poetae eam demonstrarunt. — V. Deus curam omnium creaturarum habet, sed praecipue hominum et maxime fidelium. — VI. Sub figura panis bis multiplicati verbum Dei intelligitur in lege et in Evangelio traditum. — VII. Non meretur inter electos numerari qui multa virtute praeditus non est et mundana vitia non relinquit. In hoc mundo nemo vere felix est nisi in sequela Christi . . . . . . Pag. 470-479

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

I. Docet hodie Christus prudentiam et iustitiam. — II. Gratia, paradisus quidam est, quem operari oportet iustitia voluntatem perficiendo et prudentia perficiendo intellectum. — III. Ecclesia etiam paradisus est operandus et custodiendus. — IV. Falsi prophetae sunt qui falsam doctrinam docent et falsa bona promittunt; — V. praecipue falsi prophetae sunt diabolus, mundus et caro. — VI. Iustitia in gratia et caritate consistit. Qui gratiam Dei habet, arbor bona est faciens fructus bonos. — VII. Duplex expositio affertur Salvatoris sententiae: *Non potest arbor bona*, etc. In Scriptura quod impossibile dicitur, saepe ut valde difficile intelligendum est. — VIII. Opera bona facere oportet, non sufficit abstinere a malo . . . . Pag. 480-491

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN

I. Deus fons est omnium bonorum et bona sua nobis communicare voluit. — II. Christus nomine hominis divitis in parabolis suis Deum appellat, — III. ad innuendum mysterium humanitatis in Deo. Deus plene sibi sufficiens est. — IV. Deum cognoscere et diligere debemus. — V. Deus, dominus universi, hominem constituit dispensatorem bonorum suorum. — VI. Operibus misericordiae incumbendum est et eleemosynis regnum coelorum emere . . . . . Pag. 492-506

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN

I. Duo semper cogitanda sunt: divina iustitia et misericordia. — II. Quattuor sunt praecipua divina attributa: potentia, sapientia, misericordia et iustitia. — III. Quattuor haec ostendit hodiernum Evangelium de Christo rege. — IV. Qui gaudet in hoc mundo, lugebit in altero, et qui in hoc mundo luget, in altero gaudebit. — V. Flet hodie Christus super synagogam. — VI. Tria facit, quae nobis cogitanda sunt: appropinquat civitati, videt eam et flet. — VII. In sanctitate Deo servire debemus; externas caeremonias ipse non curat. . . . . . . Pag. 507-518

DOMINICA X POST PENTECOSTEN

I. Ostenditur hodie humilitas exaltata et superbia humiliata. — II. Deus superbiam odit, humilitatem amat. — III. Dei bonitas magis quam in creatione resplendet in peccatoris iustificatione. — IV. Pharisaeus iste populum hebraeum figurat, publicanus autem gentilem. — V. Deus vult omnes salvari, dummodo salvari velint. — VI. Summa ingratitudo est de bonis a Deo acceptis nos gloriari. — VII. Tres sunt classes hominum: frigidorum, calidorum et tepidorum. — VIII. Ad salutem requiritur humilis oratio, contritio et peccatorum confessio. In ecclesia orandum est maxima devotione et humilitate . . . . Pag. 519-529

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

I. Christus sanum facit hodie daemoniacum surdum et mutum. — II. Nullum daemoniacum legimus in Veteri Testamento ab homine liberatum, nisi Saulem a David. — III. Quae Christus egit in hodierno miraculo, significant processum conversionis ab infidelitate ad fidem. — IV. David expellens daemonem a Saule citharam pulsando, mysterium innuit. — V. David Christum figurabat, Saul autem genus humanum a deomonio obsessum. — VI. Christus de humano genere daemonium eiecit meritis humanitatis suae, praedicatione Apostolorum et Baptismo . . . . Pag. 530-538

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

I. Omnes virtutes a sola caritate originem trahunt. — II. Angeli et homo innocens non indigebant praecepto ut Deum diligerent. — III. Christus hodie causas assignat et modum praescribit diligendi Deum. — IV. Deus summe diligendus est quia infinita bonitas est in seipso et erga nos. — V. Deus diligendus est quia creator noster, dominus noster, Redemptor et Pater noster est. — VI. Deus diligendus est ex toto corde, anima, mente et ex omnibus viribus. — VII. Non iubemur Deum diligere amore sensuali et intensionis, sed intellectuali et aestimationis. — VIII. Idem amor nobis praecipitur erga proximum . . . . Pag. 539-550

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

I. Haec leprosorum curatio sacramentum Poenitentiae designat. — II. Lepra peccatum figurat, sicut ostendunt ritus observandi ad curationem huius morbi. — III. Duplex est peccatum: originale

et actuale, illud per Baptismum deletur, istud per Poenitentiam. — IV. Ad veniam obtinendam requiritur gratia praeveniens, confessio, vera contritio et satisfactio. — V. Ad curandam peccati originalis lepram Christus venit in mundum. — VI. Ab istis leprosis a Domino curatis discenda est fides, obedientia, perseverantia, gratitudo animi erga Christum . . . . Pag. 551-558

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

I. Docet Christus impossibile esse nos Deo simul et diabolo servire. — II. Deo debemus adorationem et amorem, ipse enim est creator et gubernator mundi et pater noster. — III. Qui vere Deo servit a Dei providentia non deseritur . . . . Pag. 559-562

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

I. Duo proponuntur hodie: fides et caritas in Deum. — II. Caritas erga Deum est primum et maximum praeceptum. — III. Deus diligendus est per seipsum, sed non praecipitur nobis amor sensibilis, sed aestimativus et spiritualis. — IV. Signum dilectionis Dei est dilectio proximi. — V. Deus diligendus est tanquam finis, creaturae diligendae sunt tanquam media. Pag. 563-568

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

I. Ostendit hoc Evangelium Christi potentiam, sapientiam, bonitatem, dignitatem regalem ac sacerdotalem . . . . Pag. 569-570

II. Alia homilia

I. Hodierno miraculo elucet divinitas Christi, — II. sapientia qua medicum agit tum animae tum corporis, — III. sed super omnia eius divina potentia. — IV. Paralysis corporalis designat paralysim spiritualem, utraque duplex: partialis et totalis . . . . Pag. 570-575

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

I. Ostenduntur hodie Dei bonitas et iustitia. — II. Deus rex est et mandata eius possibilia sunt., — III. Ad salutem non sufficit fides sine caritate . . . . Pag. 576-578

II. Alia homilia

I. Multa mysteria continet mirabilis haec parabola. — II. Hoc convivio designatur duplex beatitudo: in futuro et in praesenti. — III. Septem significantur hoc regali convivio. — IV. Agitur hodie de misericordia et iustitia Dei, de caritate et sanctitate vitae. Duplex est inferni porta: infidelitas et fides mortua . . . . Pag. 578-584

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN

I. Hodierno miraculo praecipue ostenduntur media quibus Deus utitur in salutem hominis. — II. Deus homines ad se trahit beneficiis, si haec non iuverint, flagella adhibet. — III. Elucet in hoc Evangelio mysterium divinae providentiae. — IV. In morte corporali videndus est morbus spiritualis. — V. Multa significantur in persona istius infirmi et reguli . . . . Pag. 585-592

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

I. Proponuntur hodie considerandae divina bonitas et humana crudelitas. — II. Vult hodie Dominus veram caritatem nobis persuadere. — III. Debita nostra cum Deo multa et maxima sunt, at si dimittimus aliis iniurias nobis illatas, Deus dimittet nobis debita nostra . . . Pag. 593-596

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN

I. Mittens Deus Prophetas, coelesti sapientia eos armavit. — II. Proponitur hodie singulare certamen inter mundi astutiam et Christi sapientiam. — III. Elucet Christi sapientia in cognitione hypocrisis Pharisaeorum, in interrogatione et responsione. — IV. Deus hominem creavit ut filius Dei esset, rex universi, capax divinitatis, similis Christo. — V. Ex imagine Dei in nobis oritur debitum nostrum erga Deum . . . . Pag. 597-604

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

I. Duo miracula proponuntur hodie, in quibus Christus ostenditur fons salutis. — II. Christus Salvator est tum Iudaeorum tum Gentilium. — III. Multa mysteria continet hodiernum Evangelium. — IV. Magna est virtus Christi ad salvandum, ipse enim est ipsa virtus Dei, qui solo verbo omnia creavit. — V. Fimbriae designant merita humanitatis Christi . . . . . Pag. 605-610

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

I. Agit hodie Dominus prophetam et interpretem. — II. Multiplici sensu accipitur propheta in S. Scriptura. — III. In Christo reperitur spiritus veri prophetae, sed verba eius diligenter ponderanda sunt. — IV. Agit etiam interpretem, sed videnda est interpretationis intelligentia. — V. Duas prophetias habemus in hodierno Evangelio: Danielis et Christi, in quibus elucet ingenium Dei, monet enim ut ab ira fugiamus . . . . Pag. 611-619

II. Alia homilia

I. Cum Deus ad iniquos puniendos mala in mundum immittit, iustos contingere non permittit. — II. Hic non loquitur Christus de antichristo, sed de exercitu Romanorum. — III. Maxima fuit poena synagogae, quia maximum fuit eius peccatum; praedicit tamen Christus non omnes Iudaeos penitus interituros esse. — IV. Interrogationi Apostolorum duplicem responsum dat, — V. una coniungens excidium Ierusalem et consummationem mundi, quia illud figura istius fuit. — VI. Videmus in hodierno Evangelio amorem Dei in electos, odium vero in reprobos . Pag. 619-629

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

I. Hodiernum Evangelium summa est totius theologiae. — II. Hic describitur Dei natura, virtus, operatio, misericordia et iustitia; — III. Describitur mundus, Ecclesia, et paradisus. — IV. Hac parabola Christus septem declarat de Deo, quattuor de mundo, quinque de Ecclesia et quinque de gloria paradisi . . . . Pag. 630-636

APPENDIX PRIMA

Dominicale Tertium . . . . Pag. 637-704

APPENDIX SECUNDA

Folia Avulsa . . . . Pag. 705-724

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

A

Aaron appellatus propheta Moysi 611; eius virga miraculo floruit et amygdala produxit 405; murmuravit contra Moysen 211; defecit in fide ideo non introivit in terram promissionis 526.

Abel vanitas interpretatur 521; sacrificium Deo gratum obtulit 188. 520.

Abimelech occidit septuaginta fratres suos 484.

Abiron a terra devoratus 342. 399. 603. 621.

Abraham filius Thare idololatrae 381; a Deo vocatus 188; ditissimus de Aegypto exivit 19; Angelos vidit eisque cibum paravit 233. 449-450; ab ipsomet Deo propheta appellatus 611; Deum dixit iudicem et possessorem universae terrae 185. 321; duas uxores habuit 120. 463, et duos filios 520; habuit Eliezer dispensatorem domus suae 501; oravit pro filio Ismaele 256; iussus filium Isaac in sacrificium Deo offerre 84. 92-93. 241, credidit Deum posse illum resuscitare 588; flevit mortem Sarae uxoris suae 514; fecit nuptias filio suo Isaac 276; vixit annis centum septuaginta quinque 631.

Absalom Amnoni paravit insidias 220, eumque occidit 484; patrem vita et regno privare quaesivit 514.

Achab rex impius, poenitentiam egit 322.

Achan accepit de spoliis Iericho et periit 196.

Achitophel desperatus laqueo se suspendit 264.

Adam innocens creatus, sed non impeccabilis 482; positus in paradiso 480. 623, non perseveravit 557; prophetavit de Christo et de Ecclesia 438; mundi totius monarcha 595, peccavit 176 credens magis serpenti quam Deo 303. 428; post peccatum erubuit 502; eiectus de paradiso 24. 595. 623; causa fuit omnium malorum 97; peccando mundum perdidit 85. 360 et naturam humanam corrupit 146. Nomen Adam et Iehovah arithmetice idem valent 494.

Aegyptii a Deo flagellati 188. 267-268. 369; perierunt in mari Rubro 205. 279. 427; sine capite iustitiam pingebant 351.

Aesopus citatus 191. 618.

Ahias propheta significavit Ieroboam regnaturum super decem tribus Israel 384. 404; uxorem illius cognovit sub alieno habitu 599.

Albinus pessimus praeses Iudaeae 375.

Aman gloriosus princeps apud Assuerum 529; in patibulo suspensus quod Mardochaeo paraverat 526.

Ambrosius S. dicit loculum defuncti filii viduae naimitis crucis lignum significasse 209; asserit Novatianum ab Ecclesia discessisse dolore amissi episcopatus 315; etiam animum suas febres habere dicit 590.

Amor difficile fari quid sit 541; est qualitas perfectionis 92; residet in praecordiis 87; oritur ex cognitione 34; obiectum, ratio et causa amoris est bonitas 82. 112. 565; est complacentia boni et pulcritudinis fruendae desiderium 542; hominem bonum vel malum reddit 567; primum locum tenet inter passiones animi 237-238; est alter deus in mundo 80-81; causa est omnium actionum 244; omnia amorem cupiunt et amorem spirant 80; ordinatus esse debet 298; quod maxime diligimus amorem nostrum dicere solemus 307; magnus est amor parentum erga filios 84. 91. Ex amore sui oritur avaritia et libido 224.

— intensionis et aestimationis 548; affectus et

effectus 549; amor Dei causa omnium bonorum 92; qui amorem Dei non habet, nec Deum habere potest 85. Actus amoris est dilectio 87.

Amos propheta de iustitia Dei loquitur 214; Deum dicit auctorem malorum poenae 127; paucos esse qui salvantur 173; verbum Dei cibum appellat 580.

Angelus positus ad custodiendum paradisum 24; salvavit Loth 216; apparuit Gedeoni et parentibus Samsonis 19; descendit in fornacem babylonicam 55. 76. 434. 440; destruxit una nocte exercitum Sennacherib 627; eduxit Petrum de carcere 216.

Angeli novem choros constituunt 206. 534; non beati comprehensores creati 481; e coelo expulsi ob peccatum 266. 369. 535; naturaliter Deum amabant 540; per gratiam consecuti sunt gloriam 481; adoraverunt Christum in praesepio et ministrarunt in deserto 34. 431.

Anima imago Dei triplici ratione 337; est immortalis 337; forma et vita corporis humani 63; non educitur de potentia materiae 337; non pendet a corpore 324; totum corpus vivificat 374 eique communicat suam immortalitatem 364; triplici parte constat 143. 154; tripliciter appellatur in S. Scriptura 143; inter terrenas creaturas sola Deum cognoscere, diligere eoque frui potest 339.

Animus humanus scientiis et virtutibus perficitur 253; futurorum scientiam avidissime ambit 6; a Deo alienus insensatus est 218; ab ingrato animo omnia oriuntur mala 175.

Antichristus futurus unus tantum homo, mundi monarcha, aemulus Christi, multa mirabilia facturus, Deum negaturus 616.

Apelles haereticus Christum verum hominem negabat 270.

Apocalypsis mysteria continet a resurrectione Christi ad diem iudicii 2.

Apollinaris haereticus Christum verum hominem negabat 270.

Aquila regale animal acutissimo visu, sagacissimo olfactu praeditum 382; delectatur aspectu solis 129; super omnes aves volat 16. 430, altissimis coeli partibus 147; nimium laborat ad acquirendum cibum pro pullis 89; figura electorum 17.

Arca foederis condita ut in ea tabulae legis, vas mannae et virga Aaron asservarentur 142-144. 221. 319. 569. 586. 608; summae venerationi erat Hebraeis 608; thronus Dei 603. 608; sub velo in sancto sanctorum servabatur 115; nemo poterat eam tangere 116; noluit manere simul cum Dagone 48. 182. 220. 244. 559; praecedebat populum 28; magno cum gaudio suscepta a Bethsamitis 26; a domo Obededom translata in Sion magna cum laetitia 19. 34. 41.

— Noe unum ostium habebat 94; octo tantum animae in ea salvatae 161. 173.

Argus centoculus 447.

Aristoteles Deum dixit principium a quo coelum et terra dependent 473.

Arius haereticus negabat Christi divinitatem 260. 270.

Asina Angelum vidit et Balaamo locuta est 133-134.

Assuerus celeberrimum convivium fecit 277. 279. 281. 576; Esther reginam constituit 157; Mardochaeum exaltavit 147. 602.

Augustinus S. meliorem dicit hominem qui voluntate quam qui necessitate bonus est 133; Deum Angelos creasse quos malos fore praenovit 134; difficilius esse hominem iustificare quam mundum creare 570; nonnullos negasse inferni aeternitatem ut sine timore peccarent 315; iustum esse ut qui in vita Dei oblitus est in morte obliviscatur sui 584; praefixum esse numerum peccatorum 214; divinam electionem fieri ex mera gratia et caritate Dei 289-290; Stephani oratione Paulum conversum fuisse 265; citat ex Varrone Valerianum Soranum 312; per *camelum*, de quo Mt 19, 24, intelligit ipsum animal 194; probabilem dicit opinionem iuxta quam mundus sex annorum millibus duraturus est 614; interpretatur verba Christi de Ierosolymorum excidio 371; per *abominationem*, Mt 24, 15, Romanorum exercitum intelligit 617. 621.

B

Balaam ab asina reprehensus, Angelum vidit 134.

Balthassar rex in convivio sententiam mortis accepit 233.

Banaias gigantem propria illius hasta confodit 335.

Baptismus delet peccatum originale 554; hominem iustificat 140. 483, et constituit Dei filium 458, sed non facit impeccabilem 554; confert ipsum Spiritum Sanctum 114; animam Dei sponsam reddit 157; prodest si Evangelium observetur 583.

Basilius S. respondet obiectioni cur Deus hominem impeccabilem non fecit 133.

Beatitudo naturaliter quaeritur 540; est possessio totius bonitatis 111. 414. 481; Deus solus est vera beatitudo 540; promissa verae fidei 415, caritati et misericordiae 229; merces est laborum 635.

— paradisi status omnium bonorum cumulatione perfectus 287; perpetua et perfecta est 424; aequalis et inaequalis 636; dicitur absolute gaudium 424; obiectum eius Christus 424-425. Quattuor sunt dotes corporis beatorum 508.

Beda S. dicit cognoscere Dei eligere esse, non cognoscere reprobare 174.

Beseleel divina sapientia repletus 43.

Bonum simpliciter dicitur quod perfectum est 132; est obiectum animi humani 136, et amoris 82. 150; omne bonum in Deo solo reperitur 55. Bona mundi non afferunt veram consolationem 56; omnia vanitas 47; saepe nocumento sunt 12; tum temporalia tum aeterna praeparata sunt in praemium virtutis 402. Nullum bonum remanet sine condigna mercede 369. Bona omnia a Deo sunt 380.

Budaeus exponit talenti valorem 325.

C

Cain possessio interpretatur 521; eius munera Deo ingrata 520; a Deo reprobatus 521; occidit Abel 484; desperatus 264. 326.

Caleb solus cum Iosue ingressus est terram promissionis 173.

Calvinus Io. haereticus negabat communionem Sanctorum 270; superstitione notat mulierem haemorrhoissam 608.

Candelabrum in tabernaculo Moysi factum ex uno tantum talento aureo 318.

Capharnaum villa consolationis interpretatur 209. 587, et villa poenitentiae 310; metropolis Galilaeae 308; multos infirmos legimus ibi a Christo sanatos 589-590.

Caritas in libero arbitrio sistitur 412; sine fide non existit 246; via salutis unica 145. 160 et necessaria 238; excludit omne vitium, includit omnem virtutem 145; continet omnia praecepta 252; consistere nequit cum operibus carnis 245; virtutum omnium radix, regina, decor, forma et anima 236-239. 412. 564; radix meriti et omnium bonorum 238-239; sola meretur gratiae augmentum 252; una est quae Deum et proximum diligit 243. 567; perfecte hominem regulat 232 et cum Deo unit 237. Figurata per scalam Iacob 145.

Carpocrates haereticus negabat Christi divinitatem 270.

Cassiodorus refert historiam statuae haemorrhoissa 355.

Causa quatruplex in universo 508; cognoscitur ab effectu 88; ex causa finita oritur etiam effectus contingens 11; ex finita causa oriri nequit infinitus effectus 83.

Cerinthus haereticus negabat Christi divinitatem 260. 270.

Cestius Gallus Syriae praefectus obsedit Ierusalem et multos Iudaeos trucidavit 376.

Chananaei de terra promissionis eiecti 279; septem eorum gentes destructae 267.

Cherubim positi ad custodiendum paradisum 406; in sancto sanctorum divinum propitiatorium intuebantur 79. 89 et illud sustentabant 347. 563.

Christus verus Deus, unicus Filius Dei, Patri consubstantialis 84. 345; aequalis in gloria Deo Patri 38. 96, omnipotens et ubique praesens 302; virtus et sapientia Dei 123. 251. 367; ipsi conveniunt divina attributa 509; superior omni humana dignitate 308; visus Prophetis 38. Deus et homo 508; duabus naturis constans 569; communicat humanitati potentiam divinitatis 573; venit mortalis in mundum 209; non venisset nisi Virginem purissimam invenisset 486; conceptus opera Spiritus Sancti 439; natus in Bethlehem 31; adoratus ab Angelis in praesepio 34; infinita gratia et gloria plenus 96. 354. 358; princeps et propheta 438. 613; iudaeus ex semine Abraham 120. 514. 607; Iesus, idest Salvator vocatus 557; fugit in Aegyptum; bonis mundanis pauperrimus 98; ipsi esurienti Angeli ministrarunt 230; semper gloriam Patris quaerebat 163; transfiguratus apparuit 435, 494; ingressus cum triumpho Ierosolymam 26, super asinam sedens 389, 407, flevit super civitatem 514; nunquam legimus eum risisse 515; mercatores eiecit de templo 196. 211. 507. 511; solo verbo prostravit milites 511; maxima ignominia in passione affectus 3. 27; passus pro omnibus et singulis 117. 223, pro peccatis nostris 421; resurrexit et apparuit Apostolis 411, in specie peregrini 424; insufflans dedit Apostolis Spiritum Sanctum 60. 573; ascendit in coelum

28. 428. 431; meruit gloriam ascensionis 16-17. 33; suapte virtute ascendit 18. 37. 430-431; etiam secundum humanitatem exaltatus 38. 430 ob suam obedientiam 431. Semper exauditur cum pro nobis advocatum agit 49.

Aperte docet mysterium SS. Trinitatis 113; legem mosaicam et Evangelum iustitiam appellat 464; requirit integram fidem 249. 300. 302; fidem statuit unicam viam salutis 167; fidem cum caritate coniungit 246; docet non posse Deo et divitiis serviri 183; divitias dominum appellat 183 et spinas 192; ius humanum divino non repugnare docet 599; Deum Patrem coelestem appellat 86. 187; satagit curare in homine superbiam et avaritiam 226; ostendit divinam providentiam 188. 195; prohibet anxiam curam terrenorum 195; orationem commendat 9. 11-12; docet dilectionem proximi 158-160, etiam inimici 233; misericordiam in pauperes 504. 595; obedientiam principibus 348; opera iustitiae 486; insinuat paucos esse qui salvantur 172. Ecclesiam in varias classes distinxit 286.

Promittit et mittit Spiritum Sanctum 44-45. 50. 58-59. 435. 437. 439. 442. Ipse meruit nobis Spiritum Sanctum 49. 58. Auctor iustificationis 310, et omnium bonorum 119; solus ipse expiare peccatum poterat 553; eius merita infiniti valoris 96. 174-175. 360. 536; potentior ad salvandum quam Adam ad damnandum 360; perfectus Salvator 254-255; meruit nobis gratiam et gloriam 96 et Spiritum Sanctum 49; cupidissimus salutis nostrae 117. 227. 229, et cuiusvis peccatoris 117.

Miracula operatus ad confirmandam doctrinam suam 311; aquam convertit in vinum 297. 299. 310; curavit corpora et animas 353. 356; sanavit infirmos, suscitavit mortuos 141. 210. 214. 557; praecipiebat ventis et mari, morbis et morti 165; imperabat spiritibus immundis 211. 557; sanavit paralyticos 211. 230; panes multiplicavit 230. 470. 476. 673; revelabat arcana cordium 261; praedixit excidium synagogae 280. 369. 371. 383. 392. 408. 516, finem mundi et diem iudicii 614. 616. 625.

Caritas eius perfectissima 18. 231, incomprehensibilis 223, quam eloquentissimis parabolis manifestat 227; totus misericordia 204. 208.

Per scalam Iacob figuratus 95; multis nominibus appellatus in S. Scriptura 429; Sol iustitiae 58, lapis angularis 415, primogenitus mortuorum 423, propheta 613, princeps pastorum 100.

Veniet ad iudicandum mundum 29. 428. 431.

Chrysostomus Io. S. per *camelum*, de quo Mt 19, 24, ipsum animal intelligit 194; de miraculo paralytici a Christo curati disserit 259. 264; dicit ad conversionem requiri firmam animi resolutionem 249; Deum eligere quos praescit futuros bonos 289; Paulum Samosatenum a fide apostatasse amore cuiusdam feminae 315; per *abominationem*, Mt 24, 15, idolum in templo positum intelligit 617.

Cicero M. T. docet animae immortalitatem 364.

Coelum ad Christi gloriam creatum 34; decem sunt sphaerae coeli 206; veluti annulus est in manu Dei 33.

— empyreum locus Beatorum, omnes coelos continet 239; locus divinae gloriae, totum igneum 252.

Columna in deserto nubis per diem et ignis per noctem 278. 406. 433; Aegyptiis tenebrosa, Hebraeis lucida 205.

Conversio ad conversionem peccatoris multa opus est divina misericordia et potentia 140.

Cor prima sedes vitae 237; principium caloris 574, quem influit in totum corpus 443; fons et sedes amoris 149. 443. 547; a Deo factum ut esset scrinium sancti amoris 142; significat etiam voluntatem 154. Cordis penetralia soli Deo patent 255.

Core a terra absorptus 621.

Cyrillus Alexandrinus S. dicit Deum eligere quos praescit futuros bonos 289.

Cyrus Iudaeos a captivitate liberavit 372.

D

Daniel propheta a Nabuchodonosor exaltatus 147; fallacias deprehendit cultorum Belis 517; illaesus in lacu leonum 623. 628; Deum vidit 314. 318. 323. 496; dum oraret, Angelus ad eum venit 623; Angelos vidit stantes ante thronum Dei 38. Vaticinatur de Ierosolymorum excidio et de adventu Christi 27. 37-38. 371-372. 386. 611. 619. 621; consilium dedit Nabuchodonosor 332. 504.

Darius secundus Iudaeis concessit ut templum et civitatem reaedificarent 372.

Dathan a terra absorptus 342. 399. 603. 621.

David interpretatur amor 90; in hoc nomine virtualiter continetur nomen Dei tetragramma-

ton 536. Minimus filius Isai 520; pugnavit cum leone et cum urso 90. 227; superavit gigantem 220. 275. 427. 511, eumque propria illius hasta confodit 335; cum triumpho exceptus 41; ob virtutem exaltatus 190; citharam pulsans expellebat daemonem a Saul 530. 532; tertio unctus rex 20. 432; signum accepit se victurum esse Philisthaeos 62; panes sanctificatos comedit 228; flevit mortem Saul 514; Miphiboseth ad mensam suam invitavit 233; obtulit sacrificium coelesti igne combustum 62; ludit ante arcam 28; poenitens 322. 327; fugit persecutionem Absalom 380, quem tenerrime diligebat, et mortem eius flevit 514; optionem habuit eligendi pestem, vel famem, vel bellum 398; constituit Salomonem regem 9. 41. 114. Figura Christi 536.

Celsitudinem Christi praedicat 20; de ascensione Christi vaticinatur 21-22. 27-28; a multis Christum laudat 609; divinam misericordiam celebrat 475, cui tribuit omnia opera Dei 204. 206, ipsa quoque opera iustitiae 205; Deum esse ubique praesentem docet 248; Deum nobiscum agere iuxta quod meremur 165; Deum Dominum universi appellat 185, eumque dicit auctorem malorum poenae 127; atheismum dicit causam impietatis 247-248; scandalizari videtur de divina providentia 130; celebrat magnitudinem hominis 114; iustum arbori comparat 486, peccatorem iumento 339. 341. 343; totam legem comprehendit in iudicio et iustitia 350; omnia legis praecepta ad undecim et rursus ad quattuor reduxit 166. 243; alas columbae cupiebat 339. Ineffabiles dicit divinas consolationes 130. 580; homines Dei lumine esse signatos 337; omnia peccata populi tribuit ingratitudini 304. De fragilitate humana loquitur 214.

Deus ens absolute 104-105; unus 495, unus et trinus 97. 107; amando Filium producit Spiritum Sanctum 81; omnipotens 627; aeternus 420. 498; immensus 204. 207. 312. 602; ubique est 80. 474; incomprehensibilis 107. 422; omne bonum 55. 83. 111. 124. 153. 240. 256. 630; infinitus in omnibus perfectionibus 80. 92. 109. 111. 325. 498; continet omnes entium perfectiones 495; nullius eget 82. 190. 495; infinita sapientia et potentia 187. 325; omnia novit scientia visionis, non praedestinationis 340; mirabilis in parvis sicut in magnis 608; solus per naturam peccare non potest 133; fidelis et verax 59. 515; intellectu et voluntate libera praeditus 312. 325; omnia attributa in Deo aequalia sunt inter se 205. 330.

Multis nominibus appellatur 46. 66. 153. 493. 496. 508, lux et ignis, pastor, pater, sponsus, sol, aquila 80. 89. 107, Deus uberum 74, Optimus Maximus 186. 312. 321. 338, mundus ter maximus 324; absolute Dominus 184. 212, rex universi 313. 324; plurali numero appellatur 107-108. Quattuor litteris constat nomen Dei tetragrammaton 508.

Prima causa omnium rerum 631; omnia bona et bene facit 134; coelum et terram creavit 5, non necessitate coactus 474, sed ex bonitate sua 475; Angelos creavit quos malos fore praescivit 133. 135; creavit hominem ad imaginem suam 501. 602, ad aeternam felicitatem 56, ut dominaretur super terram 114. 602; in paradiso eum collocavit et inde eiecit 278. 428; cupit felicitatem nostram 56; propter nos mundum creavit 113. 189. 212. 475. 544, specialiter propter bonos 370. 620.

Apparuit in humana forma 317. 322-323. 496. 576; Abrahae 108. 110. 240. 385. 450. 626, Iacob 475, Moysi in igne 63. 86. 89. 223. 493. 511; apparuit supra montem Sinai legem dans 61-62. 75. 89. 116. 223. 426. 472; revelavit Patriarchis incarnationis mysterium 301, sed non revelavit nomen suum 493.

Benedixit Abrahae 9; dedit Moysi exemplar tabernaculi et Davidi templi aedificandi 43. 385. 625; misit Moysen ad liberandum populum 213; percussit Aegyptum et Chananaeos 206; legem tulit de sacrificio primitivorum 62, de primogenitis 198; prohibuit idolorum cultum 192, iussit usum fimbriarum 607.

Vitae ordinem requirit 197 et perfectam virtutem 349, humilem orationem 13; semper exaudit cum bona petimus 13, supplicum excedit vota 256. 304. 593; negat propitius quae concedit iratus 13; dat virtutem ut imperata eius exequamur 52. 274. Superbiam odit 519. 521, exaltat humiles 228. Non est auctor mali culpae 127-128, nec damnationis 164; per naturam solus peccare non potest 133; permisit hominem tentari et peccare 133; acerrimo odio prosequitur peccatum 136-137. 399; multa egit ad illud destruendum 266-267. 342, misit diluvium, Pentapolim incendit 267. 279. 455. 475. 515; mala in mundum immittit 620. 626; punit nunc ut pius medicus et pater 205-206. 266-267; iustis ipsis tribulationes immittit 266; semper punit citra condignum 381. 622.

Omnibus beneficus 121. 151. 586, remunerat vel minimum bonum 131 et supra condignum 381. 622; meritis Sanctorum multa concedit beneficia 257. 265; exigit a nobis memoriam beneficiorum suorum 176, ideo instituit festa legalia 176.

Totus caritas 90. 92. 328; necessario seipsum amat 80-81; mundum ab aeterno diligit 82-83. 308; pater noster est 66-67. 546; infinita bonitas 325. 543-544. 546; pro malis bona reddit 334. Collaudanda eius misericordia 210. 454-455; placet ei cordis contritio 322; facillimus ad condonanda peccata 271; propter decem iustos pepercisset Pentapoli 386; cupit omnium salutem 116. 404. 619; omnes vult salvari 290, etiam reprobos 289; salvat omnes qui salvari velint 524; dat omnibus media salutis 296; neminem vult perire 117; omnes ad fidem acceptat 293; non cogit liberum arbitrium, sed potest mutare 533.

Per seipsum diligendus Deus est 149. 241. 542-543. 568; cupidissimus est amoris nostri 146. 148. 157. 193. 240. 546; vult ut proximum diligamus 158. 331. 540; nil magis odit quam impietatem hominis in proximum 328.

Mundi providentiam gerit 313; omnibus creaturis necessaria providet 189; providentiam gerit humanarum rerum 270; manna pavit populum in deserto 52. 57. 230. 403; omnia in mundo conservat atque gubernat 471, et omnia agit propter electos 381. 386. 620; permittit curam terrenorum iuxta conscientiam 196.

Iustus iudex 388, solus intuetur cor 274. 294. 600; non est personarum acceptor 295; eligit et reprobat sua voluntate 284.

Quisquis Deum possidet, omnia bona possidet 153; totus noster in Eucharistia est 152; solus implere potest humanum cor 75.

Deum cognoscere summa sapientia 110; cognosci nequit sine speciali auxilio gratiae suae 111; sensu eum cognoscere nunc non possumus 155, in patria sicuti est videbitur 568; at divina essentia non videbitur oculis corporis glorificati 496.

Deo debetur cultus, honor et amor 492; suavis est servitus Dei 190.

Diabolus creatus bonus 488, supremus spiritus in coelo 535, volens magis ascendere, cecidit 18. 428; Adamum in peccatum induxit 91. 220; Christum tentavit 192; ab ipsis bonis mala eruit 522; maximas tribulationes hominibus inferre quaerit 380; multos decipit sub larva amici 183. Deo et diabolo serviri nequit 183. Ex S. Scriptura et experientia constat dari daemones 534.

Diluvium omnes perdidit 177. 188. 516; figura iudicii universalis 392.

Dives quasi divus 190; difficile salvatur 194. 332. 504; tantum in magna tribulatione resipiscit 316.

Divitiae dona Dei sunt 503; non necessariae nec utiles 195; multis periculis obnoxiae 191; avocant animum a Deo 195.

Donatus haereticus remissionem peccatorum negabat 270.

E

Ebion haereticus negabat Christi divinitatem 260.

Ecclesia in Christo fundata 41; septenario constat 282; columna veritatis 439; errare nequit 440; sponsa et vinea Dei et Christi 137. 281. 634; mundus sanctitatis 281; arca salutis 94, extra quam nulla salus 311; varie figurata 292-293, in coelesti muliere significata 102; dicitur plenitudo Christi effective 24; a mundo semper oppugnata, a Deo semper defensa 436.

Eleazarus caput factionis in Iudaea 381.

Electio divina omnino pendet a beneplacito voluntatis Dei 285. 289-290; non est omnium aequalis 286, est determinata quoad numerum electorum 290, non quoad omnes personas 291-292; pauci salvantur reprobis comparati 294-295.

Elias propheta potens Deus interpretatur 199; modicam nubem vidit quae coelum replevit 41; obtulit sacrificium coelesti igne combustum 62. 81; aquam adhibuit ad ignem accendendum 441; farinam et oleum multiplicavit 627; ignem de coelo descendere fecit 263. 274; pallio divisit aquas Iordanis 441; suscitavit filium viduae 199. 217. 353. 363; fugit ad montem Dei Horeb 50; tota quadragesima nihil manducavit 562; ministerio corvi a Deo pastus 188; unxit Eliseum in prophetam 383, cui ascensurus in coelum reliquit pallium suum 4, cumque replevit duplici spiritu suo 4. 426. 608; raptus in coelum igneo curru 4. 18. 28. 37. 41. 67. 73. 77.

Eliseus propheta potens seu divinus salvator

interpretatur 162; obtinuit duplicem spiritum Eliae 49. 73. 614; sanavit aquas Iericho 203, et pallio Eliae divisit aquas Iordanis 608; oleum multiplicavit 627; suscitavit filium viduae sunamitidis 199. 217. 353; Naaman mundavit a lepra 298. 353. 551. 585; secreta regis Syriae revelavit regi Israel 334, et excaecavit milites missos ad eum capiendum 598; cognovit occulta Giezi 612; magnam abundantiam praedixit post maximam penuriam 627; prophetam misit ad ungendum Iehu regem 613; mortuus suscitavit occisum 217. 353. 608.

Enoch dedicatus interpretatur 42; raptus a Deo 18. 42. 188.

Esau odio habitus 135. 287; primogenita vendidit 523; benedictionem patris obtinuit 523.

Eusebius Caesariensis refert ex Porphyrio Aegyptios Deum hieroglyphice depingere 311; historiam narrat statuae ab haemorrhoissa erectae in Caesarea Philippi 354-355. 606; loquitur de pseudochristis Barcocbah, Rabbi Achiba, Simone Mago et Menandro 381.

Euthymius Zigabenus per convivium parabolae, de qua Mt 22, 1-13, interpretatur abundantiam divinorum charismatum 579; per *abominationem* in templo, de qua Mt 24, 15, idolum in templo positum intelligit 617.

Ezechias rex piissimus ambulavit coram Deo corde perfecto 154; oravit pro liberatione Ierusalem de manu Sennacherib 265; oratione a morte servatur 321. 386. 626.

Ezechiel propheta vidit animal quadriforme 1. 15-16. 20. 39. 65. 419. 429; Deum sub specie hominis igniti in curru igneo 322-323. 471. 496; Christum supra solium sapphirinum 34. 114; virum lineis indutum 65; electos signatos signo *thau* 344; Cherubim cum facie hominis et leonis 587; ossa arida reviviscentia 76; abominationes in templo 389; loquitur de promissione adventus Spiritus Sancti 69. 442; de quattuor malis quae Deus immissurus erat 398; praenovit captivitatem babylonicam 386; iussus describere Ierusalem et radere sibi barbam 384-385, et comedere volumen 597.

F

Febris multiplex 590; febris animi est inordinatus amor 590.

Felicitas desiderium naturale in homine 287; non reperitur in voluptatibus mundi 123; — vera a Spiritu Sancto est 56. Vide *Beatitudo*.

Felix praeses Iudaeae 375.

Fides certissima sententia qua firmissime aliquid tenetur 365. 367, firmius quam si oculis videretur 417; intellectu consistit, sed voluntate opus habet 315; multis hieroglyphicis ab antiquis designata 366.

Fides Christi innumeris est testimoniis contestata 47, nec miracula necessario requirit 301; ad salutem est maxime necessaria 435; infunditur in Baptismo 115; difficilia proponit 46. 99; eius obiectum Deus 246; est antidotum contra peccatum 85; causa vitae 413; salvat ab omnibus malis 365; fundamentum est omnium bonorum 168; basis caritatis 246. 565 et totius vitae spiritualis 563, via ad visionem in patria 115; valde Deo placet 303. Non omnis fides efficax est ad salutem 170, nec aliquis salvatur per solam fidem 292. 490; fides ficta vel mortua neminem salvat 171, sed sola fides viva 366, quae per caritatem operatur 170, et ore confitetur 533. Ex defectu vivae fidei paucissimi salvantur 171; ex imperfecta fide oritur imperfecta caritas 253.

Fimbria extrema pars vestis 610; apud Hebraeos signum religionis et sanctitatis 359. 607; fimbriae vestis pontificis ornatae erant aureis tintinnabulis et malis punicis 610.

G

Galilaea circulatio et revolutio interpretatur 174. 307. 537. Mare Galilaeae dicitur stagnum Genesareth 119; fit ex aquis Iordanis 140.

Gaudium oritur ex praesentia et fruitione boni 425.

Gessius Florus pessimus praeses Iudaeae 375. 396.

Giezi minister Elisei, duo talenta argenti accepit a Naaman syro 318, et leprosus factus est 178-179. 181. 267.

Gratia est forma iustificationis 310; fructus sanguinis Christi 528; haberi nequit sine fide, spe et caritate 481; eius perfectio in virtutibus consistit 412; ei debetur vita aeterna 252; ubi gratia, ibi Spiritus Sanctus 531; similitudo quaedam gloriae est 481-482; designatur per nuptiale convivium 277; potest homo eam amittere, sed non suis viribus acquirere 489. Evidenti certitudine nemo scit an in gratia constituatur 244.

Gregorius Magnus S. dicit Deum, cum aliquid imperat, simul gratiam conferre ut fiat 262; rationem affert cur Christus ire voluit personaliter ad curandum servum centurionis 314; multos avaritia detineri ne ad fidem convertantur 316.

— **Nyssenus S.** dicit multos negare resurrectionem ut a timore se liberent 315-316.

H

Habacuch propheta scandalizari videtur de divina providentia 130; omnia legis praecepta ad unum reduxit 167.

Hebraei soli verum Deum colebant 102, non tamen Trinitatem agnoscebant 106; filii Dei appellati 336. 514. 598; a cunctis populis secernebantur circumcisione et lege 522; durissima servitute in Aegypto vexati 86. 190. 194. 196, ubi idola coluerunt 258. 446; salvati a plagis Aegypti 371; a Deo inde educti 188, profecti sunt portantes corpora Ioseph et aliorum patriarcharum 402; transierunt mare Rubrum sicco vestigio 56. 205. 279, ducti columna nubis per diem et ignis per noctem 433; in deserto bonis omnibus affluebant 152; cibati manna coelesti quadraginta annis 130. 190. 562, vestimenta eorum nunquam contrita 562, concupierunt carnes et farinam Aegypti 13. 182. 196, adoraverunt vitulum aureum 182. 446, voluerunt in Aegyptum reverti 196; serpentibus ignitis puniti 399; ab exploratoribus perterriti 275. 304; ex sexcentis millibus qui de Aegypto egressi sunt duo tantum ingressi in terram promissionis 173. 267. 295, post quadraginta annos 20. 304. 431; fleverunt mortem Aaron et Moysi 514. A Philisthaeis persecuti fuerunt 193, multa passi sunt a gentibus 373. 399. 436; captivi ducti in Babylonem 388.

Tanquam proximum solos Iudaeos considerabant 159; exorcistas habebant 531; sabbato eis non licebat ambulare 380.

Primi invitati ad fidem Christi, in Christum credere noluerunt 288, nec agnoverunt eum tanquam Messiam 390, imo cum persecuti sunt 260. 273, avaritia, ambitione et odio excaecati 391-392, eumque occiderunt 374. 388. 391. 394. 445; undecies centena millia in excidio Ierusalem perierunt 377. 396, reliqui vilissimo pretio venditi et in mundum dispersi 280. 288.

Semper legunt Scripturas sed difficillime convertuntur 533; convertentur in fine mundi 140.

Haeretici dicunt Ecclesiam errare posse 440; Divinas Scripturas falsificant 484; reclamant contra cultum SS. Reliquiarum 608; Papam antichristum appellant 616; nolunt credere nisi quod clarum est et expressum in S. Scriptura 616; sunt lupi rapaces 174.

Haymo dicit cognoscere Dei eligere esse, non cognoscere reprobare 174.

Heliotropium semper solem facie sua quaerit 339.

Hieronymus S. per *camelum*, de quo Mt 19, 24, intelligit ipsum animal 194; per filiam Iairi figurari dicit synagogam et per haemorrhoissam Ecclesiam 607; scripsit contra Vigilantium de cultu SS. Reliquiarum 608; non contradicit iis qui per *abominationem*, de qua Mt 24, 15, antichristum intelligunt 617.

Hilarius S. per convivium parabolae, Mt 22, 1-13, dicit figurari aeternam beatitudinem 579; per *abominationem*, de qua Mt 24, 15, antichristum intelligit 617.

Homerus citatus 271.

Homo parvus mundus 324, compendium universi 170. 242. 311. 495; duplici parte constat 200. 424; mente et voluntate infinitae capacitatis 602; naturaliter felicitatem desiderat 287; quattuor nominibus appellatur in S. Scriptura 19-20. 147; conditus ad supernaturalem felicitatem 132, ad cognoscendum Deum 438, ad imaginem Dei 136. 170. 191. 242. 339. 342. 495. 601, quae consistit in anima 601; in gratia creatus 132, positus in paradiso 481, non tamen impeccabilis 132, sed libero arbitrio praeditus 133, 413; in statu innocentiae naturaliter Deum amabat 540; si innocentiam servasset, vivus in coelum translatus fuisset [18; peccavit infidelitate 413, suggestione serpentis 224; amisit innocentiam, servus factus diaboli et mortis 356, in bestiam veluti mutatus 343, expulsus e paradiso 41. 266. 369 eumque sibi et nobis amisit 413. 531; per peccatum divinorum gustu destitutus fuit 148; si non peccasset, nullis malis premeretur 552.

Omnes nascuntur filii irae 516. 531; nullus omnino immunis a culpa originali 17; nemo capere potest mysteria sine supernaturali lumine 43. Quilibet totum seipsum Deo dicare debet 339.

Humilitas parit exaltationem 20. 23. 28. 229. 235.

Hydrops morbus intercutaneus 224; generatur ex defectu virtutis digestricis 225; symbolum triplicis concupiscentiae 219. 224. 231; praecipue ambitionem designat 225.

Hypocrisis est larva virtutis et duplex iniquitas 345.

I

Iacob a Deo electus 188 et dilectus 135. 287. 520; benedictionem fratri praeripuit 523; exiit de domo patris 523; Deum vidit in summitate scalae 20. 27. 37. 77. 95. 114. 237. 322. 429. 471; quaesivit Rachelem in sponsam 277, quam maxime diilgebat 89; dives rediit in terram suam 35; idola sepelivit 193; descendit in Aegyptum 188; repletus gaudio visa gloria Ioseph 39. De filio Iuda vaticinatur 21 et de Issachar 193.

Iacobus S. apostolus fidem sine operibus mortuam appellat 170; in tribulatione gaudendum monet 131; integram legis observantiam docet 249; concupiscentiam statuit peccati originem 458; immisericordem sine misericordia iudicandum dicit 594.

Iahel Sisaram occidit 484.

Ieremias propheta sanctificatus in utero materno 613, missus a Deo ad praedicandum 73, vidit virgam vigilantem et ollam succensam 278. 398. 405; in domum figuli a Deo missus 626, iussus confringere lagunculam et facere sibi vincula et catenas 384. 404; vaticinatur de babylonica captivitate 372 et de ruina synagogae 373. 399. 517; quattuor mala dicit Deum in Ierusalem immissurum 398; suasit Hebraeis ut servirent Nabuchodonosor 186; lamentatur de iniquitate grassante in populo 245, et in populum incredulum invehitur 304; scandalizari videtur de divina providentia 129, sed solvit mysterium 130; Deum de ingratitudine populi querentem affert 500. 528; de misericordia Dei loquitur 213, et de impoenitentia peccatoris 215; dicit Deum parcere peccatoribus poenitentibus 164; verbum Dei ignem et malleum appellat 263; de adventu Spiritus Sancti vaticinatur 442.

Ieroboam erexit vitulos aureos 193 et introduxit idololatriam in populum 315.

Ierusalem visio pacis interpretatur 174, figura paradisi 36; floridissima et munitissima 407; ab Assyriis oppugnata, a Deo liberata 437; a Chaldaeis destructa 369; per Titum et Vespasianum eversa 139. 280. 516 in poenam necis Christi 622-628; signa terribilia illius excidium praecesserunt 397; exemplar finis mundi 625.

Ignis substantia tenuissima 147; controvertitur an utilior sit aqua 76; tria considerantur in igne: substantia, lux et calor 109; clarus, activus, tenuissimus 429; in eo reperitur omnis gradus caloris 92; tribus modis accenditur 68-69; tendit sursum 20. 37. 323. 430; tria operatur: purgat, illuminat, perficit 427; summe necessarius 76. 444; in igne consistit vita animalis 76.

Infernus in centro terrae situs 172. 336; in inferno nulla redemptio 329.

Ioab occidit Abner et Amasam 484. 598; oppugnavit civitatem Abelam 627.'

Ioannes S. apostolus et evangelista docet consubstantialitatem Verbi 109; enunciat mysterium SS. Trinitatis 415; declarat effectus Spiritus S. 448; de Christo docet essentiam, virtutem et operationem 126; testatur Isaiam vidisse gloriam Christi 448; refert Samaritanos Christo credidisse sine miraculis 301; dicit templum aedificatum fuisse quadraginta sex annis 622; narrat curationem filii reguli 585; Christum refert eiicientem mercatores de templo 510; multa miracula fecisse 465; refert duas apparitiones Christi resuscitati 416.

Describit veram caritatem erga proximum 249; homicidam appellat qui odit fratrem 467; docet non posse diligere Deum qui fratrem non diligit 160. 566; veram fidem dicit vincere mundum 416; mundum in maligno positum esse 416 et concupiscentia aestuare 591; confessione deleri peccata 554.

In *Apocalypsi* tractat de mysteriis Ecclesiae post Christum 423; vidit coelestem Ierusalem gemmis aedificatam 596; in coelo ostium apertum et duodecim portas 97; Deum supra thronum 323, Angelos stantes ante thronum Dei 38 et Sanctos procidentes in facies suas ante Deum 529, indutos veste alba et byssino 583; Christum in medio candelabrorum 3. 593; electos signatos ex duodecim tribubus Israel 172. Vidit coelestem mulierem stellis coronatam 2. 102. 488. Tepidum dicit a Deo reiici 526-527.

— **Baptista** sanctificatus in utero matris 613; a Deo missus in testimonium Christi 301; a Christo plus quam propheta appellatus 611; dixit se prophetam non esse 617.

Ioannes seditiosus 377.

Iob Dei servus simplex et rectus 561; constantissimus in adversis 561. 566; greges eius igni diabolico combusti 62; gloriam hominis admiratur 602; scandalizari videtur de divina providentia 129; Deum dicit omnia noscere 230.

Ioel propheta loquitur de adventu Spiritus Sancti 59. 443. 445.

Ionas propheta maxima tempestate exagitatus 401, dormiebat in navi periclitante 51; a pisce evomitus ad maris litus 274.

Iordanis fluvius iudicii interpretatur 357.

Ioseph patriarcha a Deo dilectus 520; multa passus ne peccaret 566; revelationem accepit famis septem annorum 386; flevit mortem patris 514.

Iosephus Flavius exponit talenti valorem 324-325; historiam narrat excidii Ierosolymorum 374. 377. 379. 393. 396; verba Titi refert, capta civitate 407.

Iosias rex sanctus 381; quaesivit Dominum in toto corde suo 153.

Iosue solus cum Caleb ingressus terram promissionis 173. 295. 558.

Irenaeus S. per *abominationem*, Mt, 24, 15, antichristum intelligit 617.

Isaac duos filios habuit 520; flevit mortem matris 514.

Isaias propheta Deus salvans aut potens salvator interpretatur 605; Ezechiam de proxima morte certiorem fecit 626; solem per decem lineas retrocedere fecit 20; curavit Ezechiam 353. 605; Deum vidit 323. 496. 609 et Seraphim stantes ante thronum eius 38. 454, trisagium canentes 42. 108. 448 et operientes facies suas 421; Deum Dominum appellat 184 et civem Ierusalem 307; purgatus seraphico ministerio 52. 62. 73. 87. 448. 613; de infinita bonitate Dei loquitur 88-89. 499; de adventu Spiritus Sancti 59. 442-443; de Christo vaticinatur 21. 27. 37. 126. 367, de eius gloria et sanctitate 354. 364. 615, et passione 439, et ascensione 27. 37; Christum appellat fontem salutis 605, praeceptorem 169. Iussus a Deo ut iret discalceatus et nudus 384; Deum dicit auctorem malorum poenae 127; de impoenitentia peccatoris loquitur 215, de duritia cordis 444, de ingratitudine populi 343. 500. 558; ostendit ingratitudinem causam esse omnium malorum 175; de iudicio Dei contra ingratos 446, de iniquitate grassante in populo 255. 304; synagogam vineam Domini appellat 280. 634; maximas tribulationes comminatur Iudaeis 388; praenovit babylonicam captivitatem 386; de futura eversione et conversione synagogae vaticinatur 130, 373. 399; praedicit captivitatem Iudaeorum usque ad finem mundi perseveraturam 387. Omnia legis praecepta ad sex reduxit et rursus ad quattuor et ad duo 166-167. 243. 350; de spiritualibus deliciis loquitur 277. 580-582; dicit Deum odio habere dies festos peccatis profanatos 235; in strato angusto duos iacere non posse 183. Precibus obtinuit liberationem Ierusalem a Sennacherib 265. Omnes ad Deum invitat fontem bonum 14.

Iudaea laus interpretatur 306; dicta habitatio Dei 307.

Iudas Galilaeus seditiosus et seductor populi 335.

— **Iscariotes** in apostolatu periit 176. 557; osculo Christum prodidit 484. 598, desperatus laqueo se suspendit 264. 617.

Iupiter a iuvando dicitur 151.

Iustitia moralis voluntatem perficit 483. 485; necessarissima virtus 484; maxime iuvat ad acquirendam perfectionem virtutum 253. 483; multis hieroglyphicis designata 351; iustitia interior non existit sine exteriori 352; iustitia perfecta est voluntatem Dei exequi 490, mala omnia vitare et bona facere 524.

Iustus etiam hac vita beatus 47; miro modo laetificatur spe beatitudinis aeternae 130; nunc luget, postea gaudebit 513. Iustorum merita iniustis prosunt 572.

Iuvenalis citatus 225-226.

L

Lepra morbus execrabilis 179, multiplex 178; in lege non dabantur remedia ad lepram curandam 179, sed tantum ritus 552-553; tenebantur leprosi plagam leprae sacerdoti ostendere 169. 180. 551; eiiciebantur extra civitatem 180. 552. Lepra significat peccatum 177-178. 552. 554.

Lex a ligando latine, a distribuendo graece, a docendo hebraice 464; Gentiles per solam legis naturalis observantiam salvabantur 120. 460.

— Moysi dicitur testamentum, foedus, pa-

ctum Dei 142; magnam cognitionem Dei mundo attulit 102-103; promittebat tantum bona temporalia 120; iudicia severa comminabatur 467; data de coelo 55. 61, in duabus tabulis 236. 243. 599, servatis in arca 69; sexcenta et tredecim praecepta continebat 166. 242; lex de lepra et leprosis 178. 180. 551-552; de animalibus mundis 193; de primogenitis 198; de sacrificio primitiarum 62. — evangelica longe perfectior mosaica 302-303. 464-469. Duo sunt praecipua mandata in lege divina: dilectio Dei et proximi 142; duo genera praeceptorum: affirmativa et negativa 351. 490; a duabus virtutibus pendet: iustitia et misericordia 276; solum quaerit mores hominum ad normam sanctitatis regulare 250.

Loth de incendio Pentapolis liberatus 173. 216. 370. 380. 400. 556. 620. 628.

Lucas S. evangelista, medicus 363; tempus describit praedicationis Ioannis 349; refert parabolas Christi 502; ostendit defectum misericordiae causam esse damnationis 177; narrat sanationem servi centurionis 208, et paralytici 257. 260; stuporem turbae, viso Christi miraculo 211. 259; suscitationem filiae Iairi 354. 356. 358, 363; sanationem haemorhoissae 359; insidias Pharisaeorum contra Christum 344. 598-599; Christum affert daemonia elicientem 536; de excidio Ierosolymorum et de finali iudicio vaticinantem 176-177. 371. 373-374. 387. 393. 398. 613. 615. 617. 621. 624; discribit ingressum Christi in Ierusalem in die palmarum 509; claudit Evangelium referendo Christi ascensionem in coelum 28. 30. 36 et Apostolorum gaudium 29; refert adventum Spiritus Sancti 58-59, hieroglyphice declarans eius effectus 443.

Lutherus negabat resurrectionem mortuorum 270.

M

Malachias propheta refert blasphemias impiorum contra divinam providentiam 131; incumbendum docet bonis operibus 137; ostendit amorem Dei 89; Deum apellat Dominum et patrem 184; de Christo vaticinatur 126, quem solem iustitiae appellat 353. 367, et de virtute fimbriarum eius 610.

Malum nullum remanet sine iusta punitione 369; mala temporalia et aeterna praeparata sunt in poenam vitiorum 402; mala quae nunc videmus non sunt poenae peccati originalis sed conditiones naturae et exercitia virtutis 357.

Manasses oblivio interpretatur 424. — patriarcha postpositus minori fratri Ephraim 298. — rex impius poenitentiam egit 213. 327. 322.

Manichaeus haereticus Christum verum hominem negabat 270.

Manna habebat omnem saporem et dulcedinem 56; servata in arca 69. 144. 187. 203. 279. 319.

Marcus S. evangelista refert curationem paralytici 257. 260. 264; suscitationem filiae Iairi 353-354. 356. 358. 363; sanationem haemorrhoissae 359; Christum affert infirmos solo tactu sanantem 606, daemonia elicientem 532, de excidio Ierosolymae et de fine mundi vaticinantem 370. 621, cum scriba disputantem 246. 250; Evangelium suum claudit referens ascensionem Christi 30. 33. 36.

Maria soror Moysi murmurans ob invidiam leprosa facta est 178-179. 181. 211. 267.
— **Magdalene** a Deo conversa 213. 327, planxit peccata sua 444.

Matthaeus S. apostolus et evangelista refert miracula Christi 259; sationem leprosi 208; stuporem turbae, viso miraculo paralytici sanati 211; Christum affert caecos et claudos curantem 511 et infirmos solo tactu sanantem 606, filiam Iairi suscitantem 353. 356. 358. 363, de Ierosolymorum excidio vaticinantem 371. 374. 387. 393. 624; refert ultima Christi verba ad Apostolos 30. 33.

Menander magus, discipulus Simonis Magi 381.

Michaeas propheta de Christi ascensione vaticinatur 28; Deum dicit auctorem malorum poenae 127; omnia legis praecepta ad tria reducit 166. — Deum vidit 496.

Miraculum non est necessarium ad fidem 301; nulla miracula fecerunt sancti Prophetae 530.

Mors est separatio animae a corpore 218; multis de causis evenit 203; ultima miseria corporis 202; privat omnibus bonis 200; carcer est divinae iustitiae 209; omnium crudelissima fame perire 389.

Moyses ex pastore factus dux populi 121, princeps et propheta 437, magnus propheta 613,

maximus Prophetarum 511; legislator 102, sapientissimus 103, mitissimus et humillimus 28; missus a Deo ad liberandum populum a captivitate Pharaonis 51; vidit Deum in rubo ardenti 76. 81. 103. 434. 623; multa miracula fecit in Aegypto 71. 263. 304. 618; divisit aquas maris 441; eduxit aquas de petra 236 et peccavit deficiens in fide 292, ideo ingredi non potuit terram promissionis 526; solus ascendit ad montem ad loquendum cum Deo 41; duas quadragesimas ieiunavit 562; veniam a Deo pro populo obtinuit 265. 386; quaesivit videre faciem Dei 55. 414-415. 454. 495. 507; petiit nomen eius 103. 493; splendida facta est facies eius 494; tabernaculum aedificavit 471; serpentem in deserto exaltavit 85; obtulit sacrificium coelesti igne combustum 62.

Descripsit mundi creationem 612; dicit Deum septem diebus mundum creasse 635, tanquam architectum ipsum ostendit 188; hominis creationem narrat 480-481; declarat quid sit hominem ad imaginem Dei esse 602.

Docet Deum unum esse 103, sed aperte nil de Trinitate 106, insinuat tamen hoc mysterium 494; de Christi ascensione vaticinatur 21, eumque appellat magnum prophetam 613.

Dicit Deum adesse cunctis obsecrationibus 153, ex bonitate sua populum hebraeum elegisse 289; coniungit fidem vivam cum caritate vera 563. 565; verbum Dei panem appellat 476. 562; peccati causa omne malum invectum in mundum fuisse ostendit 571. Docet animae immortalitatem 363; legem sapientiam et intelligentiam appellat 464; comedere immunda animalia abominationem dicit 410; omnia legis praecepta ad decem reducit et rursus ad quattuor 243.

Mundus ex nihilo creatus 324, septem diebus 282. 635; regitur duobus cardinibus: arctico et antarctico 276; quattuor universales eius causae 408; quattuor genera creaturarum comprehendit 206; constat magna rerum omnium sympathia 530. 535. Regnum et thronus Dei 603 et templum 609; totus plenus divina misericordia 206; creatio mundi effectus amoris Dei 89. In statu innocentiae fuisset homini paradisus 201; peccati causa locus infinitarum miseriarum 203; deditus vitiis 5; totus in maligno positus 160; falsus propheta 485; contrariis plenus 97; febribus concupiscentiae aestuans 591; submersus diluvio 475.

Omnes quaerunt consolationes in mundo 47, sed nemo in mundo contentus 478. Amor mundi causa omnium malorum 92. Non est satis firma opinio mundum sex annorum millibus duraturum 614.

Mysterium imperfecte valde cognoscimus divina mysteria 252.

N

Naaman syrus, princeps magnus sed leprosus 313; infidelis 554; missus a propheta ad Iordanem, indigne tulit 170. 313. 557; mundatus a lepra 162. 551, in Deum credidit 554; in templo idoli Deum adorare volebat 193.

Naas rex eruebat dextros oculos Hebraeis 197. 505.

Nabuchodonosor effodit oculos Sedeciae regi 505; exaltavit Danielem 361; gloriabatur se amplissimam civitatem aedificasse 525; statuam suam auream adorari praecepit 185; statuam vidit in somnis 187; in bestiam mutatus 77. 339. 341. 525. 603; a Deo conversus 213.

Naim pulcritudo et iucunditas interpretatur, Nain commotio 201. 209.

Natura quo nobilior, eo nobiliores actiones operatur 125.

— humana infirma in statu culpae 201 et multis miseriis obnoxia 202.

Nicephorus refert historiam statuae haemorrhoissae 606.

Ninive a Deo conversa 213. 327; praedicatione Ionae 216. 304. 626; sine miraculis credidit prophetae 301; a ruina praeservata 43. 386. 403. 626.

Noe iustus 188, a diluvio praeservatus 628; vixit annis nongentis quinquaginta 631.

Novatus haereticus remissionem peccatorum negabat 270.

Numerus ternarius sacratissimus in Sacra Scriptura 110; quaternarius denarium continet 477. 495. 536; quinarius imperfectus 476; senarius primus perfectorum 449. 476; denarius sphaera numerorum 162.

O

Olivetum mons unde Christi passio coepit 29 et unde ipse in coelum ascendit 28; ibi fiet iudicium 29.

Ooliab divina sapientia repletus 43.

Oratio summe necessaria 533; infallibilis efficaciae si fiat cum fide et humilitate 10-13, perseverantia et devotione 14. 306.

Origenes per *camelum*, Mt 19, 24, interpretatur ipsum animal 194; per convivium parabolae, Mt 22, 1, abundantiam gratiae et divinorum charismatum 579; per *abominationem*, Mt 24, 15, exercitum Romanorum intelligit 617; dicit virtutem diversos gradus habere 300.

Oseas propheta bonum operantibus benedictiones Dei promittit 137; ostendit bonitatem Dei qua ad se homines trahit 586; dicit Deum velle misericordiam 160; de iniquitate grassante in populo conqueritur 245; de futura synagogae eversione et conversione vaticinatur 140. 387. 623. 625.

Ovidius citatus 225. 271. 307. 343. 361-362. 364.

Oza a Deo percussus quia arcam tetigit 117.

Ozias rex leprosus ob violatam religionem 178-179. 181. 267; de templo expulsus 179.

P

Paradisus in supremo maximo coelo situs 172; locus beatorum 31, imortalitatis et beatitudinis 34. 281. 287. 481, absque ullo penitus malo 623; non acquiritur sine meritis et sine virtute 29. 77; septenario constat 282.

— terrestris locus deliciarum quia locus innocentiae 482; duae praecipuae arbores in eo 412. 482 et fluvius qui in quattuor flumina dividebatur 207.

Patria cuique dulcissima, supra vitam propriam diligenda 271-272.

Patriarchae salvabantur observantia legis naturae 460; morituri filios suos benedicebant 28.

Paulus S. apostolus, a Deo conversus 213, raptus ad tertium coelum 36; omnia arbitrabatur ut stercora 633; suscitavit mortuum 217; sudaria eius operabantur miracula 354. 608; corpus suum castigabat 258. 292; ter Dominum rogavit et exauditus non fuit 13.

Duas uxores Abraham allegorice interpretatur 463; sedere pro regnare accipit 37; verba Ps 2, 7 interpretatur de Christo 2. 423; Isaiam citat 250; agit de praedestinatione 284. 287; Deum dicit velle omnium salutem 172, non tentare supra quod possumus 440, facere supra quam petimus 593, eligere absque ullis meritis 288. 290; paucos dicit salvari 173. 295. Ostendit bonitatem et amorem Dei 91. 593, et misericordiam 499; vult ut cognoscamus magnitudinem Dei et caritatis Christi 221-222.

Declarat divinam Christi originem 23, personam, potentiam et operationem 126-127; Christum appellat characterem substantiae Dei 109. 346; dicit Deum Angelis praecepisse ut Christum adorarent 539; loquitur de eius infinita humilitate 16 et ascensione 23. 37.

Docet quid sit fides 363, viva et ficta 170; eam appellat fundamentum omnium bonorum 167; ex fide dicit hominem iustificari 167. 179; sine caritate fidem nihil esse 583; ex defectu caritatis ortam esse idololatriam 246; caritatem viam esse excellentissimam 145. 165. 238-239, 244.

Legem mosaicam imperfectam dicit 477; de caecitate Israel loquitur 138; de impoenitentia peccatoris 215; peccatores vocat filios incredulitatis 304; graviora dicit peccata christianorum quam Iudaeorum 391. Loquitur de vita spirituali 217. 634; de communione Sanctorum 265, de affluentia gratiarum Dei 130. 582, quas pacem appellat 278; electos rapiendos esse dicit cum Christo in aera 18.

Agit de reprobatione Iudaeorum et electione Gentium 532; dicit Gentiles salvari posse observantia legis naturalis 460; per creaturam cognosci Creatorem 105. 570; reprehendit philosophos qui non glorificaverunt Deum 452; dicit Deum eos tradidisse in passiones ignominiae 128.

Docet cavendum a malis colloquiis 556, spiritu ambulandum, omnia honeste facienda 197; opus contra conscientiam peccatum esse 179; enumerat opera carnis et spiritus 487-488; spiritum a Deo alienum dormientem appellat 218; obedientiam ergo principes praecipit 186. 349; avaritiam idololatriam vocat 185. 410; pericula divitiarum ostendit 192; cupiditatem dicit malorum omnium radicem 487; Christo et Belial serviri non posse 182.

Ecclesiam humano corpori comparat 286; eam appellat virginem Christo desponsatam 447; Evangelii praedicationem cibum 580 ; satanam dicit in angelum transfigurari 484; circumcisionem nil valere sine legis observantia 583; Abraham credidisse Deum posse mortuum filium Isaac suscitare 588; ignorantem ignorandum 584. Servivit Christo annis triginta quinque 631.

Paulus Samosatenus haereticus Christi divinitatem negabat 270.

Peccatum est legis divinae transgressio 326; crimen laesae maiestatis divinae 522; Dei contemptus 553, ipsissima malitia infinita 269, aptum facere omne malum 391; maximum malorum 24-25. 266. 269, abominatio pessima 390, pessima ingratitudo 175; quantum in se est Christum occidit 390; mors est animae 128; commissionis et omissionis 177, originale et actuale 553, illud naturale, istud voluntarium 554; causa peccati ignorantia et fragilitas 218; privat communione Sanctorum 177-178; hominem reddit impotentem ad bene operandum 266; causa ruinarum 409, sola causa reprobationis 164. 266. 289-290; ubi peccatum ibi daemonium 531; figuratum per lepram 178. 552, per paralysim 266. 573, debiti nomine designatum 326-327.

Ad dimittendum peccatum requiritur maior potentia quam ad mundum creandum 268. 522. 533; remittitur Baptismo, Confessione et contritione 180. 513. 528. 554-555. Ad peccatum vitandum meditanda sunt novissima 428; completo numero peccatorum, sequitur impoenitentia 215-216.

Omnes peccatores dicuntur filii diaboli 343, vitanda est eorum consuetudo 556.

Pentapolis coelesti igne combusta 62. 82. 140. 177. 188. 267. 369. 381. 475. 516. 623, quia decem iusti in ea non inveniebantur 265; figura universalis iudicii 392.

Perfectio non est de praecepto 120; vir perfectus quo magis exaltatur eo magis seipsum humiliat 123.

Petrus S. apostolus Dominum negavit 556. 592; a Deo conversus 213; princeps Ecclesiae constitutus 119-120; plenus Spiritu Sancto praedicare coepit 121, et multos convertit 462; in carcere dormiens excitatur ab Angelo 216; eo praedicante descendit Spiritus Sanctus 69; corripuit Ananiam et Saphiram 211; umbra corporis sui operabatur miracula 354. 608; suscitavit mortuam Tabitham 217.

Fideles dicit factos divinae consortes naturae 71; mille annos apud Deum velut diem unum esse dicit 388; docet abstinere a carnalibus desideriis 487; iubet servos dominis obedire 186; omnes principibus subiectos esse 350; Deum dicit tentationibus fidem probare 440; legem Moysi appellat iugum valde grave 242; de transfiguratione Christi loquitur 24. Christo servivit annis triginta novem 631.

Pharao novit in somnis venturam magnam famem septem annorum 404; exaltavit Ioseph 19. 114. 147. 361. 602.

Pharisaeus divisus interpretatur 522; Pharisaei viri sancti habebantur 229; murmurabant contra clementiam Salvatoris 456; mali et invidi 232, Christo insidias parabant 229. 344, cumque semper persecuti sunt 220. 229. 344.

Philosophia tres substantias admittit in universo 471; semper docuit Deum esse 103, ens primum, independens et unum 105, sed nil de Trinitate Personarum 105; multa falsa docuit de creatione et de providentia 484; dixit divinum intellectum vilescere si terrena consideraret 189. Philosophi imperfectissime Deum cognoverunt per creaturas 451.

Phocylides docuit animae immortalitatem 364.

Plato docet animae immortalitatem 364; historiam refert Heri Armenii Pamphilii a mortuis resuscitati 217; dicit caritatem patriae praeferendam esse parentibus et vitae propriae 271.

Pluto divitiae interpretatur 192; caecus pingebatur 191.

Poenitentia est vitae renovatio 584; obtinet remissionem omnium peccatorum 326 et gratiam Dei 527; humilis esse debet, pia et integra 326.

Praedestinatio est praeparatio beneficiorum Dei et aeternae felicitatis 290; medium gratia, finis gloria aeterna 164; omnia merita sunt effectus divinae praedestinationis 290; circa praedestinationem sex considerantur 284-285.

Princeps vere imago Dei 600; ei debetur honor, reverentia, obedientia et tributum 349. 601, sapiens et bonus esse debet 186; etiam malo principi obediendum est, dummodo mala non praecipiat 349. Rari sunt principes qui tyranni non sint 186.

Propheta vario sensu accipitur 611-612, 633; interpres et internuncius divinae mentis 612; eius munus praecipuum homines docere et ad pietatem instituere 612.

Propitiatorium ex aurô purissimo 187; sustentabatur duobus cherubim aureis super arcam foederis 243. 254. 319. 563; figura divinae naturae 79.

Providentia triplex: naturalis, politica, spiritualis 589; pagani non credunt divinam providentiam 195; antiqui multis hieroglyphicis eam demonstrarunt 471-473; multi scandalizantur de divina providentia 129. 135, sed in die iudicii mysterium revelabitur 132.

Pythagoras docet animae immortalitatem 363; Deum dicit animationem universi 474.

R

Rahab salvata cum familia sua ab excidio Iericho 158. 173.

Ratio status causa mortis Christi et perditionis multorum principum 392.

Ruben primogenitura privatus 520.

S

Sabbatum quattuor ob causas institutum 234, ad salutem etiam humanam promovendam 228; licet in sabbato operibus pietatis et misericordiæ incumbere 234.

Sacerdos summus semel in anno ingredi poterat sanctum sanctorum 20. 116; soli licebat comedere panes sanctificatos 228; gestabat auream laminam supra caput 79. 89. 156. 187. 241, et in pectore *Rationale* 253. 269, et nomina tribuum Israel 242. 370; tantum carnalia sacrificia offerebat 469; expleto sacrificio, populum benedicebat 28.

Sacramentum instrumentum iustificationis 310; confert Spiritum Sanctum 50.

Salomon iussu David coronatus rex 26, bis unctus 432; petiit a Deo sapientiam 10. 49. 256; ditissimus et gloriosissimus 226; gloriosior patre Davide 38; maximo in honore habitus ob sapientiam 186; aedificavit templum 430. 471. 529; obtulit sacrificium coelesti igne combustum 62; matri gratiam negavit pro Adonia 12-13; cum gentilibus matrimonia contrahens factus idololatra 556. Auctor librorum *Proverbiorum, Ecclesiastis et Canticorum* 122; quattuor difficilia admirabatur 1. 39. 421; nullum hominum impeccabilem esse dicit 131; docet animae immortalitatem 363; humilitatem commendat 228; stateram dolosam abominationem vocat 410; sitim avaritiae inexplebilem dicit 225; de impoenitentia peccatoris loquitur 215; Deum dicit omnia noscere 230; eum appellat ponderatorem spirituum 301. Figura Christi 63.

Salus aeterna cum timore et tremore operanda 176; exigit ut bona bene fiant 136; ut mala tolerentur 99; multa assignantur media salutis 165-166; paucissimi salvantur 164. 172. 177. 582, vix unus ex decem 176, non Dei voluntate sed sua cuiuscunque culpa 174-175.

Samaria observantia interpretatur 174; Deum et idola colebat 182; Christo credidit sine miraculis 301.

Samson mirabili fortitudine praeditus 77-78. 586, quae in capillis consistebat 586; cum uxorem duxit pater eius convivium fecit 277; una asini mandibula mille Philisthaeos occidit 311. 598; fractis ostiis ferreis, exiit de civitate 19; ignem caudis vulpium alligavit 369; ardenter dilexit Dalilam 89, ab eaque traditus fuit 484; a Philisthaeis excaecatus et in servitutem redactus 191. 505.

Samuel populum monuit ut deos alienos auferret 193; tempestatem horribilem excitavit 263; revelavit occulta Sauli 612, eumque corripuit 215; pallii scissione significavit Saulem regno privandum fore 384.

Sanctus qui in omnibus virtutibus perfectus est 361; oratio Sanctorum multis prodest 265; magna est apud homines aestimatio sanctitatis 360.

Saul de minima tribu Beniamin 520; ob virtutem exaltatus 190; unctus rex a Samuele 73, prophetare coepit 612; prius bonus, postea daemoniacus 531. 536. 557. 613; scissione pallii praesagium accepit amissionis regni 404; invidia motus persequebatur Davidem 219; a pythonissa refocillatus 233.

Scientia consistit in lucida rerum cognitione 110; ordinem requirit 197.

Scriptura Sacra Dei litterae 484; liber signatus sigillis septem 420; demonstrat divina attributa 454. 508; summam Dei bonitatem 521, et misericordiam 204; dicit Deum omnia bona fecisse 134, poenituisse quod hominem fecisset 632, Iudaeos excaecasse ne in Chri-

stum crederent 127; Deum causam esse malorum culpae 128-129; saepissime loquitur de divina providentia 187-188. 560; plena est promissionibus et minis 586. Quadruplicem imaginem in homine notat 603; fidem commendat 304. 592; servos Dei beatos praedicat 190; idolorum cultum abominationem appellat 409; quod impossibile dicit, valde difficile intelligendum est 489; sedere pro regnare accipit 37, peccatum pro poena peccati 389; pro pane omnem cibum comprehendit 233; principes et iudices deos appellat 152. Testatur daemones spirituales esse 534. Steriles maledictas vocat 404. Res appellat prout apparent, non quatenus sunt 457.

Seneca L. A. citatus 182.

Sententiae.

Abstine, sustine 643.

Amor sequitur cognitionem 253. 466.

Ars imitatur naturam 317.

Bonum est diffusivum sui 449.

Contrariorum eadem est disciplina 425.

Convivium in Apolline 233. 579.

Crescit amor numi quantum ipsa pecunia crescit 225.

De similibus idem iudicium 294.

Deus et natura nihil faciunt frustra 54.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum 618.

Finiti ad infinitum nulla proportio 125.

Fronte capillata, post est occasio calva 168.

In regno voluptatis non est virtuti locus 590.

Inter aquam et ignem 599.

Inter malleum et incudem 599.

Inter saxum et sacrum 599.

In utranque aurem dormire 177.

Non bene pro toto libertas venditur auro 191.

Omne agens agit propter finem 244.

Patriae fumus alieno igne splendidior est 271.

Phoenice rarior 592.

Praeferuntur adverbia verbis 524.

Qui abutitur privilegio indignus est privilegio 584.

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae 225.

Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis 226.

Simon caput factionis in Iudaea 381.

— **Magus** primogenitus satanae 381.

Sol princeps omnium astrorum 184; principaliter coelum illuminat 619; propria luce splendet et propria virtute movetur 340; causa lucis et generationis in universo 244. 512. 588; tria considerantur in sole: radius; lux et calor 107. 109. Tempore Ezechiae per decem gradus retrocessit 431.

Sophonias propheta invehitur contra eos qui Deum simul et idola colebant 183.

Sozomenus refert historiam statuae haemorrhoissae 606.

Spiritus Sanctus a spirando dictus 75; verus Deus, Deo consubstantialis 54-55. 60. 66. 74. 439; a Patre Filioque procedit 50. 60. 66; est amor quo Pater et Filius sese ad invicem diligunt 61; est veluti cor Dei 70. Multis nominibus appellatur 53. 66. 71-72; dicitur Paraclitus et Spiritus veritatis, 45-47. 53-54. 66. 70. 74. 433. 444-445; ignis et aqua 633; est verus consolator 54-57; infinita virtus et bonitas 61; sanctificavit Patriarchas et Prophetas 71-72. 75; deificavit Apostolos 25. 60. 63. 67-69; accipitur multis modis 49-50. 69; datus Ecclesiae 440; omnes fideles templa sunt Spiritus Sancti 61. 78; urget animum ad sectandam iustitiam 8, tribuit fidem et caritatem 100; non habitat cum peccato 49. In columbae specie et nubis descendit supra Christum 55. 64. 435. 483; cum vento et igne supra Apostolos 60. 62. 64. 76. 446. 448. Sine Spiritu Sancto nemo vivere potest apud Deum 76. Facile amittitur 69.

Superbia initium omnis peccati 525; via ad perditionem et confusionem 235.

T

Tabulae legis, una continebat praecepta religionis erga Deum, altera iustitiae et caritatis erga hominem 347. 350; in arca servatae 142. 187. 347.

Talentum hebraicum centum libris aureis constabat 318; ex uno tantum factum fuit candelabrum cum septem lucernis 318; de variis talentis 324-325.

Talmudistae opinantur ex traditione Eliae mundum sex annorum millibus duraturum 614.

Templum constructum ab Hebraeis et Gentilibus 120; duplex ostium habebat 99, decem candelabra, totidem mensas et conchas 163; in eius dedicatione Deus apparuit 63. 78.

Terra infirmum elementum, crassa, obscura, immobilis 147; coelo comparata vix puncti magnitudinem habet 423; lumine et calore solis fecundatur 347; nutrimento aquarum eget 474; dives multis thesauris 492.

Theodas seditiosus 374.

Theologia scientiarum domina et regina 110; de septem in universum tractat 281; de essentia, potentia et operatione Dei 125-126; de quattuor dotibus corporis glorificati 411.

Theophylactus per *abominationem*, Mt 24, 15, idolum in templo positum intelligit 617.

Tiberius imperator, privignus et successor Augusti, prius optimus, postea crudelissimus 349.

Titus imperator multos Iudaeos trucidavit 376 et crucifixit 396; dixit solo auxilio Dei expugnare potuisse Ierusalem 407.

Tribulatio immittitur a Deo in poenam peccatorum 373. 398; iustos perficit, iniustis officit 129; beatiores facit homines in vita aeterna 131.

Trinitas SS. est maximum mysteriorum 101. 452; cognosci nequit lumine naturali 105; sanctis synagogae ignotum 451-452, Angelis ipsis incomprehensibile 101. 106; insinuatur in Veteri Testamento, clare docetur in Novo 107-109. 115. 449; nunc per fidem cognoscitur, in patria per claram visionem 115. Tres Personae sunt unus et verus Deus 450. Trinitas ex amore oritur 112.

Trismegistus docet animae immortalitatem 363.

V

Valentinus haereticus Christi humanitatem negabat 270.

Valerius Soranus citatus a S. Augustino 312-313.

Vespasianus imperator multos Iudaeos trucidavit 376.

Vigilantius haereticus reclamabat contra cultum SS. Reliquiarum 608.

Virga Moysi in terram proiecta devoravit serpentes magorum Pharaonis 220. 334. 346; multa mirabilia operabatur 144. 278.

— Aaron floruit et amygdala produxit 405; servata in arca 69. 144. 187. 279. 319.

Virgilius citatus 305. 309. 312-313. 364. 474.

Virtus magni aestimatur 368; laudata crescit 298; diligenda est 85; impeditur affectu temporalium 314.

Visio beatifica opus est infinitae potentiae et bonitatis 88; - oculorum maxime excitat passiones cordis 212.

Vita naturalis consistit in unione animae cum corpore 414; ut conservetur requiritur calor cordis 447; eius brevitas meditanda 422.

— supernaturalis consistit in unione animae cum Deo 414; — aeterna res infinita 88.

Z

Zacharias propheta docet animae immortalitatem 363; de Christo vaticinatur 360. 508.

CORRIGENDA

Pag.	**90**	**Linea**	**23**	**loco ex hic — ex his**
»	**160**	**»**	**19**	**» XIV — XV**
»	**251**	**»**	**11**	**» Itrunque — Utrunque**

» 356 linea 23 — pag. 358 linea 31 — pag. 359 linea 12 et marg. linea 1 — pag. 362 linea 10 — pag. 366 linea 8 — pag. 367 linea 6 et marg. linea 6 loco hemorrhoissa — haemorrhoissa

Pag.	**369**	**Linea**	**9**	**» submersum — submersus**
»	**401**	**»**	**15**	**» aspicens — aspiciens**
»	**411**	**»**	**5**	**» inimicitia — iniuria**
»	**412**	**»**	**25**	**» perstitisse — perstitisset**
»	**608**	**»**	**21**	**» summe — summae**

Finito di stampare il 12 Agosto 1943